


ANTIDOTORVM,
EVANGELICORVM

D. THOMÆ STAPLETONI,

S. THEOL. DOCTORIS,
& in Academia Louaniensi
S. Script. Professoris
Regij,

PARS ALTERA.

*In Sacrosanctum Euangelium secun-
dum Ioannem.*



LVGDVNI,

Impensis CLAVDII CHAPPELLET Bibliopolæ
Parisiensis, via Iacobæ, sub signo Unicornis.

cl. Io. xcv.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

PHYSICS DEPARTMENT
5712 S. UNIVERSITY AVE.
CHICAGO, ILL. 60637

TEL: 773-835-3100
FAX: 773-835-3101
WWW: WWW.PHYSICS.UCHICAGO.EDU

PHYSICS 310
LECTURE 1

LECTURE 1

LECTURE 1

LECTURE 1

LECTURE 1

LECTURE 1



I N
S A C R O S A N C T U M
E V A N G E L I U M
S E C V N D V M I O A N .

I N C A P . I .

Vers. 1. In principio erat Verbum.



ETERNITAS Verbi Dei docetur, quia antequam aliquid esse inciperet, hoc Verbum erat. Quod autem ante omne tempus est, illud æternum est. Sic Basil. homil. in hæc verba, & Chrysof. homil. 2. in hunc locum, &

Æternitas filij Dei.

Aug. de Trin. lib. 6. cap. 2. & Ambros. lib. 1. de fide cap. 5. Legunt hodie omnes hæretici, Erasmus sequuti, *In principio erat sermo.* Sed August. tract. 1. in Ioan. Ambros. lib. 1. de fide cap. 5. Hilar. lib. 1. de Trinit. legunt, *verbum.* Legunt quidem & alij Latini Patres, *In principio erat sermo,* aut *ratio,* ut Tertull. in Apolog. cap. 21. & aduersus Praxeam, Cypri. lib. 2. contra Iudæos cap. 3. & 6. & idem Hilar. lib. 2. de Trinit. Sed verbi nomen multo conuenientius est propter tria. 1. quia sermo quandam compositionem notat, verbum simplicitatem, quæ Dei locutioni magis conuenit. 2. quia verbum est conceptus mentis, & similitudo rei intellectæ, sicut verbum Patris est imago eius perfectissima: sermo est ipsius conceptus dilatio. 3. quia verborum multitudo oritur ex imperfectione vel audientium vel loquentium, ideo locutioni diuinæ magis conuenit Verbum quàm Sermo. Superbus Calvinus ita

Filius Dei verbum.

in hunc locum garrit. *Miror quid Latinos mouerit ut λόγος* *Vetus trās transferrent verbum. Sic enim vertendum potius fuisset ῥῆμα. latine de-*
Sed homo proterius aduertere noluit, τὸν λόγον in Scripturis *fenditur.*

non secus vsitate & proprie simplex verbum significare
 3. Cor. 14. quam τὸ ῥῆμα. Apud Paulum, *Volo quinque verba loqui in
 sensu meo, πέντε λόγους* : & in toto Evangelio, vbi de verbo
 Christi, vel verbo Dei fit sermo, vox λόγος ponitur. Tantum
 Matth. 8. dic verbo, & sanabitur puer meus : *Eiecit demonia verbo* :
 Luc. 7. *Qui dixerit verbum contra filium hominis* : aliisque in locis
 Luc. 12. innumeris. Sed & vox ῥῆμα non secus pro toto sermone
 Matt 26. quam pro simplici verbo accipitur. *Meminit Petrus verbi*
 & Mar. 14. *Iesu quod dixerat, Priusquam gallus cantet, &c.* ἐνώθη ἔ
 Luc. 5. ῥῆμα. In verbo tuo laxabo rete, ἐπὶ τῷ ῥήματι οὐκ. Sic pas-
 Luc. 9. sionis Christi predictionem quum necdum intelligerent di-
 Luc. 18. scipuli, ait Lucas, *Ipsi ignorabant verbum hoc*, ἠγνόουντο ῥῆμα
 τῆτο : & iterum, *Et erat verbum hoc absconditum ab oculis*
eorum, καὶ ἡ τὸ ῥῆμα τῆτο κρυπτόμενον. Plurima & frequentia
 sunt huius rei exempla. Sanè ne quisquam dubitaret τὸν λόγον
 καὶ τὸ ῥῆμα promiscuè & pro eodem accipi, & vtrunque tam
 sermonem compositum quam simplex verbum denotare,
 D. Ioannes Græcè scribens eodem in capite de re eadem lo-
 quens vtroque verbo vtitur. *Verba que dedisti mihi, dedi eis,*
 τὰ ῥήματα ἃ ἐδίδονάς μοι. & paulò post : *Ego dedi eis sermonem*
tuum, ἐγὼ ἐδίδονα αὐτοῖς τοῦ λόγου οὐκ. Calvinus igitur perinde
 ac si solis pueris scriberet, vocabulorum ignavis, ita in rebus
 grauissimis lectores suos ludificat. Sequitur adhuc maior
 hominis impudentia. *Verùm ut demus aliquid probabile se-
 quitos esse, negari tamen non potest quin Sermo longè melius
 conueniat. Vnde apparet quàm barbaram tyrannidem exer-
 cuerint theologastri, qui Erasmus adedè turbulente vexarunt
 ob mutatam in melius vocem unam.* Hæc ille. Sed hinc ve-
 rè apparet quàm barbaram insolentiam exerceat Calvinus,
 qui ex simplici sua affirmatione, nec vel minima reddita
 ratione, cur mutari illa vox debuerit, tam citò, tam fortiter,
 tam insolenter concludit, & studium sacræ veritatis tyran-
 nidem, doctissimos theologos theologastros, impostor vo-
 cat. Nos verò rationes suprâ adduximus cur Verbum hoc
 loco melius conueniat quàm Sermo. Nec sine firmis & bo-
 nis rationibus in propositione longè diuinissima mutari quic-
 quam debuit.

Beza noua
 versio tey-
 citur.

Erasmî audaciam à Caluino approbatam sibi quoque li-
 cere existimans Beza, nec verbum, nec sermonem, sed pre-
 missum Dei vertendum putat. De qua vanitate multum disse-
 rere, alia vanitas foret. Fingit Ioannem pro voce Chaldaica
 ܕܠܘܘܘܢ hoc loco posuisse : vocem autem illam Chal-
 daicam

dicam pro $\alpha\alpha\alpha$ sapissime positam, promissum à Deo semen seu Messiam significare. Cæterum in Ioanne Syro, non illa vox legitur, sed $\alpha\alpha\alpha$, quæ semper in nouo testamento respondet verbo $\lambda\omicron\gamma\omicron$. Ita dum aliquid singulariter sapere Beza vult, non nisi suam prædit insipientiam, ne dicam impietatem: quia non in principio erat Messias aut semen illud promissum, quod post multa secula in plenitudine temporis venit, sed in principio erat $\delta\lambda\omicron\gamma\omicron$, verbum Patris. Sed & ipsa seminis promissio non fuit in principio, sed post hominis lapsum. Cur autem Ioannes potius dixit, *Verbum* quàm *Filius*, 4. causas assignat Basilius. Prima est, vt filium Dei ex mente Patris productum intelligamus, & hæc est præcipua & propria: quam etiam assignat Cyrillus Theaur. lib. 7. cap. 1. & Gregor. Nazianz. orat. 4. Theolog. & August. de Trinit. lib. 7. cap. 1. Secunda causa est, vt significetur filium Dei sine motu processisse. Tertia, quia imago est genitoris totum in se monstrans genitorem, sicut verbum nostrum totius cogitationis nostræ imaginem refert. Quarta est, vt consubstantialis Patri ostendatur. Verbum enim interius loquens (de quo hîc agitur) manet intra ipsam mentem producentem.

Gen. 1. 1.

1. Et verbum erat apud Deum.

QUINQUE admirabilia hæc breuissima sententia notat. Primò non fuisse Verbum transiens, sed cum Deo permanens: erat enim ab æterno apud Deum. Sic notat S. Hilar. lib. 2. de Trinit. Secundò quòd hoc verbū erat intra Dei substantiam, & ipsamet eius natura. Nihil enim apud Deum & Deo coæternum quod non ipse sit Deus. Sic Epiphan. colligit her. 93. Tertiò quòd sit distincta persona. Nemo enim testè apud se esse dicitur. Declarat hoc pulchre D. Basil. in homilia super hæc verba. Quartò quòd à Deo hoc verbū processerit, non ab Angelo aut vlla creatura. Declarat hoc Tertull. in lib. aduersus Praxeam. *Et si (inquit) Deus verbum, tamen non Deus apud verbum, sed verbum apud Deum: quia ex Deo Deus, & ex Patre Filius.* Vbi & noua Caluini hæresis refellitur, qui Filium, quatenus Deus est, ex seipso esse, sublato personæ respectu, erranter affirmat. Quintò æqualitas verbi cum Deo demonstratur, vt docet Gregor. Nyssenus homil. de fide, *Apud Deum* significat quòd nihil desit Filio in comparatione Patris. Si enim aliqua perfectio verbo deesset, non verè diceretur esse apud Deum.

Homil. 16.

Institur. lib. 1. c. 13. num. 25.

I. *Et Deus erat Verbum.*

EST conuersa locutio: Et hoc verbum erat Deus. Ita Verbi diuinitas propria & naturalis cōtra Arianos manifestè asseritur. Vide August. de doctrina Christiana lib. 2. cap. 2. Pulchre Ambrosius ex tribus his sententiis tres pestilentissimas hæreses refutati docuit. *Omnes (inquit) hæreses hoc capitulo breui piscator noster exclusit. Quod enim erat in principio, non includitur tempore, non principio præuenitur: ergo conuertescat Arius. Quod autem erat apud Deum, non commitione confunditur, sed manentis verbi apud Patrem solida perfectione distinguitur, vt Sabellius obmutescat. Et Deus erat verbum. Non ergo in prolatione sermonis hoc verbum est, sed in illa celestis designatione virtutis, vt consuetetur Eotinus.*

Lib. 1. de fide cap. 5.

9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum.*

Lux vera quæ sit.

DVplex hęc difficultas est: vna quæ sit lux vera, altera quæ hęc illuminatio & qualis intelligatur. Lucis veræ nomine alij Deum Patrem intelligunt, vt Ambros. de fide contra Arian. cap. 3. alij de Filio seu Verbo vt Athan. in orat. quod Deus ex Deo est verbū; Gregor. Nazianz. in orat. de fide; Cyrill. lib. 1. in Ioan. cap. 8. Chrysostr. homil. 6. in Ioan. alij totam Trinitatem, vt idem Nazianz. in orat. 5. de Theologia. Secunda expositio est iuxta literam, cūm citra vllum dubium de eadem luce hæc verba dicantur cui Ioan. testimonium perhibuit. Illuminatio intelligenda est non naturalis, sed supernaturalis, quæ fidei est, vt August. tract. 2. & Chrysostr. homil. 7. in hunc locum exponunt. Lux enim, quam filius Dei incarnatus attulit, est illa, quæ ad redemptionem nostram pertinet de qua infra dicit, *Ego sum lux mundi*, cap. 3. & 12. & *quam tenebræ non comprehenderunt*, id est, quam increduli non receperunt. quum lux naturalis rationis ab omnibus comprehendatur. Ergo filius Dei incarnatus omnes per gratiam illuminat, & omnibus lucet, quantum ex se est, vt in hunc locum Chrysostr. quem sequitur D. Thom. lib. 3. cap. 159. contra Gentes, & D. August. tradit in lib. ad articulos falsō sibi impositos art. 2. & de Gen. contra Manich. lib. 1. cap. 3. & Retract. lib. 1. c. 10. & post eum Prosper de vocat. Gent. lib. 2. cap. 24. & 16. Caluinus, quum fateatur lucis nomine Christum intelligi, illuminationem tamen non nisi de communi natura luce, quæ longè

Illuminatio quæ.

infra

infra fidem subsedit, intelligi vult: & eos qui ad illuminationis gratiam hæc verba accommodant, fanaticos vocat, homo ipse fanaticus, & apertæ textus consequentiæ arroganter reluctans. Nec quia hanc illuminationis gratiam omnibus æqualiter offerri quidam erranter docuerunt, propterea omnibus illam pro loco & tempore dari negare necesse est; quum hoc ipsa Evangelistæ verba clarè affirmare videantur, illud in Evangelistæ verbis aut in aliis Scripturis nusquam appareat.

12. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt, &c.*

MAGNUM negotium hæc verba Interpretibus dederunt; Mædè vt decem variæ expositiones huius loci legantur.

Dux tamen primariæ sunt, quæ quasi pro victoria concertant.

Vna eorū est, qui potestatem hoc loco nihil nisi dignitatem

& præstantiam significare oportere acerrimè contendunt:

altera eorum qui potestatem pro libera facultate & potentia

à Deo data exponunt. Prior placet Cornelio Iansenio, & eam

acerrimè tuentur Calvinus & Beza hoc loco, freti Græco vo-

cabulo. *ἔξουσιαν*, quod dignitatem & præstantiam in Scripturis

frequenter significat. Cæterum aduertere ijdem debebant, eod-

em vocabulo potestatem propriè dictam, id est, liberam fa-

cultatem & potentiam aliquid agendi, non minus frequenter

significari. Dedit eis potestatem super spiritus immundos, id

est, facultatem eiiciendi ea. *ἀλωαίω νου ἔξουσιαν κατὰ πνεύματα*

no. Dedit seruis suis potestatem cuiusque operis: id est, liberam

potestatem quodlibet opus faciendi: τὸν ἔξουσιαν πάντων ἔργων.

Dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, *ἔξουσιαν ἔρειψαι*

super. Et apud ipsum postea Ioannem, ἔξουσιαν ἔχει, potestatem

habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum

sumendi eam. Quis negabit potestatis vocabulo liberam hinc

in Christo facultatem designari? Rursum: Nō est vestrum nos-

se tempora & momenta, quæ posuit Pater in sua potestate, ἐν τῇ

ἰσχύϊ ἑαυτοῦ: id est, in sua libera dispositione. Et iterum: Nōne

manens tibi manebat, & venundatum erat in tua potestate?

ἢ οὐκ ἔξουσιαν ἔωρθε; id est, in tua libera dispositione? Et apud

Paulum. Non habet potestatem figulus lutī ex eadem massa fa-

tere aliud vas in contumeliam, aliud in honorem? οὐκ ἔχει ἔξουσιαν.

Rursum. Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessita-

tem, potestatem autem habens sue voluntatis, &c. ἔξουσιαν

ἔχει ἔνδρα δυνάμει. Et paulò post. Videte ne hæc licentia

Potestās fieri filios Dei quid significat

Mattho 9^o

& 10.

Luc. 9.

Mar. 13.

34.

Luc. 10.

Ioan. 10.

Act. 1.

Act. 5.

Rom 9.

1. Cor. 7.

17.

1. Cor 8. 9.

vestra, ἡ ἐξουσία ὑμῶν, offendiculum fiat infirmis. Quis dubitare potest, his omnibus in locis vocabulum, ἐξουσία, pro libera facultate & potentia accipi? Imò apud auctores prophetanos ἐξουσία proprie licentiam & nimiam libertatem denotat, unde *Act. 13. 46*. Chrysostomus igitur Doctor Græcus, vocabuli Græci proprietatem assecutus, ita in hunc locum scribit.

Homil. 9. in Ioan. Declarare voluit Evangelista, fidei gratiam non temere neque sine labore nostro in nos infundi, sed quam ipsi volumus, cum eam inquirimus. In nostra enim potestate est, filios Dei fieri. Quippe nisi primum ad eam accipiendam promptum animum exhibeamus, neque diuinum ad nos munus accedit, neque quicquam in nobis operatur. Ubique igitur non violentum, non coactum, sed voluntarium penitus & liberum nobis ostendit arbitrium, quod & hoc loco significauit. In ipsis enim arcanis & supernis bonis, Dei quidem est dare gratiam, hominis autem fidem exhibere seu consentire. Eandem credendi libertatem non naturalem sed diuinitus datam ex his verbis docet S. Augustinus. In potestate (inquit) hominis est mutare voluntatem suam in melius. Sed ea potestas nulla est nisi à Deo detur, de quo dictum est, Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Rursum alio in loco, Datur potestas ut filij Dei fiant qui credunt in eum, cum hoc ipsum datur ut credant in eum. Qua potestas, nisi detur à Deo, nulla potest esse à libero arbitrio, quia liberum in bono non erit quod liberator non liberauerit. Hæc ille. Sic in lib. de Spiritu & lit. cap. 30. & seq. probat fidem esse in potestate hominis, quia hanc potestatem Deus dedit. Intelligit ergo D. Ioannes potestatem dari qua fiant filij Dei, quia datur gratia & libera facultas, unde ex filiis iræ fiant filij Dei.

Sed huic sensui valde repugnare videtur quòd dicat Evangelista, illis qui iam receperunt Christum, datam hanc à Christo potestatem esse ut fiant filij Dei: & postea, his qui credunt in nomine eius. Ad quæ verba Calvinus. Potestatem (inquit) dari Evangelista pronuntiat iis qui iam credunt. Atqui certum est re ipsa iam esse filios Dei qui credunt. Non ergo potentiam aliquam aut facultatem, sed præstantiam & dignitatem potestatis hoc loco significat. Sed satisfacit aliquo modo huic difficultati D. Thom. in com. in hunc locum, qui Augustinum sequitur, exponit potestatem dari recipientibus Christum & credentibus in eum, non postquam receperunt & crediderunt, sed antequam eum receperunt & crediderunt, ut illa verba Quotquot receperunt eum & Qui credunt in nomine eius, data potestatis fieri filios Dei non subiectum, sed effectum si-

gnificent. Datam enim potestatem significat vt recipiendi Christum & credendi hanc filij Dei, quia filiationis huius adoptiue principium fides est, sicuti eius perfectio charitas est. Atqui vt illa eadem verba pro subiecto potestatis datæ accipiamus, & iam credentibus in Christum hanc potestatem datam intelligamus, potestas nihilominus hoc loco facultatem quandam & potentiam significabit, quam iam credentes accipiant vt fiant filij Dei. Nempe vt fiant filij Dei perfecti quoad omnem cultum & obsequium Deo præstandum. Quem sensum pulchre tradit S. Augustinus his verbis.

Hic transeant qui ex lege sunt, vt ex seruis filij fiant: nec sic tamen vt serui esse desistant, sed vt tanquam filij Domino & Patri liberaliter seruiant, quia hoc acceperunt. Dedit enim potestatem ille vnicus filios Dei fieri credentibus in nomine eius.

Hæc ille. Hic sensus sublimis est, & valde genuinus ac germanus videtur, & aliquid propriū credentibus in filium Dei iam incarnatum designat, quod hoc loco docere voluisse Evangelista videtur. Tamen enim veteres iusti credentes in Christum venturum, & ex Dei gratia legem seruantes, filij Dei indubiè erant, tamen non habebant statum filiorum Dei.

Adhuc paruuli erant, & sub tutore ac pedagogo (vt Paulus ad Gal. 4. docet) sub ceremoniis legalibus, & in statu hominum, ex timore seruientium. Hæredes quidem erant & domini omnium, sicut filij noui testamenti, non tamen habebant statum filiorum Dei, statum libertatis, sed statum seruitutis & paruulorum. Nunc autem quotquot recipiunt verbum incarnatum, & credunt in nomine eius, transeunt à lege, vt docuit August. non sunt amplius serui, sed filij, statum libertatis, statum filiorum Dei acceperunt. Ideo subiunxit Ioan. *Qui ex Deo nati sunt*, quod mox cap. 3. latius explicabitur. Quam distinctionem iterum Paulus docuit, dicens.

Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba Pater: id est, in quo facti filij Dei, Deum & Patrem inuocamus, eique liberaliter seruiamus.

Hæc est potestas & facultas eximia credentibus in Christum data, quæ quidem magna præstantia ac dignitas est, vt docet S. Greg. homil. 6. in Ezech. sed est etiam facultas & potentia gratiæ singularis, ipsius imprimis charitatis, qua accepta sunt credentes filij Dei: de qua alibi idem Ioannes dixit.

Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus.

Quibus ita explicatis, Caluini petulantia facilè retun-

De Spir.
& lit. c. 31.

Habere
statum filiorum Dei.
proprium
potestati à Christo data.

Rom. 8.

1. Ioan. 3.

ditur. *ἰστίαν* hoc loco (inquit) praestat dignitatem vertere, ad refellendum Papistarum commentum. Hunc enim locum pessimè corrumpit, quia intelligunt optionem tantum nobis dari, siquidem hoc beneficio uti libuerit. Ita liberum arbitriū ex hac voce tanquā ignem ex aqua eliciunt. Habet hoc prima specie aliquid coloris, quòd Euāgelista non dicat Christum facere filios Dei, sed dare potestatem ut fiant. Hinc ergo colligunt, nobis gratiam hanc solum offerri, in arbitrio nostro esse eius fruēda vel respuēda facultatem. Hæc ille, Cui primū respondemus, si Euāgelistæ verba aliquid coloris habent ad probādā liberum arbitriū, insulsa fuit illa amplificatio ex verbis Euangelistæ liberū arbitrium tanquā ignem ex aqua nos elicere. Quid enim hoc coloris habet, & ex aqua ignis elici queat? Vbi ergo nō aperta contradictio, sed tanta probabilitas apparuit, ut ipsam probabilitatem aduersarius ipse proximis verbis agnosceret, magni impostoris erat apertam contradictionem proclamare. Deinde respondemus, non Papistarum commentum aut corruptelam, sed doctissimorum Patrum, quorum verba citauimus, acerrimū iudicium esse, ex his Euāgelistæ verbis liberū arbitrium stabiliri. Tertio respondemus mentiri Caluinum quum ait intelligete nos, *optionem tantum nobis dari, si beneficio gratia uti libuerit*. Dicimus enim cum Euangelista, potestatem & facultatem nobis à Deo dari qua velimus fieri filij Dei; ipsūque adeò velle, & liberrimè velle, per hanc potestatem nobis conferri: *Hanc dicimus potestatem* (ait Augustinus loco citato) *ubi voluntati adiacet facultas faciendi. Vnde hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult facit si non vult non facit*. Hæc ille, moxque probat, ipsam credere seu fidem habere, & fieri filios Dei, in nostra potestate esse, quia hanc potestatem Deus nobis dedit, ut ex his Euangelistæ verbis probat. Potestatem ergo intelligimus non optionem tantum si volumus, sed efficaciam ut velimus: quæ volendi efficacia, volendi libertatem non tollit sed statuit, non impellit sed adiuuat. Talis quippe efficacia est, ut si volumus facimus, si non volumus non facimus, id est, ut libera electione faciamus. Audiamus nunc tamen quomodo quod hactenus affirmavit Caluinus, prober. *Sed hoc* (inquit) *frivolū unius vocis aucupium contextus euertit. Nam continuo post subiicit Euangelista fieri Dei filios non propria carnis voluntate, sed quum ex Deo nascuntur. Quasi verò liberū arbitrium Dei gratia alitum, sit carnis voluntas, aut electio carnalis, & non electio planè spiritualis, quæ à Spiritu Dei ortum capit*

Caluini
perulantia
retaditur.

De Spir.
& lit. c. 30.

aut quasi facultas liberi arbitrij quæ hîc statuitur, sit facultas
 carnis, & non potestas à Deo data, vt contextus habet: ita in
 media luce lectoris sui oculos fascinare se posse cõfidit Cal-
 uinus. Videamus sequentia. *Quod si fides nos regenerat vt si-
 mus filij Dei, & eam cælitus inspirat Deus; aperte constat non
 potentialiter tantum à Christo nobis offerri adoptionis gratiam,
 sed ipso actu, vt loquuntur.* Hæc ille. Non fides nos regenerat,
 vt simus filij Dei, sed Deus per fidem vt regenerationis prin-
 cipium nos regenerat, vt simus per charitatẽ filij Dei, & hæc
 quidem fidem Deus inspirat; *Dei enim donũ est, non ex nobis;* Ephes. 2.
 sed sic inspirat, vt nisi volentes non credant, ideòque in po-
 testate hominis sit accepto fidei dono credere vel non cre-
 dere. *Vide (ait Augustinus) vtrum quisque credat si noluerit,
 aut non credat si voluerit. Quod si absurdum est (quid est enim
 credere, nisi consentire verum esse quod dicitur? consensio autem
 vniuersique volentis est) profectò fides in potestate est. Sed non est po-
 testas nisi à Deo.* De Spiritu
& litera
cap. 10.
*De ipsa igitur fide verè dicitur; Quid habes
 quod non accepisti? Nam vt credamus, Deus dedit. Nusquam
 autem legimus in sanctis Scripturis, Non est voluntas nisi à Deo.*
*Et rectè non scriptum est, quia verum non est. Alioquin etiam
 peccatorum, quod absit, author est Deus, si non est voluntas nisi
 ab illo. Vnde intelligimus malos accipere potestatem malefa-
 ciendi ad damnationem mala voluntatis sua, bonos autem ac-
 cipere potestatem credendi ad probationem bonæ voluntatis sua.*
 Hæc Augustinus. Sic ergo fides cælitus inspiratur, vt quam-
 vis ex dono Dei actu credamus, hoc tamen donum potentia- Liberum
arbitrium
cum Dei
gratia.
 litati non repugnet, nec liberam credendi & nõ credendi po-
 testatem auferat, sed contrà hanc nobis potestatem tribuat,
 vt liberè credamus. Vtrumque vidit & docuit Augustinus:
 Deum facere vt credamus, & ipsum actu credere à Deo esse,
 Hoc tamen Dei opus in nobis potestatem credendi liberam
 à nobis non tollere, sed contrà hoc Dei opus hanc liberam
 credendi potestatem nobis conferre. Sicut Pelagius dicebat, Epist. 107.
*Si est Dei gratia, non est liberum arbitrium; sic è diuerso Cal-
 uinus censet, Si est liberum arbitrium, non est Dei gratia.*
 Vtrumque contra Pelagiũ docuit S. Augustinus. Vtrumque
 contra Calvinum, omnesque alios hæreticos, docet Ecclesia
 Catholica. Dei gratia facit vt credamus, quia adiuuat vt cre-
 damus; nec sine adiutorio gratiæ possumus credere. Lux fa-
 cit vt videamus, quia adiuuat visum; & sine præsentia lucis
 oculus non videt. Oculus tamen seipsum claudere potest
 vt non videat; & licet potestatem videndi imò & actum
 ipsum

Vide D.
Bernardū
in tract. de
gra. & lib.
arbitrio.

ipsum à luce accepit, tamen potestatem non videndi nō amittit. Sed sicut ad actum videndi duo concurrunt, lux affulgens & oculi apertio, idque ita vt totus ille actus tum luci tum solo tribuatur, nec partim lux partim oculus faciat videre, sed vtrumque coniunctim; sic ad actum credendi duo concurrunt, Dei gratia illuminans, excitans, & pulsans ad ostium cordis, & ipsum cor per illam gratiam aditum seipsum aperiens, idque ita vt actus ille credendi totus sit ex gratia, & totus ex libertate cordis seipsum mouentis & aperiens. Quam ob causam hanc Dei gratiam, potestatem hoc loco & facultatem quandam supernaturalem homini datam *ἰσχύω* hoc *δύναμις* Euangelista appellat: & frustra Calvinus proprium vocabuli sensum inuertere conatus est.

14. Verbum caro factum est.

Sex hæreses refutatae.

Variæ hæreses hac parua sententia refutantur, sed sex imprimis. Prima Cerinthi, & eorum qui putum hominem Christum ponunt, nec ante existentem quam natus esset ex virgine. De Christo enim dicitur. Verbum quod erat apud Deum in principio, homo factus est. Non ergo putus homo, sed Deus & homo Christus erat. Secunda Nestorij, qui duas personas in Christo posuit. Si enim duæ persone sunt in Christo, fieri non potest vt homo sit Deus aut Deus sit homo; sicut vna persona non potest prædicari de altera: & sic verè nō diceretur verbum factum esse carnem. Tertia Manichæorum, qui veram in Christo carnem negauerunt. Si enim non fuit in Christo vera caro: sed apparens & ficta, falsum erit, *Verbum caro factum est*. Quarta Eunomij & aliorum quorūdam, qui voluerunt hoc loco verbū improptiè accipi pro eo quod Deus per aliam loquitur, non pro eo per quod Deus intelligit, sibi que internè loquitur. Sed sic dicendum erat, Verbum factum est ad carnem vel carni, & non, Verbum caro factum est, vt argumentatur Ambros. lib. de Incarnat. Domini cap. 6. Quinta hæresis Valentini, qui corpus Christi substantiæ celestis fuisse aiebat: quam hæresim, vox illa, Caro, aperte refutat. Sexta Eutycheis, qui post vñionem nisi vnā in Christo naturam ponebat. Sed vox *factum est*, vñionem signat duarum naturarum quæ integræ manent. Nisi enim essent integræ, nec verbum erit caro, nec caro verbum.

Varia hæreses ex praua intelligentia.

Rursum ex horum verborum praua intelligentia quædam insignes hæreses exortæ sunt. Arius assererat verbū carnem

solum

Solam assumpsisse, non animam; quia dicitur, *Verbum caro factum est*, & non, *Verbum homo factus est*. Sed carnem pro toto homine synecdochicè accipi more Scripturarum, & alibi animam humanam Christum habuisse, vt Ioan. 10. & 12. & Matth. 27. patet; nec fieri posse quin qui ad naturam nostram sanandam venit, animam imprimis, quæ maximè indigebat sanitate, assumeret, Doctores respondent. Apollinaris aiebat verbum assumpsisse animam tantùm sensitiuam, quæ carni est propria; non autem rationalem, quam aiebat à diuinitate suppleri. Sed eisdem Scripturis refutatur quibus Arius; & hoc maximè argumento vterque, quia secundum illos Christus non fuisset homo. Cur igitur non dixit, *Verbum homo factum est*, sed, *Verbum caro factum est*? Tres causas assignat Toletus in hunc locum valde aptas & accommodatas. Vnà est, vt in hac admirabili coniunctione extremorum distantia magis exprimeretur. Nam in verbo non potest intelligi nisi intellectualis natura. Ideo non dixit filius, sed verbum. Caro, quum sit rota sensibilis, est alterum extremum remotissimum. Secunda ratio, vt ipsa coniunctio perfectius innotesceret. Verbum homo factus intelligi potuit quoad animam tantùm: sed verbum caro factum, quum quod minus hominis est includat, dubitandi locum non relinquit, quin quod in homine excellentius est, animam scilicet, sibi intuerit. Tertia causa est, quia quum homo in Scripturis non vocetur caro nisi post peccatum & propter peccatum, Evangelista vt finem coniunctionis huius notaret, qui erat peccatores saluos facere, signanter dixit, *Verbum caro factum est*.

16. *De plenitudine eius accepimus omnes, gratiam pro gratia.*

Nobilissima hæc sententia vt maximum incarnati filij Dei beneficium tradit, ita aliquam in verbis difficultatem habet. *Plenitudo* est ipsa diuinitas Verbi vnita humanitati, de qua Paulus Coloss. 2. *In quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter*. Est etiam gratia increata Christi ex vnione diuinitatis in humanitatem deriuata, quæ vt fons quidam in ea residet, vnde in omnes Christo per fidem vnitos diffunditur. Quicquid enim spiritualis gratiæ ab orbe condito in homine post lapsum fuit, per fidem in Christum data fuit, quod vox: *Omnes*, significat, & in ea voce Ioannis seipsum omnèque veteres iustos comprehendit. Vnde & Paulus ad Ephes. 1.

Incarnati filij Dei beneficium.

Qui

Qui benedixit nos in omni spiritali benedictione in caelestibus in Christo, id est, per Christum. Verbum accepimus, ostendit spirituales gratiam ex Christi plenitudine in nos derivatam, verè nobis esse inhaerentem, & non imputatam, ut volunt haeretici. Quam enim gratiam accepimus, eam habemus & possidemus ipsimet. *Gratiam pro gratia*, varij variè exponit. Sed literalis sensus totius sententiæ congruens hic est: Pro gratia quæ in Christo redundanter & exuberanter fuit, nos gratiam accepimus pro mensura & modulo nostro, & sic ex plenitudine eius omnes accepimus. Quia Christus gratus fuit Patri, & plenus gratia ac veritatis, potuit ille nos Deo gratificare, & varia gratiarum dona nobis promereri: & quod potuit, fecit. *Gratificavit nos* (ait Paulus) id est, gratia replevit, ut ex verbo *ἐκπλήρωσεν*, quo Paulus utitur, optimè deducit Chrysostomus, *in dilecto filio suo*. Et alibi apertius. *Multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Iesu Christi, in plures abundavit*. Docet gratiam Dei & donum in multos abundare, *ὡς ἡ ὕδωρ*, propter gratiam unius Christi. Sic gratiam pro gratia accepimus. Calvinus *hic eorum se sententia subscribere dicit, qui nos irrigari dicunt effusis in Christum gratijs, quia hæc est unctio qua Christus delibatus fuit, ut nos secum omnes ungeret: unde & ille Christus vocatur, nos Christiani*. Hæc ille, inhaerentia planè nobis gratiarum dona agnoscens, quia & irrigari nos & ungi gratiarum donis faceret. Sed & ad illud verbum Pauli ad Rom. 5. citatum sic scribit. *Donum est fructus misericordia seu gratia Dei, quia ad nos pertinet. Nempe reconciliatio, iustitia, vite novitas, & quicquid simile est*. Per gratiam unius Christi exponit, *quia ex eius plenitudine omnes hauriunt, & ex sua abundantia Christus in nos transfundit*. Quæ iterum inhaerentem nobis per Christum iustitiam docent. Neque enim haurit, nisi qui accipit & possidet. Nec quod in aliquem transfunditur, extra illum est, sed in illo. Beza hoc loco de illa gratia Evangelistam loqui vult, *qua in homines est effusa per Christi predicationem*. Quasi hæc de doctrina ageret Evangelista, & non de illa gratia quæ doctrinæ opponitur; quod verba proximè subsequenti manifestum faciunt. *Lex enim per Moysen data est, gratia autem & veritas per Iesum Christum facta est*. Nomine legis totam doctrinam complectitur. Gratiam illi opponit quæ per Christum facta est, non à Christo prædicata est. Facta est illa gratia per Christum non docendo, sed spiritum suum in corda nostra mittendo. *Misit Deus spiritum filij sui in corda vestra*

Iustitia inhaerens

Ephes. 1.

In comment. ibidem. Rom. 5.

Veritas à Calvino extracta.

Beza corruptela.

Galat. 4.

clamant

clamantem, id est, clamare facientem, *Abba Pater*, id est, quæ facit vos Deum diligere vt patrem. Itaque iam non estis serui, sed filij. Idem Beza ad verba Pauli ad Rom. citatâ, in verbo quidem *χρῆμα* & ludit, vt beneficium illud notet, quod Deus Christi iustitiam nobis imputat, & sic gratificat nos in Christo (quod eius figmentum in caput ad Rom. 5. latè refurauimus) sed de verbo *χάρις*, de gratia Christi, & dono per gratiam Christi in nos redundante, nihil prorsus impostor dicit. Ita quando corrumpere Scripturas nequeunt, omnem ipsarum tractationem callidè prætermittunt.

17. Gratia & veritas per Christum facta est.

Gratia per Christum facta est (ait Augustinus) vt data *Cōtra Fau*
Indulgentia peccatorum, quod in legē præceptum erat, ex sum lib.
 Dei dono custodiretur. Duo dicit per Christum facta, remis- *22. cap. 6.*
 sionem peccatorum, & gratiam implendi legem. Vtriusque
 sanè tota Trinitas author est. Sed hæc per Christū facta dicitur,
 quia solus Christus hæc duo nobis promeruit, obtinuit,
 procurauit. Designatur hic causa instrumentalis diuinitati
 coniuncta. Vtrumque etiam hoc verbo gratiæ comprehendi
 agnoscit hoc loco Calvinus. *Gratia* (inquit) *nomen genera-*
liter accipio tam pro remissione peccatorum, quàm pro renoua-
tionē cordis, denique quicquid ad spiritualem iustitiam spectat.
 Eius autem dua sunt partes: quod gratis se nobis Deus cōciliat,
 & quod legem suam cordibus insculpsit iuxta Hierem. *verba*
cap. 31. vers. 31. ac intus per Spiritum suum in illius obedientiam
homines reformat. Hæc ille. Quæ valde notanda sunt. Dux
 enim Caluini hæreses hac explicatione euertuntur. Impura-
 tiua iustitia, & mandatorum obseruatio nemini possibilis.
 Nunc enim præter remissionem peccatorum agnoscit spiri-
 tualem iustitiam in cordis renouatione positam, & per hanc
 renouationem ad legis obedientiam corda reformari. Hoc
 effecit huius loci euidencia, quæ fucum non admittit.

*Caluina-
na hæreses
ex ipso Cal-
uino resu-
tata.*

19. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

Vocat Christum agnum Dei, quasi victimam singularem
 à Deo datam, non vt agnum Paschalem, aut agnum qui
 quotidie mane ac vespere offerebatur, qui peccata tollere non
 poterat, sed vt agnum illum qui *sicut ovis ad occisionem*
ductus

Peccata
dupliciter
tollit Chri-
stus.

1. Ioan. 3.

Beza Cal-
uinum cor-
rexit.

ductus est, & coram tendente se obmutuit, Esaia 53. & Hierem.
11. Tollit peccata mundi, partim expiando illa per modum
sacrificij, & pœnas illis debitas exolueno, partim ab eius
seruitute liberando, quæ est propria gratia huius agni. In hoc
enim apparuit, ut dissoluat opera diaboli, quæ sunt peccata.
Hanc gratiam hoc loco Calvinus negat. *Christus* (inquit)
peccata nostra ferendo aufert. *Quamuis* ergo peccatum in no-
bis perpetuò hæreat, tamè, quoad Dei iudicium, nullum est, quia
abolitum Christi gratia nobis non imputatur. Hæc ille. Sic in
sensu Caluini, Christus re vera non tollit, sed tolerat, nec au-
fert, sed fert peccata mundi: quia illa perpetuò hætere per-
mittit, & manent semper, sed non imputantur. Quare hanc
absurdam & impiam deprauationem correxit ipse Beza. Agni
(inquit) vocabulo significatur sacrificium, cuius sanguine dele-
to chirographo expiamur. Tollendi vocabulo naturalis illius
labris ac macula sublatio designatur, quum Christo per bap-
tismum insitis nobis vetus homo moritur, & nouus induitur. Illud
ad iustificationem, hoc ad sanctificationem pertinet. Hæc Be-
za, magistri sui pestilentem doctrinam rectissimè corrigens.
Aliam nunc corruptelam ponit Calvinus. *Quia vnus* (inquit)
Christus tollit peccata, omnes humane satisfactiones, piacula
omnia, & redemptiones euertuntur, ut certè nõ nisi impia com-
menta sint diaboli astu inuenta. Sed non aduertit impostor
impious duo. Primò, Christum vt causam vniuersalem tollere
omnia peccata: alias autem esse causas particulares per quas
illa vniuersalis applicatur, vt vel ipsa Sacramenta gratiæ, vel
necessariam cuiusque dispositionem. Secundò, satisfactiones
pœnitentium non adhiberi quasi peccati redemptiones aut
piacula, vel quoad culpam, vel quoad pœnam æternam, sed
vel quoad pœnas tēporales adhuc peccato debitas exoluen-
das, vel quoad ipsius peccatoris necessariam quandam medi-
cinam & correctionem. Quæ propterea omnes à tota anti-
quitate diligentissimè inculcatæ, non astu diaboli hodie in-
uentæ, sed astu & nequitia diaboli ab hereticis eius ministris
hoc tempore agitatæ & explosæ fuerunt.

32. *Vidi Spiritum sanctum descendentem quasi
columbam de celo.*

VEteres quidam hæretici hoc loco abusi sunt, vt Cerin-
thus & Arius, teste Epiphanio her. 28. & Athanasio orat.
2. contra Arianos: ille, quod Christus antea purus homo nunc
pri

ptimūm Spiritum S. acceperit, per quem postea miracula fecerit; hic quod nouam perfectionem secundū naturam diuinam à Spiritu S. acceperit. Vtraque hæresis refellitur per illa verba prius verificata, *Verbum caro factum est*. Nam sic antea Deus erat; & Deo nulla accedere perfectio potest. Factus est ille descensus, vt accepta prius plenitudo gratiæ, hoc signo manifestaretur, non vt eam acciperet.

Abusus quoque hoc loco Calvinus est, qui Christi corpus non aliter sub vero pane adesse docet quā Spiritus S. sub specie columbæ aderat. *Quibus (inquit) oculis Spiritum videre Ioannes poterat? sed quia columba certum & minimè fallax presentie Spiritus symbolum erat, Spiritus metonymicè vocatur: non quod verè sit, sed quod ostendat quantum fert hominum captus. Atque hæc translatio trita est in Sacramentis. Cur enim Christus panem appellat corpus suum, nisi quia rei nomen aprè ad signum transfertur? præsertim ubi signum verum & efficax simul pignus est, quo certiores reddimur rem ipsam, que signatur, nobis præstare. Non tamen intelligas Spiritum columbæ inclusum fuisse, qui calum & terram implet, sed virtute fuisse presentem, vt sciret Ioannes non frustra oculis suis obijci tale spectaculum. Quemadmodum nos Christi corpus sumus non alligatum esse pani, sed eius tamen participatione fruimur. Hæc ille. Cui stultæ similitudini paucis respondeo. Si Spiritus S. qui vbique est, non esset verè præsens in illa columba, seu vera seu apparente; nec descendere, nec à Ioanne visa fuisse, vero sermone diceretur. Ergo si Christi corpus siue cum pane, siue in pane, siue in specie panis verè tangitur, manducatur, accipitur, debet esse verè & realiter præsens; alioqui falsum erit quod tangitur, accipitur, manducatur ibi Christi corpus. Sic hæc comparatio realem corporis Christi præsentiam, quam in solo cælo ponit Calvinus, necessariò & efficaciter demonstrat. Deinde nulla Scriptura dicit, Accipimus aut manducamus corpus Christi quasi panem, sicut hîc Ioannes dixit, *Vidi Spiritum descendentem sicut columbam*; nec de Spiritu S. prædicatur columba, sicut de eo quod Christus dixit, *Accipite, & manducate*, prædicatur corpus Christi. Quare iterum inepta est & insulsa ista Caluini comparatio. Deinde natura metonymiæ hoc habet, vt signum quidem pro re signata pronuntietur, vt arma pro bello, toga pro pace, laurea pro triumpho; non autem econtrà vt res signata pro signo efferatur, bellum pro armis, pax pro toga, triumphus pro laurea. Atqui Calvinus*

*Præsentia
corporu
Christi in
Venerab.
Sacramen
to.*

in sua metonymia non signum pro re, sed rem signatam pro signo à Christo effecti vult; vt dicens, *Hoc est corpus meum*, corpus esset pro pane significante corpus. Quare etsi hic esset aliqua metonymia vt columba signum esset descendens Spiritus qui verè non descenderet (quod planè falsum est) tamen comparatio eius locum non haberet. Hic enim poneretur signum pro re signata, columba pro Spiritu S. At in Christi verbis effectus corpus pro pane iuxta Calvinum, id est, res signata pro signo; quod est contra naturam metonymiæ: de quo plura apud Matth. diximus.

Matth. 26.

42. Tu vocaberis Cephæ, &c.

Cyri. lib.
7. cap. 12.
Chryso. st.
homil. 18.

Primateus
Petri.

Calvini
cauillatio-
nes in
sul-
sa.

Christus hic Simoni fratri Andreæ nomen nouum vel promittit, vt iudicant Cyrillus & Chryso. in hunc locum; vel nunc imponit, vt tenet August. de consens. Euang. lib. 2. cap. 17. & 53. & lib. 4. capite 3. (& prior sententia probabilior videtur) proprio tamen eius nomine retento. Vbi duo Christus significare voluit. Primum quòd in veteri nomine non murato cæteris Apostolis æqualis ac similis esset: alterum quòd nouo nomine superaddito super Apostolicam dignitatem primatum accepturus esset. Cephæ enim in lingua Syriaca significat non quemlibet lapidem, sed magnum lapidem, qualis in fundamento ponitur: quod etiam Christus ipse Matth. 16. expressit dicens eidem: *Tu es Cephæ, & super hunc Cephæm edificabo Ecclesiam meam*. Notandum quoque quòd Christus hæc verba illi dixit, *Intuitus eum*, id est, sicut supernaturali intuitu proprio nomine eum vocauit quem antea non viderat, patrique nomen adunxit; ita supernaturali intuitu futurum eius nomen ac potestatem nomine significatam prædicat. Sed hanc totam obseruationem literæ Euangelicæ inhærentem veritatis Euangelicæ hostis Calvinius putidis suis cauillationibus explodere conatur. *Ridiculi* (inquit) *sunt Papistæ, qui Petrum in Christi vicem substituant, vt sit Ecclesie fundamentum: quasi non ipse quoque in Christo cum reliquis fundatus sit*. Ridiculus nugator Calvinius est, qui hoc Papistis obiecat, quod nullus Papista dicit. Non enim Petrum in Christi vicem substituant, vt talis sit fundamentum Ecclesie quale Christus est, perinde ac si in Christo cum reliquis non fundaretur: sed vicarium illum esse fundamentum, ab ipso Christo suam semper Ecclesiam ædificante positum, iuxta manifestissima Christi verba

Matth.

Matth. 16. affirmant. Hæc si Calvinus non intellexit, *quæ ignoravit, blasphemat: si intellexit, cauteriata conscientia in hypocrisi mendacium loquutus est.* Addit adhuc Calvinus. *Bis autem ridiculi sunt, dum ex lapide Caput faciunt.* An non tantundem Iudæus aliquis contra Christianos garriet, qui Christum lapidem angularem *Caput super omnem Ecclesiam* esse prædicant? Planè enim sicut Christus lapis angularis, cui totum innititur ædificium, est hoc nomine caput & principium vitale totius Ecclesiæ; sic Simon factus à Christo petra & lapis fundamentalis, est caput Ecclesiæ vicarium à Christo constitutum. Aliquid pro Evangelica veritate dixisse hoc loco sibi visus est Calvinus, quòd Christus his verbis *futuram in Petro fidei constantiam, & gratiam inuictæ fortitudinis*, quam illi daturus esset, illi prædixerit. Sed hoc commentum Calvinianum, ipsamet Christi verba huius noui nominis sensum explicantia perspicuè euertunt. *Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam.* De robore ac fortitudine loquitur Christus non Petri personæ peculiari (in qua Paulus aliique Apostoli Petro inferiores non erant) sed respectu Ecclesiæ suæ super talem petram edificandæ, vt latius ad Matth. cap. 16. dictum est. Calvinus nihil attendit litera Evangelica, sed penitus despecta, suum substituit commentum in schismatis sui fauorem, qui huic Christi vicario lapidi adhærere recusat.

46. *Et dicit ei Nathanael: A Nazareth potest aliquid boni esse?*

Nathanael iste, verus Israelita, & in quo dolus non esset, rectus ac simplex ac timens Deum, & in Scripturis bene versatus ac doctus, vbi audiuit à Philippo, *quem scripsit Moyses in lege, & Propheta, inuentum esse Iesum à Nazareth*, tametsi iuxta Scripturas ex Nazareth, aut ex tota Galilæa, vt postea Nicodemo obiectum fuerat, venturum Messiam non meminerat, sed ex Bethlehém Iudæ, admiratur quidem & dubitat de testimonio Philippi, non tamen illud prorsus repellit, nec proteruè reluctatur. Multo se aliter habent nostri temporis hæretici, homines dolosi ac proterui, qui statim ac vnam voculam Scripturæ suo iudicio intellegunt & expositam nacti sunt, contemnant non vnum aut illiteratum hominem, qualis Philippus tunc erat, sed omnes Doctores, totam antiquitatem, totam Ecclesiam. Non

Iudæ cap. unico. 1. Tim. 4.

Ephes. 1.

Matth. 16.

Ioan. 7.

Hæreticorum fastus indocilu. Matth. 5.

talē testimoniū habent hæretici pro suis erroribus, quale habuit Nathanael contra ea quæ dicebat Philippus, & tamen pertinacissimè suum iudiciū Ecclesiæ toti præferunt. At bonus & simplex Nathanael à Christo laudatus, ignorantiam suam corrigi passus est, dicente Philippo, *Veni, & vide*. Ille ut in Messiam credere inciperet, docilem se præbet, ut quæque aliter ei sonare Scripturæ viderentur. Bonus Christianus ut à fide se abduci non patiatur, tametsi aliquid in Scripturis receptæ fidei aduersum appareat, docilem se præbere debet, ut veniat ac videat: nempe ad illam lucem quam Christus posuit ut homines videant, & quibus dixit, *Vos estis lux mundi*: ad Pastores & Doctores quos Christus dedit, ut ad veritatis agnitionem homines perducerent: non ad novos sectarios, Euangelij titulum præferentes, & obedientiam Euangelicam penitus violantes. Quo in genere multa ad hunc locum garrit Calvinus, ut exemplo Nathanaelis ad novos dogmatistas lectorem alliciat; cuius malis artibus ac technis hoc paruum antidotum opponere operæpretiū duxi.

*Matth. 5.
Ephes. 4.*

IN IOANNIS CAP. II.

4. *Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea.*

*Domin. 2.
post Epiph.*



*Mendaciū
Caluini
duplex.*

DE hac Christi responsione, quæ durius sonare, & repulsam significare videretur, in Prompt. Catholico latius egimus. Calvinus tamen hoc loco disputatio, quam illic non attigimus, excutienda nunc est. *Insignis (inquit) locus. Cur enim matri præcisè negat, quod liberaliter alijs quibuslibet rationes postea concessit?* Duplex hinc mendacium. Nec enim quod B. Virgo suggerebat, Christus præcisè negat, sed adhuc differendum insinuat: nec quod hinc B. Virgo petebat, alijs postea concessisse legitur. Ad prius quod attinet, si præcisè negasset, non reddidisset causam cur statim non faceret, dicens, *Nondum venit hora mea*. Imò hæc dicens, spem faciendi quod petebat matri dedit: quod illa rectè intelligens, monet ministros ut quodcumque dixerit illis Iesus, id faciant. Quare SS. Doctores affirmant ob matris intercessionem Christum hoc miraculum citius fecisse: Ambros. serm. 16. in Psal. 118. Cyrill. lib. 2, cap. 13, in Ioan. & Chrysostomus homilia 21. in hunc locum. Ad posterius quod attinet, aliorum quidem postea precibus sæpe concessit

concessit Christus quæ ad suam vel suorum salutem flebiliter postulabant. Sed huius generis beneficium, quod nec animæ nec corporis salutem concernebat, sed ad civilem quandam honestatem pertinebat, aliis postea concessisse non legitur. Pergit mentiri Calvinus. *Deinde cur simplici repulsa non contentus eam in vulgarem mulierum ordinem cogit, nec iam matris nomine dignatur?* Aliud hoc est mendacium, cum insigni blasphemia coniunctum. Mendacium est quod in vulgarem mulierum ordinem B. Virginem cogit Christus. Blasphemia est, quod Christus matrem suam matris nomine non dignatur. At (inquit) vocat illam mulierem, non matrem. *Quid mihi & tibi est mulier?* Itane verò, quia sic loquitur Christus, matris eam nomine non dignatur? Dic obsecro: Christus in cruce pendens, quum B. Virginem virgini commendavit, an matris eam nomine dignatus non est? an pro vera matre illam non habuit? aut matris nomine indignam censebat, quia eodem verbo usus dixit, *Mulier ecce filius tuus?* Quis non videt quum maximè suum erga illam amorem & curam filialem ostenderet, mulieris tamen vocabulo usum fuisse? An hinc quoque illam in ordinem coëgit? An non maximè illam honoravit, & filialem illi honorem atque amorem eo maximè articulo demonstravit? Impij Manichæi simili argumento vsi, B. Virginem veram Christi matrem fuisse pernegabant. Increduli Pagani eodem etiam argumento vsi Christum accusarunt ut parentis suæ contemptorem. Impius Calvinus heretico & pagano spiritu plenus, eodem argumento ludens, Christum matrem suam in ordinem coëgisse, nec matris nomine dignatū fuisse obloquitur. Atqui quod eam mulierem vocat, nihil quàm communem ac receptum tunc loquendi modum sequutus videretur. Certum est ex aliquo contemptu non eo usum vocabulo, quum in Cruce eodem usus fuerit, ubi summi amoris illustre testimonium dedit. Nunc ex istis mendaciis quid molis substruat Calvinus, expendamus.

Hac Christi voce palam constat denunciari hominibus ne nominis materni honorem superstitione in Maria euehendo, quæ Dei propria sunt in ipsam transferant. His Caluini mendaciis palam constat denunciari hominibus, ne tam scelerati impostoris nomē euehendo, quæ Dei ministris propria sunt in illū transferant, & pro ministro Evangelico habeant qui Satanæ minister fuit. Ad nominis materni in B. Virgine honorē quod attinet, quàm illum non superstitione sed piè ac religiose pij omnes & orthodoxi euehāt atque extollant, eamque hoc

Mendacium
tertium in
Christum
blasphemum.

August.
tract. de
Ioan. b.
stin. M.
lib. quæ
Gen. 116.

B. Virgini
honori
defectus.

nomine præ cæteris Sanctis omnibus rectissimè venerentur, contra insulas Caluini caullationes infra latius ostendimus. Concludit tamen hoc loco Calvinus. *Sic ergo matrem Christus alloquitur, ut perpetuam ac cõmunem seculis omnibus doctrinam tradat, ne immodicus matris honor diuinam suam gloriam obscuret.* Cur huiusmodi verbis matrem suam Christus hic allocutus fuerit, & quam doctrinam in illis verbis tradere voluerit, ex SS. Patrum iudicio alio in loco demonstrauius. Quibus etiam addimus rectè sensisse Epiphanium, qui affirmat matrem Domini mulierem à Domino vocatam, quia consulere & prouidere futuris voluit. Fuerunt enim quidam postea qui B. Virginem vt deam venerati sunt, eique sacrificauerunt, qui certè hoc verbo *Mulier* conuincuntur, quod substantiæ & naturæ creatæ eam fuisse probat, sicut alij Sancti sunt. An fortè à Catholicis hodie B. Virgini immodicus aliquis honor impèditur, qui diuinam Christi gloriam obscuret, aut huic quoque sæculo, Christi illa doctrinã necessaria est? Omnino ita censet Calvinus. Subiungit enim. *Porro quàm necessaria hæc admonitio fuerit, ex crassis fœdisque superstitionibus quæ postea sequuta sunt, plus satis notum est. Facta est enim Maria Regina cœli, spes, vita, & mundi salus. Denique eo progressus est vesanus furor, vt Christi propemodum nudati spoliis eam ornarent. Quùmque has execrabiles in filium Dei blasphemias damnamus, maligni & inuidi vocamur à Papiſtis, imò improbè calumniantur, S. virginis honorem hostiliter à nobis impugnari. Quasi verò non habeat quantum illi honoris deberetur nisi dea fiat: aut hoc illi sit honorificum, sacrilegis titulis ornatam in Christi locum subrogari. Atrocem ergo illi Maria iniuriam faciunt, quando, vt mentitis eam laudibus deformant, Deo eripiunt quod suum est.* Hæc tota est hoc loco Caluini accusatio, & contra Catholicas & orthodoxas voces speciosa declamatio: quæ tota vel in crassa Scripturarum ignorantia fundatur, vel affectatæ maleuolentiæ oratio est. Totus accusationis neruus ac vis vniuersa (quam multis verbis amplificauit) in eo consistit, quòd Beata virgo à Catholicis prædicetur *Regina cœli, spes, vita, & mundi salus.* Hoc postremum vbi vel apud quos legerit, nescio. Ab Ecclesia certè in publicis officiiis ac precibus suis, *Salus mundi*, nūquam (quod sciam) prædicatur. Cæterū si spes, vita, ac salus nostra (quod penè æquiualeat) hæc beatissima virgo absque manifesta Dei aut Christi iniuria vocari non potest, corrigat Calvinus illas Scripturas quæ personis multo inferioribus eosdè titulos ascribit. Corrigat

Ad cap.
Ioan. 7.
ver. 5.

In Prompt.
Cathol.
Dom. 2.
post Epi-
phaniam.
Har. 79.

Caluini
accusatio
circa titu-
los B. Vir-
ginis.

B. Virginis
tituli ex
Scriptura-
rum ana-
logia pro-
bantur.

rigat Paulum dicentem Timotheo Episcopo, *Hac faciens, teipsum & alios saluos facies.* Corrigit Iacobum dicentem: *Qui conuerti fecerit peccatorem à viis suis malis, saluabit animam eius à morte.* Corrigit Ioannem dicentem: *Qui orat pro fratre non peccante ad mortem, dabit ei vitam.* Denique ipsum Christum homo audax corrigit, dicentem in Euangelio: *Qui corripit fratrem suum, (audientem & obsequentem) lucratur eum.* Si enim qui alium saluum fecit, salus eius dici potest; & qui alteri vitam dedit, vita eius vocari potest; nec huiusmodi locutiones refugit Scriptura, quia ad vitam & salutem partiales & subordinatæ causæ sunt; quid peccat Ecclesia, quæ ob similes effectus similes titulos beatissimæ virginis attribuit? Quod enim prædicando veritatem, corripiendo peccantes, orando pro peccatoribus, nos in hac vita facimus; id multo uberius beatiss. virgo suis apud Deum precibus & intercessionibus præstat: nisi fortè falsum erit, beatiss. virginem orantem pro peccatore non peccante ad mortem, dare illi vitam, quod Ecclesia prædicat; & verum erit, quemlibet nostrum *orantem pro fratre nõ peccante ad mortem, dare ei vitam.* quod Ioannes affirmat; aut plus valeat apud Deum peccatoris pro peccatore, quàm beatissimæ virginis in cælo regnantis pro peccatore intercessio. Denique discere Calvinus debet illa attributa seu epitheta, quæ soli Deo conueniunt, nulli sanè creaturæ vlllo in sensu attribui posse, qualia illa sunt: Omnipotens, æternus, infinitus, Creator, finis & principium rerum, Dominus vitæ & mortis: vel etiam alia Christi propria, *Mundi redemptor, iustificator seu iustitia, sanctificatio, & redemptio nostra*: alia verò epitheta & attributa quæ soli Deo per excellentiam conueniunt, Sanctis verò & iustis etiam in hac vita per participationem & analogicè conuenire possunt, vt bonum esse, iustum, sanctum, sapientem, patrem, magistrum, lucem, petram, fundamentum, sine vlla Dei aut Christi iniuria Sanctis attribui; imò cum certa Dei offensa illis pertinaciter negati, qui amicos suos honorari vult, despici non vult; eorumque seu iniuriam seu honorem sibi acceptum fert; vt illæ voces in Scriptura nos docent. *Non te spreuerunt, sed me. Qui vos audit, me audit. Si sermonem meum seruauerint, & verbum seruabunt. Nolunt audire te, quia nolunt audire me:* & multa huiusmodi. Sed plura hac de re olim disputauimus, quæ videre lector poterit. Cur etiam Regina cæli ab orthodoxis mericissimè vocetur, eodem in opere demonstrauimus. Ex quibus omnibus perspicuum euadit, Calvinum cum suis

1. Tim. 4.
Iacob. 5.

1. Ioan. 5.

Matth. 18.

Epitheta
quadam
soli Deo
propria.

1. Reg. 8.

Luc. 10.

Ioh. 16.

Ierem. 2.

In Prout.

Carb. in

festo Nati-

uit. B.

Virg. & in

festo Vif-

tat. &

Assumpt.

*Antonius
Possennus
in Atheis-
tims hære-
ticorum,
An. 1578.*

*Caluini
fœda men-
dacia.*

optimo iure à nobis non *malignos* tantum & *inuidos*, sed im-
pios & sacrilegos vocari, qui sub specie honoris Christi, San-
ctos eius debito honore priuant & in ordinem cogunt: sicuti
veteres hæretici sub specie zeli erga Dei Patris honorem fi-
lio Dei detraxerunt, & in creaturarum ordinem redegerunt:
quod & hodie in Transilvania ter impius ille Fraciscus David
moltus, sub specie extollendæ misericordiæ vnus Dei, ipsum
Christum Saluatorem esse mundi negauit, & eo nomine ca-
pite damnatus, in carcere insanus obiit. Huc quippe tandem
recidunt, qui primum Dei in terris ministros, postea in cœlo
Sanctos, tandem Christum ipsum sub specie honoris diuini,
primum honore spoliant, mox in ordinem cogunt, tandē pe-
nitus despiciunt atque contempnunt. Catholici B. virginem
neque deam faciunt, sed vt Dei matrē inuocant, vt eius pre-
cibus Deo cōmendentur; nec *sacrilegis titulis ornatā in Chri-
sti locum subrogant* (sunt hæc duo fœda Caluini mendacia) sed
veris titulis etiam infra tantæ Matris dignitatem ornatam,
Christo Domino ita postponunt, vt non nisi per supplices ad
Christum preces aliquid ab illa postulent. Sacrilegi verò hæ-
retici sunt, atque imprimis Caluinus, qui *eam in vulgarem
mulierum ordinem à Christo cogi* affirmant, & hoc exemplum
perpetuum esse ac omnibus sæculis communem doctrinam pro-
nunciant, vt hodie vsque non nisi vulgaris muliercula habenda
sit. Hæc Caluini hoc loco sacrilega audacia est, qui me-
dium tenere nesciens, ne deam faciat Christi matrem, pro
vulgari muliercula habendam censet. Dum vitant stulti vi-
tia, in contraria currunt.

18. *Quid signum ostendis nobis quia hæc facis?*

CAprat hîc occasionem Caluinus Catholicorum neces-
sariam quandam pietatem acriter taxandi. Sed in eo
quod caprar, capietur ipse. *Testimonium* (inquit) *aliquod diui-*
ment. ad ne virtutis habere Iudæi volunt: interea nihil admittunt quod
nunc loci: non hominum modulo respondeat. Sic hodie Papista miracula
flagitant, non quòd locum daturi sint Dei potentia. Nam illis fi-
xiim est, homines præferre Deo, nec unquam unum ab eo defle-
ctere, quod usu & consuetudine receptum habent. Sed ne absque
ratione videantur Deo esse rebelles, colorem hunc prætexunt sua
pernitia. Hæc ille. Sed huic impostori respondendum est: Si
nos Iudæis similes simus, qui à nouis magistris miracula peti-
mus; Calvinum Christo similem esse debere, à quo ista pe-
tunt

*Caluini
compata-
tio absur-
dissima.*

tuntur. Si Christo similis Calvinus esse vult, ostendat se esse in Scripturis prædictū, à populo Christiano expectatum, magnum denique Prophetam ad consolationem populi Dei, qui noua faciat omnia, præfiguratum, sicuti Christus seu Messias populo Iudaico in Scripturis promissus erat, ab illis audivissimè expectatus, etiam eo ipso tempore quo venit ad consolationē plebis Israël, qui omnia instauraret. Deinde si similes Iudæis simus à Christo hoc loco signum petētibus, facere Calvinus debuit, quod prius Christus fecit; diuinam suam virtutem ostendere eum oportuit, sicuti Christus in templo iam ostenderat, homo solus & inermis eiciens de templo vendētes & ementes, adeoque flagellis eos ignominiosè abigens, ut sic iniquè ab illo signū peti doceat, sicuti à Christo Iudæi (accepto tanto signo, tantōque diuinæ cuiusdam potentæ argumento) iniquè & absurdè signum flagitabant. Petebant ab illo potestatis suæ argumentum qua frater hoc faceret (*Quod signum ostendis nobis quia hæc facis?*) quum ipsum per se factum potestatis suæ ac potentæ diuinæ argumentum euidentis & luculentum esset. Nunc Calvinus dogmatista nouus, & pro nouo Propheta se iactitans, (scribit enim *se vnum ex illis esse quorum opera Euangelij doctrinam Deus mundo restituit*) nullo dato potestatis suæ argumento, sed in lacu suo Geneuensi iactans, quod ab eo eiusque similibus miracula flagitentur, simile quid ab eo flagitari clamitat, quale Iudæi hoc loco à Christo flagitabant. Sed quantum in vtroque discriminis sit, ad hunc locum quod attinet, hæc pauca demonstrant.

Iam verò non iniquè nec aut fastu aut incredulitate Iudæi, sed æquissimè & fide ac religione Christiana à Luthero, Caluino, & aliis horum temporum nouis Magistris ad vocationis suæ penitus extraordinariæ (cucurrerunt enim nemine mittente) nouæque doctrinæ confirmationem miracula & signa expeti & flagitari posse (nam de facto hæc ab illis flagitare paucos arbitror, quum ipsa eorum impia & scelerata doctrina satis superque seipsam prodat) paucis demonstrabitur. Nouos se esse Magistros, & nouam doctrinam adferre his aliquot seculis incognitam adeoque damnatam, non solum de facto demonstrant veterum Patrum in Scripturis exponendis iudicia & in cōtrouersis hodie dogmatibus vniuersum consensum apertè respicientes (cuius rei varia exempla sibi ex Caluino protulimus) sed etiā disertis verbis protestentur. Quod noui sint & extra ordinem vocati Magistri, his verbis protestetur Calvinus. *Apostolorum* (inquit) *officium fuit*

Luc. 2.
Ioan. 4.

In Epist.
præfixa
comment.
in Epistola
ad Timotheum.

Miracula
à nouis hodie
dogmatistis merito
flagitari posse.

Instit. lib.
4. c. 3. n. 18.

ut orbem à defectione in veram obedientiam reducerent. Evangelista officio illis proximi sunt, adeoque vices eorum gerunt. Hi non sunt perpetui in Ecclesia sicuti Pastores & Doctores, sed ad id modò tempus instituuntur, quo erigenda sunt Ecclesia, ubi nulla anti fuerant. Quamquam non nego quin Apostolos postea quoque vel saltem eorum loco Evangelistas interdum excitavit Deus, ut nostro tempore factum est. Talibus enim qui Ecclesiam ab Antichristi defectione reducerent, opus fuit. Munus autem hoc extraordinarium appello. Hæc Calvinus. Nec multo aliter illi in hac parte conformis Beza. Indigni sunt Ministrorum nomine qui sese falsò Ministros vocant, quum à Domina non sint vocati, id est, qui vel ritè non sunt electi ab Ecclesia, (si quis est in Ecclesia legitimus ordo constitutus) vel à Deo non sunt extra ordinem excitati, sicut nostro quoque tempore accidit, rebus ita collapsis ut ordinaria vocationi nullus esset locus relictus. Hæc ille. Vterque aperte fatetur, & diserte profiteretur, vocationem suam extraordinariam esse, & tanquam novos restaurandi orbis Apostolos, aut saltem Evangelistas esse. Idem agnoscit Musculus in locis communibus in cap. De Ministris Ecclesiæ, & Brentius in prolegomenis contra Petrum à Soto. Doctrinam quoque se novam & orbi Christiano incognitam attulisse, non agnoscunt modò, sed & gloriantur omnes. Inter alios Beza his verbis, de Iustificatione ex fide disputans. Illi (inquit) per quos nostra ætate Dominus veluti sepultum Christi beneficium in lucem reuocavit, quum viderent, &c. Rursum de vi & effectu Sacramentorum disputans: Hanc (inquit) interpretationem si quis contulerit cum illis que non Origenes modo, sed nonnulli etiam ex Patribus alioquin pietate & eruditione clarissimis in hunc locum scripserunt, comperiet profecto quantam veritatis lucem Dominus in nos omnium hominum maxime indignos nostra memoria effuderit. Planè ita novam ac recentem suam suorumque doctrinam esse affirmat, ut sepultum Christi beneficium de iustificatione nostra in lucem reuocauerint, & novam veritatis lucem circa Sacramentorum doctrinam in eos Dominus effuderit. Ab istis novis magistris novamque doctrinam afferentibus, ab istis novis Apostolis aut saltem Evangelistis ab Antichristi defectione orbem reducètib, & collapsas toto orbe Ecclesias restaurantibus, meritò rogamus: Quod signum ostenditis nobis, quòd rectè & bono iure hæc facitis? Christus Dominus omnia restauraturus, multa signa ostèdit, ea si vehementer vigeret, si mihi nõ vultis credere, operib⁹ credite.

Confess. f. dei c. 5. num. 28.

In Annotat. ad Rom. 1. vit. 20.

Annotat. ad Rom. 4. vit. 12.

167. 10. 8.

Si ope

si opera non fecissem in eis qua nemo alius fecit, peccatum non haberent. Ac denique discipulis suis ait: *Alioquin propter opera ipsa credite.* Nunquid meliores Christo sunt? Petrus, Paulus, cæterique Apostoli, *fecerunt signa & prodigia magna in populo, ut illis crederetur.* Nunquid Apostolis maiores sunt? Sanè ad hæc Apostolorum miracula ita scribit ipse Calvinus: *Miraculis augebatur Ecclesia, quia fidei subseruiunt miracula.* Unde rursus probatur, *nunquam separanda esse à verbo miracula.* Hæc ipse Calvinus in comment. Act. 5. vers. 14. Moyses novas leges populo Iudaico promulgaturus, multis & admirabilibus signis à Deo commendatur. Nunquid Moyses excellentiores esse voluit? Quum Christus alio adhuc tempore, paulo ante passionem, simili in te hanc eandem potestatem exerceret, eiciens vendentes & ementes de templo, dicunt ei iterum Iudæi: *In qua potestate hac facis, aut quis tibi dedit hanc potestatem?* Tamen post tot à Christo miracula & signa toto iam triennio in conspectu Iudæorum exhibita, importuna & friuola hæc erat expositulatio, quod vnus Nicodemus magister in Israël eos docere potuit, qui sic Christum affatus est, *Nemo potest hac signa facere qua tu facis, nisi fuerit Deus cum illo:* tamen contra alios novos magistros, templa Christianorum (ut hodie Calvinistæ fecerunt) partim spoliantes ac deprædantes, omniâque sacra in eis monumenta demolientes, ut in Gallia & in hoc Belgio, partim à fundamentis subuertentes, ut in Scotia, nullo legitimo signo (nisi fortè spoliis ac rapinis) suam vocationem & tam immania scelera ac factilegia confirmantes, eadem expositulatio protus æquissima & necessaria est. Nam ut ipse Calvinus ad hunc locum ait: *Non armantur hic proterui homines, qui sine ullo mandato, sed priuata audacia publicum sibi munus usurpant.* Eodem modo nec in hac præpostera Iudæorū postulatione, *Quod signum ostendis nobis quia hac facis?* in simili Christi facto proposita, *armantur proterui homines, noui pertinaces Magistri, lupi & seductores noui, qui sine ullo mandato, à semine missi, sed priuata audacia, & extraordinaria sui ipsorum intrusione, publicum sibi docendi, predicandi, Scripturas exponendi, munus usurparunt.* Denique tales novos & extraordinarios Magistros, ut vocationis suæ rationem reddât, & potestatis quam usurpant signa ostendant, virgandos ac tremendos esse, ipse imprimis docuit Lutherus. Sic enim ad Senatum Mulhusium contra clancularium concionatorem scripsit. *Accersat eum ad se Senatus, etiam presente omni populo,*

Matth. 22.

Ioan. 3.

In Harmo.
ad cap. 21.
Matth.Tom. 2. o-
perum Ger-
man. Iena
editorum
fol. 4. 5. b.
& 4. 6. a.

pulo,

pulo, si fieri potest, & quaratur ex eo, Quis eum huc miserit aut vocauerit ad docendum? Id proculdubio Senatus non fecit. Quod si tum dicat se à Deo, atque ipsius spiritu missum esse sicut Apostoli (hoc autem dixit Calvinus, dixit Beza, dixit Musculus, dicunt & alij omnes noui hodie Magistri) probet hoc signis & miraculis editis, vel nolite pati ut concionetur. Nam ubicunque Deus ordinariam viam mutare vult, ibi semper miracula facit. Hæc Lutherus. Eat nunc Calvinus, & non Papistas, sed Lutherum arguat, quod exemplo Iudæorū audeat à nouis concionatoribus, qui extra ordinem à Deo se mitti dicunt, signa & miracula efflagitare. Denique aut seductor Calvinus est, qui hoc factum conqueritur, aut impostor Lutherus est, qui id faciendum hortatur. Sed hic contra caput suum stolidè & imprudenter, ille contra apertam veritatem impiè & impudenter scripsit.

IN IOANNIS CAP. III.

5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.



Æc verba de baptismo Euāgelico ad literam intelligi debere, quia ipsum introitum regni Dei & primum ingressum in Ecclesiam nouam docere Nicodemum Christus voluit, tota semper Ecclesia indubitatè hactenus intellexit. Ad eò sanè vt Pelagiani, qui peccatum originale negantes, paruulorum baptismum necessarium esse negabant, quum ex hoc loco efficaciter se conuinci viderent, non quidem sint ausi negare de baptismo hæc verba intelligi; sed ad illam vanam distinctionem confugerint, posse eos peruenire ad vitam æternam tamen regnum Dei non introirent. De quo vide Augustinum, Calvinus nihilominus pertinacissimè contendit hæc verba ad baptismum non pertinere, sed ad solam renouationem spiritualem per fidem: idque ea de causa ne baptismus ad salutem necessarius videatur, vnde sola fides saluificans continuò pro vana ac falsa refutaretur. Primum cauillatur non sequi necessitatem baptismi, etiam si de eo sermonem hic fieri concedatur. Etiam si demus (inquit) Christum hæc loqui de baptismo, non tamen sic urgenda sunt verba vt salutem in externo signo includat; sed ideo potius aquam Spiritui adiungit, quia sub illo visibili symbolo quam Deus Spiritu suo vitæ nouitatem solus in nobis

De pecca.
mer. & re-
miss. lib. 1.
cap. 30.

Baptismi
necessitas
defendi-
tur.

nobis efficit, testatur atque obsignat. Hæc ille. Sed hoc commentum de obsignatione & sigillo Calviniano, alio in loco resutauimus. Et Paulus disertè dicit per lauacrum regenerationis nos saluos factos esse, vbi non salutis prius adeptæ obsignationem, sed salutis de facto collatæ medium & instrumentum baptismo assignat. Nec propterea salus nostra externo signo includitur, sed per externum signum confertur. Aiant hæretici per Euangelicam prædicationem fidem conferti. An propterea in illa externa voce fidem includunt, aut diuini Spiritus operationem excludunt? Deinde si baptismus vitæ nouitatem à Spiritu sancto datam testatur & obsignat, & sine ista obsignatione nemo intrabit in regnum cælorum; consequitur indubiè baptismi necessitas, si non ad conferendam, saltem ad obsignandam & testificandam salutem. Ita retrois modo intelligas, ipsa aquæ baptismalis necessitas à Christo docetur. Quare aliquam necessitatem agnoscere ipse Calvinus vult. *Verum quidem est (ait) baptismi neglectu arceri nos à salute: atque hoc sensu necessarium esse fateor: sed salutis fiducia præposterè sub signo includitur.* Respondeo, in adultis solum neglectum baptismi arceri à salute, quatenus in voto baptismi saluari potest, quem non sacramenti contemptus, sed necessitas à baptismo consequendo exclusit; in paruulis verò, qui votum illud habere non possunt, solum baptismi defectum eos à salute excludere, vt Catholica semper credit Ecclesia, quod contra Pelagianos fortissimè defendit Augustinus. De qua re apud Mathæum plura diximus. *Quantum verò ad hunc locum attinet (ait Calvinus) nullo modo adducor vt Christum de baptismo verba facere credam. Hoc enim fuisset intempestiuum. Tenendum enim semper consilium Christi quod antè exposuimus, nempe quòd Nicodemum hortari voluit ad vitæ nouitatem, quia Euangelij capax non erat donec alius homo esse inciperet. Est igitur vna & simplex sententia, nos de integro nasci oportere, vt filij Dei simus, atque huius secundæ genituræ Spiritum sanctum esse auctorem. Nam quum Nicodemus Pythagoricam palingenesiam somniaret, Christus, vt hunc illi errorem eximeret, interpretationis vice addidit non fieri naturaliter vt secundò nascantur homines, aut opus esse vt alterum corpus induant, sed nasci, quum mente & animo renouantur per Spiritus gratiam.* Hæc Calvinus. Tota eius speculatio quum in imaginaria illa palingenesia à Nicodemo, & aliis Iudæis credita fundetur, vana & inanis esse conuincitur. Illa enim palingenesia Pythagorica à Nicodemo, vel aliis

In Antid.
Apost. ad
Roman. 4.
vers. 11.
Tit. 2.

Ad Matt.
cap. 23.
vers. 19.

*Supra ad
Luc. cap.
9. vers.
Caluini
sensu va-
lidi reser-
tatur.*

Iohn. 8.

Iudæis credita fuisse stultissimè asseritur, vt alio in loco demonstrauimus. Sed & Nicodemi verba longè alium sensum demonstrant. Non enim de nouo corpore assumèdo quarit, sed de eodem suo corpore ab eadem matre sua iterum progignendo & in lucem edendo interrogat. *Quomodo* (inquit) *homo nasci potest quum sit senex?* non dicit, *Quomodo potest post mortem in alio corpore renasci?* Et addit. *Nunquid potest in ventrem matris suæ iterum introire?* supple, vt ab eadem matre sua iterum renascatur? Hoc est quod somnauit Nicodemus; non aliquam palingenesiam Pythagoricam, vt ineptissimè somniat Calvinus. Christi quidem consilium fuit, hortari Nicodemum ad vitæ nouitatem, vt Euangelij capax esset, & aduentum Messiaë crederet. Nam & ideo aliàs Iudæis dixit. *Qui voluerit facere voluntatem Patris mei, cognoscat de doctrina meâ, quia ex Deo est.* Idcirco Nicodemo hîc dicit. *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei,* id est, non potest cognoscere aduentum Messiaë, quem Iudæi regnum Dei vocabant. Sed quia nouæ natiuitatis vocabulo Christus vsus est, Nicodemus de aliqua carnali natiuitate, nõ spirituali, eum loqui iuxta carnales adhuc & animales affectus suos existimabat. Quam eius crassam imaginationem corrigens Saluator, de vera quidem generatione se loqui docet, sed spirituali, non carnali. Ideoque qualis sit hæc spiritualis regeneratio, & ipsius quale sit primum exordium, docet. Propterea *introitus* verbo vititur, dicens: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei,* id est, non habet introitum in Ecclesiam Messiaë. Non dicit sicuti prius dixerat, *non potest videre regnum Dei,* id est, assequi & frui beneficio Messiaë, quod sensui Caluini conuenientius foret. Quare & mox de ipso exordio renouationis fidelium se loqui docens, ponit antithesim inter carnalem & spirituales generationem his verbis: *Quod natum est de carne, caro est. Quod natum est de Spiritu, Spiritus est.* Christus ergo non solum de ipsa vitæ nouitate & renouatione necessaria informare Nicodemum voluit, sed & de huius nouitatis exordio ipsaque regeneratione. Quæ sanè duo multum differunt. *Regeneramur* semel, *Renouamur* quotidie *de die in diem.* Per regenerationem in statum filiorum adoptionis inducimur; vbi enim filiatio est, ibi vera generatio. Per renouationem opera & actiones filiorum Dei proferimus, & in nouitate vitæ ambulamus. Per regenerationem Christum induimus, per renouationem imagini eius conformes efficimur.

Adcò

Regeneratio & renouatio multum differunt.

Adeo non est eadem sententia (vt vult Caluinus) sed longe diuersa quam hic Nicodemo Christus aperuit.

Nunc reliqua videamus. Ideo (ait Caluinus) Spiritum & aquam pro eodem posuit. Neque hoc durum aut coactum videri debet. Cur ita tandem ? Frequens (inquit) ac tritum loquendi mos est in scriptura, quum de Spiritu sit mentio, ad exprimendam eius vim, aqua vel ignis nomen adiungi. Vide impostoris fraudem. Aqua (inquit) vel ignis nomen adiungi. Sed quid hoc ad rem facit, si ignis nomen spiritui adiungatur, sed non aquæ nomen ? Quæ hæc consequentia est, Ignis nomen adiungitur Spiritui sancto, vt vis eius exprimat, ergo aquæ nomen similiter adiungi putandum est. Vt Caluini hoc loco coniectura vim haberet, dicere & probare debuit, aquæ nomē Spiritui sancto adiungi solere, non autem ignis aut alterius cuiusque rei, nisi fortè vtriusque. Nunc homo vafer quia de aqua probare non potuit (de qua est quæstio) dicit, aqua vel ignis nomen adiungi. Quod perinde dicitur, ac si probaturus sceminas à Christo ad Apostolatus dignitatem assumptas, sic argumentaret : Frequens ac tritum est in Euangelio, quum de vocatione ad Apostolatū sit sermo, sceminas vel viros vocari. Certum enim hoc est de viris, & propositio disiunctiua, quæ in altera parte verificatur, vera est. Sic ludit lectorem suum impostor Caluinus. Probaturus de aqua, argumentum adfert de aqua vel igne. Moxque probat de igne, non de aqua.

Impostura egregia.

Hoc ipsum tamē quod de igne probat, quale sit videamus. Iam (inquit) aliquoties habuimus, Christum esse qui baptizat in Spiritu sancto & igni, vbi ignis nihil diuersum à Spiritu sonat, sed tantum qualis sit eius in nobis efficacia ostendit. Alia hæc & nequior impostura est, quia cum aperto mendacio coniuncta. Prius dixit, Frequentem & tritum loquendi morem in Scripturis esse, aquam vel ignem Spiritui sancto adiungi. Nunc de solo igne probans, asserit id aliquoties dici : quod si verum esset, non tamen, quod aliquoties dicitur, id frequens ac tritum est. Nunc autem nec aliquoties quidem, sed semel tantum hoc dictum fuit à Ioanne Baptista, tamen bis illud legamus Matth. 3. & Luc. 3. qui eandem Baptistæ concionem referunt: Ille baptizabit vos in Spiritu sancto & igni. Rursum falsum est, eo ipso vno in loco ignem nihil diuersum à Spiritu sonare. Sonat enim apparitionem Spiritus sancti in linguis igneis, de qua Christus Apostolis iam ascensurus in cælum dixit : Vos baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies. Ita nihil quam mentitur ac fallit Caluinus.

Impostura nequior cū mendacio coniuncta.

Act. 1.

Meuet

Caluini
artem.

Mouet sibi statim futilem difficultatem, quòd in his ver-
bis ignis similem non habet cum Spiritu adiunctionem cum
ea quàm hoc loco aqua. Ibi enim ignis Spiritui postponitur,
hic aqua præponitur; & occurrens huic diuersitati dicit. *Quòd
autem hic præponit nomen aqua, non multum ad rem interest.
Imò hac locutio melius fluit quàm altera: quia scilicet metapho-
ram sequitur nuda & aperta sententia: ac si diceret Christus
neminem esse Dei filium donec per aquam renouatus fuerit; hanc
verò aquam esse Spiritum sanctum qui nos repurgat, & qui vir-
tute sua in nos diffusa virgorem inspirat celestis vite, quum na-
tura prorsus aridi sumus.* Cui respondemus, nò sanè multum
interesse siue præponatur Spiritui aqua, siue postponatur, co-
pula interiecta, quia res diuersa utroque modo significabitur.
Alioqui si huiusmodi exceptionibus ludere liceat, innumeras
alias Scripturas facilè peruertet & deprauabit qui volet. *Non
est insolens (ait paulò post Calvinus) copulam exegeticè sumi,
quum scilicet posterius membrum explicatio est prioris.* Iuxta
has ergo Caluini regulas, quicquid in Scripturis coniunctiue
profertur, non rerum diuersarum enunciatio, sed rei eiusdem
explicatio erit; quoties ita rem accipere contra totius Eccle-
siæ iudicium, & omnium Patrum consensum (vt Calvinus hoc
loco facit) cuiusque libeat. Sic in istis propositionibus, *Qui
crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit; Qui docuerit ho-
mines & sic fecerit, vocabitur magnus in regno calorum, Qui
corde crediderit & ore confessus fuerit Christum à mortuis re-
surrexisse, & innumera talia, non res diuersæ enunciabuntur,
sed vna & eadem res exegeticè proferetur, & perinde erit siue
prius posterioris, siue posterioris prioris explicatio sit.* Ita ni-
hil in diuinis Scripturis ab hæreticorum corruptelis tutum
erit. *Quòd addit Calvinus, Nicodemi inscitiam à Christo me-
rito exprobrari, quòd formam loquendi Scriptura usitatam ad-
duxerit, & Christi dictum ex communi Prophetarum doctrina
desumptum esse, hoc totum ad priora illa Christi verba perti-
net, Oportet vos nasci denuo; non autem ad ista, Nisi quis rena-
tus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c. cui simile aliquid in
Prophetis non legitur.* Subiungit postremò. *Ac mihi suffra-
gatur contextus. Nam quum mox rationem Christus subijcit cur
nos renasci oporteat, præterita aqua mentione, solo Spiritu quàm
exigit vite nouitatem constare docet, unde sequitur aquam non
esse à Spiritu separandam.* Hæc ille. Eodem argumento, ba-
ptismum in vniuersum explodere licebit; ex ipso contextu
verborum Christi: quia quum prius dixisset, *Qui crediderit*

Regula ad
corrūpen-
das scriptu-
ras à Cal-
uino adin-
uenta.

Alia Cal-
uini regu-
la ad de-
prauandas
Scripturas
inuenta.

Et baptizatus fuerit, saluus erit, postea præterita baptismi mentione dixit, Qui non crediderit, condemnabitur: unde sequitur fidem & baptismum pro eodem accipi oportere. Cæterum quantum contextus ipse sensui totius Ecclesiæ suffragetur, antea à nobis expositum est. Hæc est impietas Calviniana. Apertissimum & receptissimum verborum sensum in quæstione grauißima derelinquit, non nisi futilibus mendaciis & parologismis, & regulis commentitiis ad totam deprauandam Scripturam idoneis subnixus. Sed in hac tam illustris loci corruptela habet Calvinus sibi aduersantes non solum Lutheranos omnes, sed & ipsum Bucerum & Benedictum Aretium Sacramentarios in cõment. ad hunc locum.

8. *Spiritus ubi vult spirat, & vocem eius audis, & nescis vnde veniat, & quò vadat.*
 9. *Sic est omnis qui natus est de Spiritu.*

Propositum Christi est, ostendere eos qui noua natiuitate spiritali de Spiritu Sancto nascuntur, habere quandam similitudinem & indolem diuini Spiritus, sicut id quod carnali generatione nascitur, carnem & carnalia sapit, quod in superiori sententia dixerat. Quam verborum Christi coherentiam qui rectè aduertit, Spiritum hoc loco pro vento accipi, sicuti recentiores interpretes, & ipse maximè Calvinus accipi volunt, absurdum putabit. Cyrillus quidem, Chrysofost. & eum sequuti Theophylactus & Euthymius in hunc locum, Spiritum pro vento exponunt: quam ob causam Græcorum Patrum hanc esse sententiam indefinitè pronunniat D. Iansenius hoc loco. Cæterum de Spiritu S. hunc locum exponunt alij Patres Græci, iique grauißimi: Athanas. lib. 1. & 5. de vnica deit. Trinit. Gregorius Nazianz. orat. 5. Theolog. Basil. lib. 5. cõtra Eunomium cap. penult. Gregor. Nyss. orat. de S. baptismo. Latini autem Patres ferè omnes hanc sententiam sequuntur. August. in hunc locum tract. 12. non solum eam tenet, sed & alteram de vento refutare contendit. Hilar. lib. 1. de Trinit. Hieron. ad Hedibiam q. 9. Ambros. lib. 1. de fide cap. 3. & de Spiritu S. lib. 3. cap. 11. Gregor. Mag. Moral. lib. 27. cap. 11. Assimilat ergo Christus omnem natum de Spiritu, id est, quemlibet verè Christianum, Spiritui S. de quo renascitur, in tribus. Primùm quòd sicut *Spiritus S. ubi vult spirat, & sua dona ubi vult & cui vult distribuit: sic natus de*

*Spiritus
hoc loco
Spiritus
S. signifi-
cat.*

*Renatur
ex Spiritu
Spiritus
in tribus
assimila-
tur. 1.*

2. Cor. 3. Spiritus liber est in suis operationibus. Vnde Paulus. *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas.* Ex hac libertate spirituali quilibet
- Rom. 13. verus Christianus legem implet, *Plenitudo enim legis dilectio*, quæ est proprium & primarium donum natorum de
- Rom. 8. Spiritu) tentationes superat, & peccata deicit, (*Peccatum enim vobis non dominabitur, quia non estis sub lege, vt serui, sed sub gratia, vt liberi*) Diabolum vincit. *Maior enim est qui in vobis est quàm qui in mundo.* Denique omne bonum quod vult operatur, & à Dei charitate nunquam inuitus separatur.
2. Sic vbi vult spirat. Secundo assimilatur Spiritui S. omnis fidelis: quia sicut Spiritus Sancti vox auditur quidem exterius per Prophetas, per Christum, per Apostolos, & alios quos perpetuò mittit, etsi ipse sit inuisibilis, sic hominum spiritualium opera bona & admirabilia foris videntur, *vt glorificetur Pater eorum qui in calis est*, sed dona gratiarum, vnde hæc opera profluunt, interna sunt & inuisibilia. Hinc sequitur
3. tertium, quòd sicuti nemo scit vnde Spiritus Sanctus veniat, aut quò vadat, id est, vias, iudicia, consilia Spiritus S. nemo assequitur, vnde Paulus, *Quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles via eius!* sic homines huius seculi vident opera iustorum natorum de Spiritu, sed vias eorum nemo nouit, nisi qui eodem Dei Spiritu agitur. *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi.*
- Rom. 8. Vnde & deridet ea. *Prudentia enim carnis, inimica est Deo.*
1. Cor. 1. *Mundus quod suum est amat, &c.* Sic nesciunt vnde veniant opera iustorum. Similiter nesciunt quò vadant, quia nondum apparet quid sunt & quid erunt opera iustorum, quantaque mercede retribuenda. Hic est huius loci germanus sensus, qui etiam docet, qui veri & germani sunt Christiani, contra sterilem, nominalem, & imputatiuam hæreticorum iustitiam.

6. Quod natum est de carne, caro est.

Peruertit hæc verba Calvinus, vt quicquid homo in Christo nondum regeneratus facit, peccatum esse persuadeat: quasi caro pro carne peccati hoc loco accipi debeat, aut quasi in generatione carnali sola caro nascatur, & anima à Deo non infundatur, quæ tametsi à carne corrupta veluti vase inficiatur vt carnalia sapiat & appetat, rationis tamen lumine à Deo Creatore ornatur, quæ appetitum carnalem corrigere interdum valeat, etsi non semper. De qua natura nostra

nostræ per peccatum corruptione vide opus nostrû de Iustificat. lib. 2. Cæterum hîc nihil de peccato agitur; & quamuis nullum esset in homine peccatum, sed in statu innocentie ageret, verum tamen esset quod in tota propagatione humana, *quod natum est de carne, caro est.* Propositum Christi solum est, ostendere terminum carnalis & corporalis generationis esse similem principio: & quia principium generationis naturalis est homo, homo quoque est qui generatur.

14. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eum, non pereat.*

DVpliciter hunc locum deprauat Calvinus. Primùm absurdissimè exponit exaltationem, de qua Christus hîc loquitur, Evangelicam prædicationem esse. Sic enim scribit. *Exaltari significat collocari in loco edito, vt omnium aspectui pateat. Id factum est Euangelij prædicatione. Nam quod de Cruce quidam exponunt, contextui non quadrat, & alienum est ab instituto. In hunc igitur finem similitudo exaltati serpentis in deserto adducitur, vt se doceat Christus Euangelij doctrina statuendum esse ante omnium oculos, vt quicumque ipsum fide intuiti fuerint, salutem percipiant.* Hæc ille. Cæterum de sua futura crucifixione, & de beneficio redemptionis, quod ad salutem credendum omnibus est, Christum hîc loqui; tum similitudo serpentis allata, tum verbum exaltationis efficaciter demonstrat. Sicut qui in serpentem ligno affixum aspiciabant, à moribus serpentinis liberati erant; sic qui in Christum crucifixum credunt, à peccatis suis liberantur. Sic hæc figura & genus & fructum mortis Christi, simulque fidei necessitatem ad viuum exprimit. Exaltationis vocabulum non nisi de Cruce apud Ioan. aliis in locis accipitur. *Quum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.* Iudæi non prædicabant Christum, sed crucifigebant. Rursum alibi. *Ego quum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Sed Calvinus hunc sensum delegit, vt hæreticum dogma de prædicatione Evangelica peccata credentibus remittente, sicuti nos de Sacramentis loquimur, stabiliret.

Exaltatio Christi in Cruce.

Ioan. 5.

Ioan. 8.

Alia deprauatio est in verbo credendi, cui vita æterna tribuitur. *Hinc (inquit) constat admirabilis fidei effectus, quia per eam Christum recipimus qualis nobis datus est à Patre; nempe*

Sola fides & certitudo gratis refelluntur.

qui nos aterna mortis reatu solutos vita aterna heredes efficiat. Cæterum quum fides huic beneficio primum sanè aditum faciat, non tamen sola sine renouatione mentis interna, & sine spiritu adoptionis filiorum Dei hoc beneficium conferat; huic obstaculo vt occurrat Calvinus, subiungit. *Nondum tamen satis liquet cur & quomodo vitam nobis conferat fides, an quia Spiritu suo nos regenerat Christus, vt viuat in nobis ac vigeat Dei iustitia; an vero quia sanguine eius purgati à peccatis gratuita venia iusti apud Deum censemur. Certum quidem est, hæc duo semper coniuncta esse, sed quia hic de salutis certitudine agitur, tenenda præcipuè hæc ratio est, nos idcirco viuere, quia Deus peccata non imputando nos gratis amat.* Fal-
 fa & impia doctrina est quam tradit. Fateatur hæc duo semper esse coniuncta, peccata nobis condonari, & Spiritu Christi regenerari, vt viuat in nobis Dei iustitia. Si semper sunt coniuncta, ergo ex vtrisque constat salus nostra, non ex sola remissione peccatorum. Imò ait Calvinus, *quia de certitudine salutis agitur, hæc posterior ratio præcipuè tenenda est.* Vide quomodo fallit ac fallitur. Fallit lectorem nequiter, quum dicit de certitudine salutis hîc agi. Non enim de certitudine, sed de principio salutis agitur: nō de tota perfectione, sed de eo quod imprimis necessarium est. Agnoscit ipse Calvinus, coniungi necessariò renouationem internam, de qua hîc non agitur. Ideo (ait Calvinus) *nominatim sacrificij fit mentio, quo simul cum peccatis maledictio & mors abolita est.* Si ergo de sola abolitione peccatorum hîc agitur, & illa sola certitudinem salutis non adfert, (coniuncta quippe esse debet regeneratio in nouam vitam,) euidenter probatur non de salutis certitudine, sed de vna eius parte hoc loco agi. Deinde fallitur ipse turpiter quum dicit, *nos idcirco viuere, quia Deus peccata non imputando gratis nos amat.* Contradicit Christo dicenti: *Ipse Pater vos amat, quia vos me amastis, & credidistis in me.* Ecce amor Dei in nos, non solum quia peccata remittit, sed quia nos Spiritu Christi regenerati amamus Christum, & credimus in eum.

Caluini
menda-
cibus.

Ioan. 14.

Vita noui-
tas magis
causa sa-
lutis quam
remissio
peccatorum.

Deinde absurdissimum est, quòd causa vitæ sit priuatio mortis, & nō multo magis noua vita veteri succedens. Quis non capit aërem ex tenebricoso lucidum factum, non solum propter fugatas tenebras, sed multo verius propter præsentem lucem lucidum vocari & esse? Sic propter spiritualem regenerationem, quæ novos homines & filios lucis facit, sumus verè & formaliter filij Dei, Deo grati ac iusti; non solum

solum propter remissa peccata: & in utroque beneficio constat salutis nostrae certitudo.

18. *Qui credit in eum, non iudicatur.*

Confirmant ex his verbis suam solam saluantem fidem *Contra h-*
 aetici! & vertunt Calvinus ac Beza, *Qui credit in lam fidem*
eum, non condemnatur: quum verbum Graecum sit *πιστευσαι*, *salvatem.*
 quod proprie significat sententiam accipere, siue approba-
 tionis siue condemnationis; non *καταπιστευσαι*, quod proprie
 significat condemnationis sententiam accipere. Sed ut *πι-*
στευσαι accipiatur hoc loco pro condemnari, non tamen docet
 hoc solo nomine a condemnatione liberos omnes esse, quia
 credunt. Credere in Christum, non est, vel solam fidem ha-
 bere, & totam doctrinam Evangelicam credere, vel, ut Calui-
 nus hic exponit, *fiduciam & certitudinem salutis concipere*, sed
 est credendo in Christum tendere, & fidem per dilectionem
 operantem habere, ac denique regenerationem in novam vitam
 coniunctam tenere, ut supra Calvinus agnoscit. Postremo *non*
condemnari, hoc loco non significat ab omni damnationis *Hæretica-*
 sententia in perpetuum immunes esse, ac de salute certos (in *rum cras-*
 quo mirifice falluntur hæretici) sed hoc solum significat, ab *sus & pet-*
 illa damnationis sententia liberari credentes in qua nati sunt, *niciofissi-*
 ut non sint iam amplius filij iræ, sed filij Dei, accepta videli- *mus errat.*
 cet remissione peccatorum, & gratia renouationis donati. Sic
 enim Deus credentes non iudicat, id est, actum iustitiae in
 eos non exercet, relinquens eos in statu perditionis; sed illis
 miseretur, & actum misericordiae exercet, vocans in statum
 adoptionis filiorum Dei, & faciens illos filios acquisitionis.
 Denique non iudicatur aut non condemnatur qui credit, quia
 transit a morte ad vitam, nec manet in statu damnationis.
 Hunc sensum genuinum ac literalem alia Christi verba mani-
 feste docent. Infra Ioan. 5. *Qui credit ei qui misit me, habet vi-*
tam aeternam, & in iudicium non venit, sed transit a morte in
vitam. Hæc est prima gratia credentibus data; cum qua & in
 qua gratia si perseverant, tunc certo saluantur, & finaliter non
 condemnantur. *Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus* *Matth. 10*
erit. Et Paulus: *Participes Christi effecti sumus*; id est, transiui- *Heb. 3.*
 mus a morte ad vitam, & in iudicium non venimus, & ha-
 bemus vitam æternam in spe & in radice, si tamen *initium*
substantiæ eius, id est, inchoatam in nobis fidem, quæ est
substantia rerum sperandarum, usque ad finem firmam retineamus. *Heb. 11.*

Cap. pref.
ver. 36.

Hoc sensu qui credit in Christum, non iudicatur, id est, ad misericordiam non ad damnationem vocatus est. Sic infra Ioannes Baptista quum dixisset, *Qui credit in filium, habet vitam æternam*; quo sensu hoc dixerit, à contratio demonstrat: *Qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum*; id est, manet in statu iræ & damnationis in qua natus est, non liberatur ab illa ira, ut sit filius & hæres vitæ æternæ, sicut ille qui credit liberatur. Sed hæc liberatio non est adhuc nisi *in spe gloria filiorum Dei*: quæ spes probatione, quam adfert tribulatio, roboratur, & perseverantia finali concluditur.

Rom. 4.

36. *Qui credit in filium, habet vitam æternam.*

Sola fides
rejicitur.

Hic iterum sua toxica admiscet Calvinus, & sanctum Evangelium pestilenter corrumpit. *Quod vita* (inquit) *causa vocatur fides in Christum, inde colligimus in solo Christo vitam contineri, neque eius aliter nos fieri compotes quam Christi gratia.* Sana hæc est & salutaris doctrina: quia quicquid ad vitam æternam consequendam requiritur, non nisi per Christi gratiam nobis confertur. Sed hoc melle ubi suos allexit lectores, mox admiscet toxicum. *Sed non convenit inter omnes quomodo, ad nos perveniat Christi vita. Quidam enim ita accipiunt, quoniam credendo Spiritum recipimus, qui nos in iustitiam regenerat, nos eiusmodi regeneratione salutem consequi.* Sic sanè tota Scriptura Evangelica & Apostolica docet. Quid hinc Calvinus? *Ego autem quamvis hoc esse verum fatear, fide nos renouari, ut Spiritus Christi nos regat, primo tamen loco considerandum esse dico gratuitam peccatorum remissionem, qua fit, ut Deo accepti simus. Dico item, in hac sola totam salutis fiduciam esse fundatam esse & consistere, quia non aliter iustitia nobis coram Deo imputari potest, nisi dum peccata nobis non imputat.* Hæc ille. Hoc eius toxicum est, quo vix pestiferum magis apparari potuit. Affirmat sic fide nos renouari, ut Spiritus Christi nos regat, quæ prophana & Scripturis insolens loquutio est. Non enim fide nos renouari, usquam Scriptura dicit, sed Spiritu Dei nos renouari, passim Scriptura affirmat. Hic autem Spiritus Dei renouans ac regenerans in novam iustitiam, iam credentibus datur, nec fidei donum (quod iam acceptum est ut initium novæ creaturæ in Christo) sed charitatis donum largitur, ut fides per charitatem operans novam in Christo creaturam perficiat. Quare apud Paulum syn-

Calvini
artes.

Non renouamur fide, sed Spiritu Dei.
Tit. 3.
2. Cor. 4.
Coloss. 1.

nonyma hæc duo sunt, *Fides per dilectionem operans*, & *Nova in Christo creatura*. Spiritu igitur Dei renouamur, vt, illo Spiritu nos regente, ambulemus secundum spiritum, non secundum carnem, in nouitate vitæ, non secundum veterem hominem. Sed quicquid hac de re sit, *primo loco* (ait Caluinus) *consideranda est gratuita peccatorum remissio, qua fit vt Deo accepti simus*. Ordine quidem generationis primum locum illa habet, sicut antecedit veteris formæ priuatio nouam inductam. Sed vt fiat in Christo noua creatura, in ordine perfectionis prima est charitas, quæ nouam creaturam perficit, & facit acceptum Deo, quod sola peccatorum remissio sine nouo charitatis diuinæ habitu, qua & proximum diligimus, & peccatum odimus, non facit.

At non contentus Caluinus hac impostura & astutia, nequitiam adiungit, dicens *in hac sola remissione peccatorum totam fiduciam & fundatam esse & consistere*. Sed huic nequissimæ audaciæ diserta diuinæ Scripturæ verba opponimus. *Si uos nostrum nos non reprehenderit, fiduciam apud Deum habemus*. Et iterum. *Si Spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis*. Et rursum. *Si permanseris in bonitate: alioquin & tu excideris*. Et adhuc. *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palme, & arefcet, &c.* Denique innumera huiusmodi sunt quæ salutis spem, fiduciam, & certitudinem, non in sola peccatorum remissione, vt peccati aduocatus Caluinus affirmat, sed in obedientia mandatorum Dei, in cordis puritate, in mortificatione carnis, in perseuerantia boni operis collocant.

Sed pulchrum est aduertere, quo tandem argumento hanc pestilentem sententiam vel dementiam potius suam impius Caluinus confirmat. *Quia* (inquit) *non aliter iustitia nobis coram Deo imputari potest, nisi dum peccata nobis non imputat*. Hoc est dicere, quia hæreticum meum dogma, de imputatiua iustitia, aliter stare non potest. Sic ex vno principio hæretico quod sibi concedi vult, & nemo orthodoxus concedere potest, alteram propositionem suam hæreticam confirmare contendit. Sic non ex sensu Scripturarum suam sententiam, sed ex sua sententia Scripturarum sensum confirmat ac probat. Ecclesia verò Catholica imputationem iustitiam, quæ nec in Scripturis vsquam nec apud Patres Ecclesiæ legitur, in sensu Caluini penitus execratur & damnat. Manet igitur firmum, cum qui credit in filium Dei, habere sanè vitam æternam, quia ad eam adipiscendam ius ac titulum habet, factus adoptionis filius non per ipsam solam fidem, sed per alia etiam Spiritus

Gal. 5. 22
& 6. 15Peccato-
rum remis-
sio incipit
nō perficit
iustitiamFiducia
tota nō est
in remiss.
peccatorū
1. Ioan. 4.
Rom. 8.
Rom. 11.
Ioan. 15.Caluine
peccati
aduocatus

Rom. 6.
& 8.
Gal. 5.
& 6.
Rom. 8.

Sancti dona quæ credentibus dantur, quæ non solam remissionem peccatorum conferunt, sed *novam creaturam in Christo faciunt, ut ambulans in novitate vitæ, & secundum spiritum, non secundum carnem, sic demum extra damnationem sit, & vivat Deo. Si enim Spiritu facta carnis mortificaverimus, vivemus. Si autem secundum carnem vixerimus, utcumque crederes & præteritorum peccatorum venia donati, moriemur.*

IN IOANNIS CAP. III.

14. *Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aque salientis in vitam æternam.*

Operum
gratia
dignitas.

DO C E T hic locus vim & dignitatem operum gratiæ quæ procedunt à Spiritu Sancto, contra impios horum temporum hæreticos, qui hanc vim & dignitatem ad eò negant, ut omnia opera Spiritus Sancti in filiis Dei quantumcumque perfectis penitus immunda, adeoque peccatis potius quàm virtutibus accensenda (sunt impij Calvini verba) esse pronuntient. At loquitur hæc Christus de Spiritu Sancto quem daturus est credentibus, quod & ipse hoc loco Calvinus agnoscit. *Aqua* (inquit Christus) *quam ego dabo ei*, sup. bibenti ex illa, & Spiritum Dei in se accipienti, (quem *per lavacrum regenerationis effundit abundè*) *fiet in eo fons aque*, id est, fons donorum & gratiarum: duas enim aquas ponit, vnam fontanam seu fontis instar, quia principium & plenitudo gratiarum omnium est, ipsum videlicet Spiritum Sanctum; alteram ab eo deriuatam, ac fluentem, quam alibi vocat *flumina aquæ vivæ fluentia* in cordibus credentium, quæ sunt ipsa dona virtutum & gratiarum quibus filij Dei donantur, *salientis in vitam æternam*: id est, quæ gratiarum & donorum aqua cordibus piorum infusa, saliet in vitam æternam. Quærimus hæc ab hæreticis horum temporum. *Quid est salire in vitam æternam?* Calvinus nihil aliud illis verbis significari vult, quàm huiusmodi gratiarum ac donorum perpetuitatem ac stabilitatem. *Continua* (inquit) *notatur irrigatio quæ in hac mortali & caduca vita cælestem in illis eternitatem fouet. Non ergo ad breve tempus in nos fluit Christi gratia, sed se usque ad beatam immortalitatem diffundit, quia fluere non desinit, donec vita incorruptibilis, quam inchoat, suis omnibus numeris constet.* Sed iuxta hunc sensum, non erat dicendum, *salientis in vitam æternam*, sed *salientis, vel fluentis potius, in æternum*: sic enim perpetuum

Institut.
lib. 3. c. 15.
num. 1. &
cap. 17.
num. 3.
In Comment.
in hunc locum.
Tit. 3.
Dua aquæ
fontana &
deriuata.
Ioan. 7.

r.

& stabilem eius fluxum notaret. Deinde in priori sententia
 stabilis hæc & continua irrigatio gratiarum Christi signifi-
 cata est, vbi Christus dixit: *Qui biberit ex aqua quam ego
 dabo ei, non sitiet in aeternum.* Ad quæ verba Calvinus: *Vult (in-
 quit) Spiritum Sanctum scatebram esse perpetuo fluentem, nec
 esse periculum vt exarescant, qui spirituali gratia renouati sunt.*
 Aut ergo in his verbis plus dicit Christus, aut priorum ver-
 borum inanem & insuetam repetitionem facit. Et quidem
 multò plus eum dicere, ipsa verba conuincunt. Illic enim de
 effectu aquæ quam daturus erat, quoad eius perpetuitatem,
 dixit, *non sitiet in aeternum*: quia acceptus semel Spiritus S.
 quantum ex se est, tollit sitim in perpetuum; sitim, inquam,
 siue peruersam ac præposteram rerum noxiarum (qualis fe-
 bricitantium est) terrenarum videlicet & carnalium, siue re-
 ctam & ordinatam rerum diuinarum & spiritualium, qua-
 tenus ad salutem necessaria sunt. Nam sitis & desiderium maio-
 ris perfectionis in hac vita non extinguitur: nec etiam pror-
 sus in altera vita, vbi satietas non est quæ fastidium parit, sed
 cum aliquo semper desiderio coniuncta, quæ ipsam sitim in-
 cendit facit. Illic igitur in prioribus verbis docet Spiritum
 S. tollere sitim, qualis dixi in perpetuum, quantum ex se est.
 Nam quantum ex parte hominum est, quorum lubrica & incerta
 voluntas est, quia illi redeuntes frequenter ad vomitum ex-
 cutiunt Spiritum Sanctum, redit iterum illa sitis aut peruersa
 aut ordinata quam dixi, vbi profugus à patre filius *in seipsum*
reverti incipit. Hic verò & in his verbis docet Christus alium
 effectum aquæ quam daturus erat, nempe vt fieret in bibente
 illam *fons alterius aqua*, non solum perennis & continuus,
 sed admirabilis præterea efficacis *salientis* videlicet *in vitam*
aeternam, id est, eum in quo est, salire facientis (neque enim
 ipsa dona per hanc secundam aquam significata per se saliant
 aut operantur, sed operari faciunt, & operationum sanctarum
 principia sunt, tamen si, vt sic loquar, principiata & secundaria)
in vitam aeternam, id est, talia opera & virtutes sanctas pro-
 ducentis, quæ hominem ad vitam æternam perducant: siue
 per modum meriti, siue per modum simplicis iustitiæ, hoc
 loco non inquirimus: satis nunc erit ostendere, *aquam salien-
 tem in vitam aeternam* ex fonte Spiritus Sancti fluentem,
 esse aquam quæ eum, in quo est, salire facit, id est, efficaciter
 perducit ad vitam æternam. Vt ostenderet huius aquæ efficaciam certissimam, quæ non so-
 lam pertingit aut de facto peruenit ad beatitudinem, sed quæ

*Quomodo
 Spiritus
 S. tollit si-
 tim.*

Lucas.

*Salientis
 in vitam
 aeternam.*

sua quadam energia, efficacia, & impetu (qualis in salientibus est, longè alia quàm in ambulatibus, aut quoquo modo incidentibus) ad eam hominem perducit. Ab impetu quippe & virtute principij seu fontis sui Spiritus Sancti, cui nos hæc alterius aquæ dona coniungunt, habet hæc aqua, habent hæc dona & gratiæ credentibus infusæ, vt eos ad Deum perducant, Deoque ac vita æterna dignos faciant. Sumpra est metaphora ab aqua materiali, quæ tantum adscendit quanta est altitudo principij à quo emanat. Sic dona Spiritus Sancti, quia ab eo procedunt, ad eum ipsum eiusque fruitionem hominem cõscendere faciunt. De diuini Spiritus efficacia hoc in loco à Christo significata, vide latius & vberius disputata in Promptuarij Catholici parte Quadragesimali, in Feria 6. hebdom. 3. Quia enim ad præsentis literæ explicationem ea non faciunt, ea hoc loco non repetimus.

20. *Patres nostri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis quia Hierosolymis est locus vbi adorare oportet.*

Quia hæc mulier Patrum veteris testamenti factum de cultu Dei in monte Samariæ contra Christum præposterè protulit, bonus Calvinus pulchrum sibi argumentum nactus visus est, vt omnem in vniuersum Patrum & Magistrorum Ecclesiæ Christi autoritatè labefactaret; nostramque in illorum factis ac dictis vel imitandis vel in veritatis antiquæ testimonium proferendis diligentiam in vniuersum condemner. Quia in re perinde facit ac si nullas Scripturas pro veritate proferendas quisquam diceret, eo quod diabolus illas contra Christum impiè & præposterè protulit. Sed audiamus superbi hominis ad hunc locum hac de re verba. *Hic locus* (inquit) *in signi documento est, quàm præposterè faciunt, qui posthabito Dei mandato se cõformant ad Patrum exempla.* Illi haud dubiè præposterè faciunt qui Dei mandatum Patrum exemplis postponunt: quod nemo Catholicus facit. Cæterum Catholici Patrum exempla imitantes, non illa Scripturis aut Dei mandato anteponunt; sed quid doceant Scripturæ, & quid iubeat Deus, malunt à Patribus discere quàm à Calvinos ab Ecclesiæ Magistris antiquissimis & tam eruditionis quàm sanctitatis nomine celeberrimis, quàm ab vno nouello hæretico, & indocto (quod frequentes eius contradictiones demonstrant) & impio, quod detestandæ eius hæreses, maxime

SS. Patrum imitatio. Et allegatio defenditur.

Patres non Dei mandat. sed hæreticorum plerumque anteponuntur.

maximè de Deo authore & impulsore peccati (vt olim demonstrauimus) ad oculum loquuntur. Audiamus tamen perculantis hominis accusationem; & si quid ea ponderis ac momenti habeat, dispiciamus. *Notandum (inquit) est quomodo hic peccare soleat mundus.* Bonus Calvinus aut extra mundum aut de mundo non est: nisi fortè & idem peccet sic uolet mundus. *Sape (inquit) contingit ut sine delectu pro Patribus maior pars sequatur qui minime omnium habendi erant Patres.* Si qui ita peccant, Patrum authoritati nihil hoc derogat, sed eorum temeritatem arguit qui pro Patribus habent qui non habendi erant. Multi olim pro Scripturis habebant quæ apocrypha erant: quod Scripturarum iustam authoritatem nihil imminuit. *Ita hodie Papias videmus, quum in facis buccis Patres decantant, nullum Prophetis & Apostolis locum dare.* Putidum mendacium impostore hæretico dignum. Sic Patres allegant Catholici, vt Scripturis Prophetis & Apostolicis primum semper concedant locum. *Vbi autem paucos nominarunt honore dignos, coacervare ingentem hominum sui similitum cateruam, vel saltem descendere ad corruptiora secula, quibus etsi nondum tam crassa barbaries inualuerat, religio tamen & doctrina puritas multum declinauerant.* Bene est quòd saltem aliquos Patres honore dignos censere dignatur. Quæ sit alia ingens caterua, coniciendum lectori relinquit, ne, si eos nominaret, in promptu esset exceptio. Cui hoc vnum respondemus, in illa caterua non alios esse, nisi qui Patres illos honore dignos in eadem doctrina ac fide imitati fuerunt. De seculis corruptioribus quod garrit, in nullius seculi Patribus vera hætenus vacillauit fides: nisi aut nullam tunc Christi Ecclesiam, aut sine legitimis Patribus Ecclesiam fingat. Est autem hodiernum seculum omnium quæ hætenus fuerunt, ad fidem ac religionem quod attinet, propter grassantes sine numero hæreticos, corruptissimum. Ergo tenendum est sedulo discrimen, ne Patres censeantur, nisi quos constabit fuisse Dei filios: deinde qui pietatis sue excellentia hunc honoris gradum promeriti sunt. Tenendum quoque sedulo discrimen est, ne scriptura Canonica censeatur, nisi quæ constabit diuinitus fuisse inspiratam: deinde quæ doctrinæ suæ excellentia hunc honoris gradum promerita sit. sed nec propterea aut Patrum, aut Scripturæ; ea, quæ cuique debetur, labefactatur authoritas.

*In opere de
Iustificat.
lib. II.*

*Caluini
putidum
mendacium.*

*Frequenter etiam in eo peccatur, quòd temere ex Patrum
falsis communis lex statuitur.* Frequenter quoque in eo peccatur,

catur, quòd ex sanctorum factis in Scriptura commemoratis communis lex statuitur. Nam quia Helias sacerdotes Baal magno numero interfecit, licere sibi hodie Calvinistæ putant sacerdotes Catholicos mactare: & quia Abraham cum ancilla Agar consentiente Sara coniuge concubuit, Calvinianæ ancillæ morosas se habere dominas conqueruntur, quòd quum illæ steriles aut vetulæ sint, cum heris suis dormire non permittantur. Nihil fingo, sed quod in nostra Anglia gestum scio. Taceo alia pudoris & modestiæ causa. Nihil hoc tamen vel Scripturarum vel Patrum iustam reputationem imminuit.

Vulgus enim non satis honoris se Patribus habere putat, nisi eos eximat hominum numero. Sic quidam Evangelici fratres non satis honoris se diuinis Scripturis habere putant, nisi omnia in illis conscripta ipsi quoque sine discrimine imitentur. Ita dum nobis in mentem non venit homines fuisse qui labi poterat, vitia virtutibus promiscuè miscemus: unde sequitur pessima in viuendi ratione confusio. Nam quum ad legis regulam examinanda sint omnia hominum facta, trutinam ipsam suis ponderibus subijcimus. Denique ubi tanti sit Patrum imitatio, impunè post eos se peccare mūdus putat. Torum hoc ex præpostera quoque Scripturarum lectione accidit interdum, vt vix pro vitiis habeantur quæ à Sanctis viris vel malè perpetrata, vel in figura gesta legunt, aut ab aliis lecta audiunt. Sic propter Dauidis adulterium & homicidium electorum peccata excusantur: & duas sorores ducere exemplo Iacob, aut se ipsum interficere exemplo Sampsonis, aliqui malè sani hæretici se posse arbitrati sunt. Nec tamen vel Scripturarum lectio, vel sanctorum Patrum pia & prudens imitatio, propterea explodenda est. Et Patres quidem homines fuerant, qui labi poterant. Calvinus similiter & Lutherus homines, opinor, fuerunt, qui multò probabilius & labi, & decipi, & toto cælo à veritate ac pietate aberrare poterant, turpissimè quoque aberrarunt. Calvinus tamen, vt eum sui imitentur, adeò libenter semper tulit, vt neminem sibi contradicentem ferre potuerit. Lutheri verò illa superbissima vox est. Ego in hoc libro non contuli, sed asserui & assero; & penes nullum volo esse iudicium, sed omnibus suadeo vt præsent obsequium. Et iterum. Scio me mea dogmata habere de cælo.

Gnostici & Circuncelliones.

Balsæus in vita Caluini.

In fine libri de seruo arbitrio.

3. *Tertium vitium est (ait Calvinus) praua emulatio, ubi scilicet nec eodem præditi spiritu, nec eodem instructi mandato, trahimus in exemplum quod aliquis Patrum fecit. Quid hoc tertium à secundo differat quod proximè posuit, nec ipse Calvinus*

vinus distinguet vnquam, nisi quod ibi imitationem dixit, hinc æmulationem prauam vocet. Sed quid ex eo inferat videamus. *Ex hoc fonte fluxisse bonam partem veteris monastices favebuntur qui prudenter veterum scripta expendit.* Laudo Caluini ingenuitatem. Si enim veteres Monachi à suis maioribus sua instituta acceperunt, eosque imitati sunt; profecto nec res noua est monasticæ vitæ institutum (vt clamare solent hæretici) nec veteres Monachi sua aliqua inuenta amplexi sunt, sed à probatissimis Patribus ea hauserunt. Laude hoc dignum, non vituperio, nemo æquus negabit. Ergo (ait Caluinus) *nisi sponte errare libeat, semper videndum est quousque spiritu donatus sit, quid ferat cuiusque vocatio, quid singulis conueniat, & quid singulis sit mandatum.* Bonus Caluinus, quod semper in Ecclesia Catholica accuratè seruatum est, nunc demum quasi nouus de cælo Magister, alios se docere posse arbitratur. Quis nescit in Ecclesia Catholica ordinem hierarchicum esse, vt, ad pietatis studium quod attinet, nec nouum aliquod institutum à pluribus suscipiendum sine iusta auctoritate & stricto examine approbatum aliquando fuerit, nec priuatæ personæ singulare aliquod vitæ genus sine Patrum suorum spiritualium ac superiorum approbatione aggredi vnquam potuerint? nihil ergo ad rhombum hæc omnia. Videamus reliqua.

Huic tertio vitio affine est aliud, confusio scilicet temporum, dum posterè in Patrum exemplis occupati, diuersam agendi legem sibi à Domino præscriptam esse non cogitant. Hoc si ita est, iam ad primam accusationem redit, de iis qui posthabito Dei mandato ad Patrum se exempla confirmant. Cui quod antea responsum est, hinc quoque satisfaciet. Sed aliquid in specie dicturus Caluinus est. Audiamus. *Huic (inquit) inscientia acceptum referrì debet immensa ceremoniarum congeries, quibus obruta est Ecclesia sub Papatu.* Hæc adhuc indefinita accusatio est, quia nec cæremonias designat, quæ spirituali huic viro displicent, nec ex qua parte stet illa cõgeries ostendit. Sed dolosus versatur in generalibus; & Caluino magis ex re visum est dolo agere, quàm in sinceritate veritatis & honestatis. Audiamus adhuc cætera.

Statim ab Ecclesia exordio in hac parte peccari ceptum est, quia plus valuit stulta Iudaismi affectatio, quàm decebat. Habebant Iudæi sua sacrificia. Ne tali pompa carerent Christiani, inuentus est immolandi ritus. Quasi verò deterior futura esset Christianæ Ecclesiæ conditio, si cessassent omnes umbra quibus
offusca

Veteris Ecclesia accusatio multa de causis rejicienda.
Matt. 10.

1. *offuscari poterat Christi claritas.* Hic instituitur veteris Ecclesie accusatio. Sed primum totam actionem reiicimus vt nefariam conpirationem, iuri humano atque diuino repugnantem. Non est audiendus filius contra patrem, aut seruus contra dominum, in iis quæ ius paternum, aut domini prerogatiuam concernunt. *Non est discipulus supra magistrum, neque seruus maior domino suo.* Calvinus, aut filius & membrum Ecclesie est, aut extraneus, hospes, & aduena. Si filius, aut membrum, non est audiendus contra Patres & capita Ecclesiarum Christi. Si extraneus & aduena, eius accusatio contra domesticos fidei multò magis reiicienda est. Deinde iuxta

2. *Apostoli regulam, Aduersus presbyterum accusatio recipienda non est, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Calvinus ergo contra totum presbyterium veteris Ecclesie solus arguens & absque testibus, non audiendus, sed castigandus est. Rursum,

3. Actio sequitur forum rei. Si veteris Ecclesie Patres reos constituere Calvinus vult, non eos apud tribunal suum, sed apud tribunal Christi, quod in terris aliud non est quàm Ecclesia Christi, conuenire debet. Nunc homo impius, & audax, actorem & iudicem agit: accusat, & condemnat. Nullam Ecclesiam sed seipsum audit. Postremò quid erit in religione firmum, quid constans, quid certum, si totius veteris Ecclesie ab ipso eius exordio (sic enim loquitur) praxis, idque in toto externo cultu, post tot secula, argui, reprehendi, superstitionis & affectati Iudaismi damnari possit? An non eadem libertate quilibet alius hæreticus quodlibet fidei dogma, quantalibet omnium Patrum ab ipso Ecclesie exordio consensione firmatum, conuellere, arguere, & condemnare poterit? Quare hac in re Calvinus nihil nisi suam dementissimam insaniam pio & prudenti lectori prodidit. *De illis enim dubitare (multo magis illa affectati Iudaismi damnare) qua tota per orbem preuenientat Ecclesia, insolentissima insania est,* ait S. Augustinus: vir (ui fallor) Caluino modestior & fide dignior. Sic ipsam (vt dixi) actionem, vt improbi hominis nefariam conpirationem, meritò reiicimus. De re verò ipsa, mox in alio huius

Epist. 118. Euangelij loco dicetur.

Infra cap. pres. v. 23.

Recentioris Ecclesia accusatio refulsitur.

Iam ad recentioris Ecclesie accusationem descendit, & ait: *Sed postea longius erupit, ac sine modo grassatus est furor.* Feriosa est insani cerebri declamatio: nulla ratione subnixâ, nullo argumento firmata. Concludit tandem. *Ergo ne hic labamur, semper ad presentem regulam attentos nos esse oportet. At quæ est hæc præsens regula? Attendat Lector, ne se inanibus*

ver

verbis falli patiatur. *Olim (inquit) suffitus, luminaria, vestes
 sacra, altare, vasa, & similes ritus Deo placebant. Nempe quia
 obedientia nihil habet gratius vel magis pretiosum. Nunc à
 Christi aduentu mutata est ratio. Qui sic Caluine, aut vnde
 id probas? Ne vno quidem verbo probat impostor à Christi
 aduentu mutatam esse rationem, vt nunc cæremoniis exter-
 nis in cultu Dei externo non sit opus. Sed suam nudam ac
 simplicem assertionem, totius accusationis fundamentum po-
 nit. Suam nudam ac simplicem assertionem, præsentem regu-
 lam vocat, ad quam attentos nos esse oportet. Post omnem de-
 clamationem tam contra veterem quàm contra præsentem
 Ecclesiam, quum ad rem & punctum venit, quo accusatio-
 nis totius causa, ratio, fundamentum constitui debet, nihil
 adfertur aliud, quàm nuda & simplex affirmatio. Atqui qua
 ille facilitate mutatam iam esse in Christi aduentu rationem
 affirmat, vt altaria, quæque eò pertinent, locum amplius in
 Ecclesia Christi habere non debeant, eadem facilitate hoc
 eorum nos illi negamus: & negantem habemus nobiscum vni-
 uersam Ecclesiam Christi tam veterem ab ipso eius exordio
 quàm præsentem. Nec negamus taurum, sed & ex Apostolo
 probamus, disertis verbis dicente. *Habemus altare de quo ede-
 re non habent potestatem qui tabernaculo deseruiunt.* Si alta-
 re, suffitus quoque, luminaria, vestes sacras, vasa, & similes ri-
 tus eò pertinentes. Cæterum de re hic non disputamus, nec
 disputandi locus est. Caluini tantum aduertenda improbitas,
 impudentia, impietas, qui post tam longam accusationem
 tam in genere quàm in particulari, tam grauem, tam acerbam,
 quum ad causæ firmamentum venit, nihil quàm lectorem
 iudicat. Perpetuus hic illi mos est. Audacter asserit, confi-
 denter accusat, copiosè cõcludit. Nihil omnino probat, nihil
 confirmat. Hoc est impostorem ac seductorem agere, & vt
 Apostolus dicit, *in astutia & nequitia circumuenire.* Quare
 iterum post nudam & simplicem assertionem suam fortissimè
 concludit. Ergo quid nobis in Euangelio præscribat Christus,
 considerandum, ne temerè sequamur quod sub lege Patres ser-
 uarunt. Nam qua tunc fuit pia sacrorum observatio, hodie sce-
 leratum sacrilegiũ foret. Quid in Euangelio præscribat Chri-
 stus, & quàm latè patet docendi potestas Ecclesiæ magistris
 in Euangelio data, & quatenus eternis ritibus Deus colen-
 dus sit, ipsa nos Ecclesia docere debet & docuit, nõ Caluinus,
 non alius quilibet post tot secula nouellus magister. Lippis
 ac tonsoribus in Ecclesia Catholica notum est, cæremonias
 Eccle*

Caluini
 fundamen-
 tum, pro-
 pria asser-
 tio.

Hebr. 13.

Caluinus
 verus im-
 postor.
 Ephes. 4.

Ecclesie non ex imitatione Iudæica magis quàm Ethnica sed ex Apostolorum & Apostolicorum virorum pia institutione promanasse. De qua re mox plura dicemus in postremo huius Evangelij loco. Nam de ipsa SS. Patrum saluberrima & necessaria autoritate, & quatenus ea valeat, & quousque se extendat, in opere nostro de Principiis fidei iam olim latè diximus.

Lib. 7. cap. 12. & seqq.

22. *Vos adoratis quod nescitis : nos adoramus quod scimus.*

Intentiones
bona fru-
stra impu-
gnantur.

Locus impotentem Caluini calumniam, qua Catholicos ad hæc verba grauat, paucis repellendi. *Hæc* (inquit) *frustramine concidunt bona omnes intentiones quas vocant. Habemus enim homines nihil posse quàm errare, ubi sua eos regit opinio sine verbo aut mandato Dei. Nam Christus personam & causam gentis sue suscipiens, Iudæos longè à Samaritanis distare docet, & hoc uno eos præstare, quòd æterna salutis fœdus cum illis pepigerat Deus : & quòd non incognitum aliquod numen, sed Deum unum adorant, qui se illis patefecit, & à quo sunt in populum adoptati.* Obseruanda est collectionis Calvinianæ absurditas pariter & impietas. Absurda & insulsa hæc collectio est. Samaritani quia cum vero Deo falsos deos colebāt, nec ullam habebant religionis suæ certam regulam ac normam, videlicet nec Scripturas (nisi solum Pentateuchum) nec sacerdotes legitimos & à Deo missos, nec certa & legitima sacrificia aut festa à Deo instituta, sed in quatuor sectas (Sebænos, Corthenos, Dositheos, Essenos) diuisi, tam sacrificia immutabant, quàm festa transferebant, prout cuique sectæ visum erat, & à solo diuini cultus loco ac templo abhorrebant ; has & alias ob causas, *adorabant quod nesciebant*, id est, in toto Dei cultu aberrabant : ergo Christiani Catholici nullas bonas intentiones habere possunt, nisi quæ in Dei verbo aut mandato scripto continentur. Hæc est enim ex illis verbis, *Vos adoratis quod nescitis*, Caluini conclusio. Cuius absurditas in simili apparebit. *Qui ambulat in tenebris, ambulat quòd nescit* : ergo qui ambulat in lumine, nisi lucernam manu gerat, ambulat quoque quòd nescit. Christiani quippe Catholici, & fide iam ac Spiritu Dei donati, *ambulant in lumine, aguntur Spiritu Dei*, habent ductores quos Deus illis dedit. Scripturarum lucerna non semper opus habent. Multa pietatis opera vel ex Spiritus sancti solo instinctu, vel iuxta ducto-

Epiphanius
lib. 9.

Caluini-
ana absur-
ditas in si-
mili de-
monstra-
tur.
Rom. 8.

ductorum suorum ac Pastorum consilia, absque expresso in Scripturis mandato Dei, piè ac laudabiliter exequuntur. Quorum nisi in ipsis Scripturis multa occurrerent exempla (quæ in Promptuario nostro Catholico enumerauimus) fingi hoc à me videri posset. Nunc autem ex bonis filiorum Dei intentionibus (quibus se hostem Calvinus profiteretur tum hoc, tum aliis in locis) quæ vel non expectato Dei mandato spontaneas Deo oblationes & hostias spirituales faciunt, vel præter & ultra ipsum Dei mandatum in Scripturis positum (quod frequenter necessaria sola præscribit) opera supererogationis præstant; innumera bona opera Deo gratissima procedunt, de quibus in Promptuario nostro Morali semel atque iterum differuimus. Vt ipsemet Calvinus hunc suum commentarium in Euangelium Ioannis, in Harmoniam trium Euangelistarum, in omnes Apostolicas Epistolas conscriberet, in quo (quæso) verbo aut mandato Dei scripto fundatur? aut ubi mandatum in Scriptura accepit? An negabit tamen aut videri non volet ex bona intentione ad Dei gloriam & proximi vtilitatem se ea omnia scripsisse? Negare etiã poterit absque ullo Dei verbo aut mandato in Scripturis posito ad illa opera animũ applicuisse? Cur ergo cæcus hæreticus in aliis, tam multis piorum bonis operibus ac laboribus easdem bonas intentiones non aduertit? Cur eas reprehendit, & hominum impiorum, qui verum Deum ignorant, cæco cursui assimilat? Omnes à vero Dei cultu alieni, vt isti Samaritani, vt pagani, vt hæretici, *adorant quod nesciunt*: nec eos iuuare possunt bonæ aliquæ intentiones, quia *sine fide impossibile est placere Deo*, & Spiritum Dei non habent à quo agantur. At verò pij & Catholici Christiani, Christo Capiti in suo corpore, quod est Ecclesia, adhærentes, ideòque Spiritũ Christi qui in corpore eius est, & extra corpus eius non est, in sese habentes, *id adorant quod sciunt*, in Dei cultu non aberrant, tametsi extra Scripturæ terminos multa bona in Scripturis non præscripta operentur; & eorum bonæ intentiones plurimũ eos iuuant, multaque præclara opera Deo grata, proximis vtilia, profectant. Ex quibus efficitur non absurdam modò, sed & impiam (vt dixi) collectionem hanc Calvinianam esse. Quare quod iterum hoc loco repetit & ingeminat, eadem impietate laborat. *Quantumuis* (inquit) *in sua pertinacia sibi blandiantur & laudant, qui ex sensu suo vel hominum traditionibus adorant Deum, hæc una vox de calo detonans, quicquid se habere putant tuum & sanctum, prosternit. Itaque ut Deo probeatur, nostram*

In Dom.
infra O.
Natiuit.
Dom.

Domin. 1.
post Epi-
phan. tex.
1. Domin.
Pasch. tex.
2. Dom. 4.
post Pent.
tex. 2.

Hebr. 10.

*Hareticos
sensum
suum &
hominum
traditio-
nes sequi-
tur.*

religio, necesse est ut in scientiam ex eius verbo conceptam recumbat. Quadrant hæc verba optime in ipsum Calvinum, omnesque sectarios, qui *ex sensu suo* (non ex sensu Ecclesie, non ex sensu & consensu Sanctorum Patrum, contra quos modo Calvinus declamavit, non ex sensu Sacrorum Conciliorum) & *ex hominum traditionibus*, Lutheri, Bucerii, Zuinglij, & aliorum placitis, Deum adorant, Scripturas exponunt, dogmata fabricant, cultum instituunt. Isti omnes *adorant quod nesciunt*. Istorum religio non recumbit in scientiam ex verbo Dei conceptam, sed in scientiam ex proprio cuiusque cerebro natam, ad quam postea Dei verbum contorquent, ut in nostris, fauente Deo, Antidotis Evangelicis & Apostolicis toti orbi manifestum fiet. Catholici vero, quorum hic bonas intentiones extra scriptum verbum impugnat Calvinus, *nec ex sensu suo, nec ex hominum traditionibus*, sed ex sensu Spiritus Dei quem acceperunt in corpore Christi, & ex hominum, quos Deus misit, suæque Ecclesie præfecit, & eam docere ac regere iussit, doctrina & præceptis Deum colunt. Religionem quoque tenent non à seipsis recentem inventam, ut Calvinus cum suis, sed ex verbo Dei conceptam, iuxta perpetuam Catholicæ Ecclesie fidem, & Sanctorum probatorum expositiones orthodoxas: quas contra omnes quocumque tempore exurgentes hæreses Pastores Ecclesiarum, qui pro tempore fuerunt, summa religione & diligentia sequuti & imitati sunt, ut alio in loco ostendimus.

*De Prin-
cip. fidei
lib. 7. c. 12.
Haratici
hodie ado-
rant quod
nesciunt.*

Iam vero absterisa hæc Calvini in Ecclesiam Catholicam calumnia, videamus quàm hæc reprehensio, *Vos adoratis quod nescitis*, in ipsum maxime Calvinum omnesque hæreticos rectè ac merito retorqueri debeat. Samaritani adorabant quod nesciebant, quia nec verum Deum cognoscebant, nec eum rectè colebant. Non cognoscebant verum Deum, quia quem pro Deo colebant, illius solum terræ Samaritanæ, non uniuersorum, Deum esse credebant. Non eum rectè colebant, quia nec ritus à Deo præscriptos tenebant, & præterea multos falsos Deos adorabant. Temporis denique progressu etiam templum magnum in monte Garizim extruebant, quod templo Hierosolymitano ex Dei mandato extructo æmulum foret. Sic templum contra templum, altare contra altare erigebant, seque veros Dei cultores venditabant. Eorum originem his verbis describit Scriptura. Abductis decem tribubus in Assyriam (quarum tota possessio Samaria tunc vocabatur) & in eorum locum ac possessiones Assyriis translatis, Num-

*Samari-
tanorum
erroris
origo.*

*Num-
cialium*

ciatum est Regi Assyriorum, & dictum: Gentes quas transfulisti, 4. Reg. 17.
 & habitare fecisti in ciuitatibus Samaria pro filiis Israel, ignorant legitima Dei terra, & immisit in eos Dominus leones: & ecce interficiunt eos, eo quod ignorent ritum Dei terra. Præcepit autem Rex Assyriorum, dicens, Ducite illuc unum de sacerdotibus quos inde captiuos abduxistis, & vadat & habitet cum eis, & doceat eos legitima Dei terra. (Semper vocant eum quem colere intendebant, Deum terræ, quasi illius terræ proprium quendam Deum, & non totius vniuersi conditorem.) Igitur quum venisset vnus de sacerdotibus his qui captiuus ducti fuerant in Samaria, habitauit in Bethel (hic est ille mons in quo Iacob adorabat, & de quo hæc mulier in hoc Euangelio loquitur, exstructo tunc illic templo magnificentissimo) & docebat eos quomodo colerent Dominum. Et vnaquæq; gens fabricata est Deum suum: posueruntque eos in phanis excelsis qua fecerunt Samaritana, gens & gens in urbibus suis in quibus habitabat. Viri enim Babilonij fecerunt Socoth-benot: viri autem Cuthæi fecerunt Nergel: & viri de Emath fecerunt Asina. Porro Hæthæi fecerunt Nebahaz & Tharhac. Hi autem qui erant de Sepharuaim comburebant filios suos igni, Adramelech & Anamelech dijs Sepharuaim, & nihilominus colebant Dominum. Fecerunt autem sibi de nouissimis sacerdotes excelsorum, & ponebant eos in phanis sublimibus. Et cum Dominum colerent, dijs quoque suis seruebant, iuxta consuetudinem Gentium, de quibus translati fuerant Samariam: usque in presentem diem morem sequuntur antiquum. Non timent Dominum, neque custodiunt ceremonias eius atque iudicia, & legem & mandatum, quod præceperat Dominus filiis Iacob. Hæc est Samaritanorum origo, hæc eorum adoratio, hic cultus. Sic adorabant quod nesciebant.

Gen. 33.

Vide nunc an non in nostri maximè temporis hæreticis eodem modo se res habeat, vt verissimè adorent quod nesciant. Samaritani colebant Dominum in Bethel, in quo postea loco Manasses homo Iudæus, ducta in vxorè Sanabaleris filia, qui Darij nomine Iudææ præfuit, ne fracte summo apud Iudæos Pōtifice esset inferior, magnificentum templum extruxit, & sacerdotem se illic creauit, ac quibuscumque potuit apostatas Samaritani & hæretici schismatis comparatio.
 (vult in hunc locum Caluinus) premijs ad se pellexit: socii videlicet sui frater potentia. Sic autem in hoc monte Dominum colebant, vt vnaquæque gens in alijs excelsis & phanis sua idola suis proprijs ritibus colerent. Omnino pari ratione hæretici hodie Christiani Catholici quum essent, ipse impi-

Antiq. lib. II, cap. 8.

Lutherus mis Martinus Lutherus monachus, sacerdos, & Doctor, ne
alter Ma- quodam alio fratre suo cui indulgentiarum publicatio (res
nasser. tum lucrosa) commissa fuit, inferior esset (eandem quippe
 modis omnibus ambiebat) fretus Saxoniae ducis autoritate
 ac potentia, cuius nouellae filiae Academiae Vvittembergensi
 primarius professor ascitus fuerat, nouum in Germania &
 per amplum latè patentis Schismatis templum erexit; altare
 contra altare, cathedram contra cathedrâ instituit; Romanam
 Sedis legitimam autoritatem omnibus modis conuellens,
 Sacerdotem se illic, nouum Euangelium, Prophetam, Apo-
 stolum creauit: & vt Caluini verbis utar, *quoscumque potuit*
apostatas ad se pellexit. Mox Lutherani quasi noui Samaritae
 crescere & multiplicari ceperunt. Cæterum qui Luthero ad
 momentum adhaeserunt, & cum eo *Dominum colebant*, id est,
 Christiani vocari semper volebant, confestim suos quisque
 Deos, sua idola, sui cerebri phantasmata colebant, alij rigidi,
 alij molles, alij extrauagantes Lutherani: & inter hos alij
 Zvingliani, alij Anabaptistae, alij Osiandrii, alij demum Cal-
 uinistae. Vt multo plures sectae breui momento exortae sint,
 quam apud Samaritas Gentes erant diuersos Deos colentes.
 Qui quidem omnes, sicut Samaritae Dominum in Bethel co-
 luerunt, sic iuxta nouum Euangelium à Luthero restaura-
 tum, se Dominum colere protestantur. Lutherum enim pro
 viro Dei & magno Propheta omnes adhuc sectae reuerentur:
 & illorum Bethel Vvittembergae est. Interim tamen alius Ge-
 neuae, alius Tiguri, alius in Anglia partim Protestantium, qui
 Regiae voluntati se accommodant, partim Puritanorum cul-
 tus est, alia politia, varia & diuersa dogmata. Omnibus hoc
 commune est, vt cum Samaritis illis non custodiât ceremo-
 nias, iudicia, atque mandata Dei iuxta eorum praescripta. qui-
Matth. 28. bus Christus dixit, *Docete omnes gentes, docentes eos seruare*
omnia quaecumque praecipi vobis, iuxta Ecclesiae Catholicae &
 Praepositorum eius doctrinam & traditionem. Sequitur vnul-
 quisque sua placita, tam in Sacramentorum administratione,
 quam in verbi praedicatione, totoque cultu atque doctrina.
Matth. 23. Sic adorant, quod nesciunt: in tenebris ambulant. Ab eis lu-
Ioan. 21. men accipere nolunt, quibus Christus dixit, *Vos estis lux*
Luc. 16. mundi. Ab eo pasci nolunt, cui Christus dixit, *Pasce oves meas.*
Heb. 13. Eos audire nolunt, quibus Christus dixit, *Qui vos audit, me*
audit. Illis obedire nolunt, de quibus Paulus dixit, *Obedite*
Praepositis vestris. Suam quisque lucem sequi vult, semecipos
 pascere, solum Christum in Scripturis, prout ipsis sonat, lo-
 quentem

quentem audire, nemini obedire volunt. Sic adorant quod nesciunt, & ambulant quò nesciunt. Nam cum veteribus quoque Samaritis *faciunt sibi ex nouissimis sacerdotes excelsum*. Homines mechanicos, illiteratos, audaces, temerarios, ministerio verbi præficiunt. Hos cæcos duces cæci sequuntur, vt adorènt quod nesciant. Sanè cõtentione illa Samaritanorum cum Iudæis propter extructum illud templum longius progrediente, re tandem ad iudicium Ptolémæi regis delata, & acerrimè à cuiusque pattis aduocatis examinata, ex hoc imprimis argumento, quòd Iudæi templi sui antiquitatem multo maiorem, Sacerdotum in eo perpetuam successionem, Prophetarum, qui illi adhæserunt, prædicationem ostenderent (quibus omnibus Samaritæ cærebant) causa ceciderunt Samaritæ. Pronunciatum est eos adorare quod nesciebant; Iudæos illud adorare quod sciebant, id est, totius cultus sui certam scientiam, certa fundamenta, normam & regulam certam habere. Eundem planè in modum nullo negotio conuincuntur hæretici hodie adorare quod nesciunt, quia in eorum Bethel, nec antiquitas est, nec sacerdotum successio, nec Prophetarum prædicatione: demonstrabitur verò nos Dei beneficio Catholicos hæc omnia habere, apud nos esse totam antiquitatem, ex cuius testimoniis fidem nostram roboramus, esse Pontificum & Sacerdotum successionem, quos posuit Spiritus S. regere Ecclesiam suam: esse SS. Doctõrum & Patrum vnanimem consensum. *quibus Ecclesia (vt Augustini verbis vtat) plantatoribus, rigatoribus, adificatoribus, Pastoribus, nutritoribus creuit*: ideoque nos adorare quod scimus. Et sicut olim *salus ex Iudæis erat*, quia Christus salutis author, & Evangelica doctrina, & lex & promissiones ex ipsis erant, quatenus eis prædicta & promissa, & à Christo (qui ex eis erat) impleta fuerunt; sic nunc salus ex Catholicis est, & in sola Ecclesia Catholica Apostolica Romana, quia Christus salutis author non nisi in illa Ecclesia, quæ corpus eius est, loquitur, quia tota Evangelica doctrina & lex Dei, & quæcunque Dei promissiones in ea & ex ea sunt, quatenus eius ministerio docentur, & non nisi in ea, eiusque vnitati adhærentibus, adimplentur ac possidentur. Et sic quidem omnes horum temporum sectæ & hæreses hoc vno fulmine concidunt; *Vos adoratis quod nescitis*: & hæc vox de cælo detonans, quicquid se habere putant diuinum & sanctum, prostermit.

*Josephus
Antiq. lib.
13 cap. 6.*

*Contra
Iul. lib. 2.*

*Salus ex
Ecclesia
Catholica*

23. *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.*

*Cultus externus a-
struitur ac
defenditur*

Locum hunc insigniter hodie deprauant hæretici. Ex his quippe verbis fortiter pugnant, noui testamenti cultum & Euangelij statum omnibus externis ceremoniis vacuum esse debere, nec nisi spirituales, nudum, ac simplicem. Spiritum enim hoc loco interpretantur vt à corpore distinguitur, & actum animæ tantum spirituales significat. Vnde Calvinus. *Deum colere in spiritu & veritate, est ablatis veterum rituum inuolucris simpliciter retinere quod spirituale est in Dei cultu. Nam veritas diuini cultus in spiritu consistit, ceremonia autem quiddam erant aduentitium.* Et iterum. *Omnibus seculis fide precibus, gratiarum actione, puritate cordis & vita innocentia coli Deus voluit: sed erant in lege varia accessiones vt spiritus & veritas sub inuolucris laterent.* Sic spiritum & veritatem exponit quatenus externis omnibus ritibus & ceremoniis opponitur, quibus spiritualis cultus adumbratur & significatur. Sic omnes ceremonias quæ aliquid spirituale adumbrant aut significant, pro Iudaicis habet Calvinus. *Quare mox ceremonias Ecclesiasticas pro huiusmodi habens, in eas inuehitur. Hoc (inquit) discrimen in Papatu non modo confusum, sed penitus euersum fuit. Neque enim illic minor est umbrarum densitas, quam fuit olim sub Iudaismo.* Sed fallit lectorem impostor. Ceremoniæ Iudaicæ non ideo umbræ fuerunt, quia spirituales & interiores cultum adumbrabant aut significabant, sed quia rerum veritatem, quas Christus completurus erat, vel quæ in Christo compleri debebant, typicè & figuratiuè adumbrabant. Neque enim sacrificia animalium & ceremoniæ Iudæorum exteriores, data & instituta à Deo erant, quasi actus exteriores ex interiori virtute procedentes: neque ea iussit fieri, quasi illa ipsius fidei, dilectionis, & interiorum virtutum actus essent (quamuis qui ea fide & dilectione exhibuissent, rectè & in spiritu facere dicti fuissent, nec sic legale opus exercuissent, sed Euangelicum, nouique testamenti proprium) sed vt essent figuræ ac repræsentationes quædam eorum quæ per Christum futura erant, cuius venturi fidem illa exercendo protestati sunt. Et in hoc Iudæorû cultus à Gentilium cultu latissimè differebat. Non enim Gentes sua holocausta & ritus faciebant quasi futurorum signa, sed quia grata diis suis existimabant. Iudæus non sic habuit à Deo mandatum: imò expressè eos docuit Deus quòd holo-

*Ceremonia
Iudaica
quomodo
umbra.*

caustis & sacrificiis non delectaretur. Quare non ea instituit quasi quæ in se & per se placerent, nec ut eorum tantum obedientiam exercerent, ut putat Caluius, qui *ideo hæc Deo grata fuisse ait, quia ab ipso mandata & præscripta fuerunt*; sed ut figura eorum quæ illi placebant, & ut pædagogia quedam ad rerum pro salute humani generis futurarum notitiam eos manuducens. *Adorare igitur in spiritu & veritate*, nõ est nullis externis ceremoniis Deum colere, (ne etiam eadem opera omnes etiam externi pietatis actus excludantur) sed est non amplius aut in falsitate adorare, sicut fecerunt Samaritani (ut supra explicatum est) aut sacrificiis figuratiuis ac ceremoniis ymbraticis, quæ alterius cuiusdam veritatis ymbræ ac representationes sint; verum in veritate rectæ fidei, sanæque doctrinæ, & in operibus ex Spiritu procedentibus, & actibus cum interna pietate coniunctis Deum adorare. Si enim rectè aduertimus, hæc duo aliis duobus Christus opposuit. Quum enim dixisset, *Venit hora quando neque in monte hoc neque Hierosolymis adorabitis Patrem*, interiecta aliqua distinctione vtriusque adorationis, & Samaritanorum adoratione reiecta, Iudæorum defensa, subiungit repetens: *Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate*. Iudæorum adorationi, id est, toti cultui externo, qui in templo Hierosolymitano fiebat (de eo enim erat tunc sermo) opponit adorationem ex spiritu, id est, cultum non legalem, sed Euangelicum, non carnalem, sed spirituales, non in sacrificiis & ceremoniis futurarum rerum figuratiuis, & ymbraticis, sed in actibus seu merè internis ac spiritualibus, ut pura fide, dilectione, spe, seu externis ex spiritu procedentibus, & ab aliis illis virtutibus aut elicitis aut imperatis, ideoque spiritualibus quoque. Samaritanorum adorationi, quæ tota falsa erat & cæca (adorabant enim quod nesciebant) opponit cultum Dei in veritate, in sana fide, & recta Dei notitia: ut veritas errorem excludat, quo Samaritani laborabant, sicut spiritus ceremonias legales & carnales excluderat, ex quibus cultus Iudaicus constabat. Et hic sensus à doctissimis Ecclesiæ Patribus traditur, ut mox docebitur.

Sed ut ad Caluini commenta respondeatur, non est quidem dubitandum, *omnibus seculis fide, precibus, gratiarum actione, puritate cordis, & vitæ innocentia se Deum coli voluisse, & spirituales Iudæos ita Deum verum piè ac studiosè coluisse*. Sed nõ erat ille legalis cultus, verum Euangelicus, nec templo Hierosolymitano proprius, cui adoratio in spiritu opponitur, sed

*Adorare
in spiritu
& veritate.*

*Caluini
cauillis
respondetur.*

quem quouis in loco ac tempore, quilibet verus Israëlita seu alius quicumque Dei cultor exerceret. Accessiones verò ceremoniarum Iudaicarum non ideo adhibebantur, vt in illis inuolucris spiritus ac veritas lateret, vt Calvinus affirmat, spiritus, inquam, & veritas, sicuti hoc loco à Christo accipiuntur, vt suprà satis ostendimus, sed ad futuras veritates adumbrandas, vt iam dictum est, docetque latè in epistola ad Hebræos Paulus. Quod ergo Calvinus addit *hoc discrimen in Papatu esse confusum adeoque euersum, quia non est illic minor umbrarum densitas, quàm olim sub lege fuit*, vel putida cauillatio vel crassa ignorantia est. Nullas enim umbras Papatus habet, nullas ceremonias umbraticas, quæ videlicet futurarum rerum umbræ & figuræ aut repræsentationes sint, quales ceremoniæ Iudaicæ erant, dicente Apostolo: *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indefinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere.* Nostra Sacramenta, nostrum sacrificium à Christo institutum non sunt futurorum bonorum umbræ, sed sunt præsentium bonorum, quæ nobis conferuntur, instrumenta & signa efficacia. Nostræ ceremoniæ circa Dei cultum, nostra templa, altaria, vestes, ac vasa sacra, luminaria, suffricus, nostræ genuflexiones, & quicumque externi ritus, nihil futurum adumbrant, sed vel actus exteriores sunt ex interiori virtute procedentes, quæ per se Deo placent, vel actus reuerentiæ erga Deum, atque etiam ad excitandam mæris deuotionem, & ad rerum spiritualium, quas tractamus, aliquam expressionem, ac denique interni cultus nostri attestacionem, quæ omnia spiritualis cultus adiumenta sunt.

Ceremonias umbraticas Ecclesia non habet. Heb. 10.

Ceremonia Ecclesiastica cur adhibetur.

Calvinus ex seipso refutatur. Institut. lib. 1. c. 14. num. 1. & 15. & 17.

Cap. 4. num. 30.

Videamus an hoc ipsum Calvinus & sequaces eius interdum non attestentur. Sanè Calvinus tum in definitione Sacramenti ait, *nos in Sacramento tum pietatem nostram erga Deum tam coram eo & Angelis quàm coram hominibus testari*, tum postea explicans Sacramenti naturam, ait discrepè. *Sacramenta ceremonias esse, quibus Deus exercet populum suum ad testandam apud homines religionem*, tum denique in vniuersum de ceremoniis dicit, *gentilitias illas initiationes in sua sacra & ceteros degeneres ritus, tametsi erroris erant ac superstitionis pleni, indicio tamè fuisse non posse in professione religionis homines externis huiusmodi signis carere.* Theodorus quoque Beza in Confessione fidei s. æ ita scribit. *Christus veteres illas umbras suo fulgore ita dispulit, mundumque ita docuit in spiritu*

spiritu & veritate Deum colere, ut tamen nihilominus crassa & rudis nostra natura habuerit rationem, ideoque signa exteriora adiunxerit. Habemus claram & perspicuam aduersarij in confessionem. Quæ si ad certa Sacramenta, certasque ceremonias, quales Caluino placent, piè retinendas valent; quanto magis ad illa Sacramenta, ceremonias ac ritus omnes, quos tota per orbem frequentat Ecclesia, piè ac laudabiliter retinendos valere debet. Ineptè igitur, & quod suæ ipsius doctrinæ ex diametro aduersatur, addit hoc loco Caluinus. *Quibuscumque elabi cauillis conentur, in externa tantum forma nos esse Patribus dissimiles constat, quia illi spiritualiter Deum colentes ceremoniis astricti erant, qua Christi aduentu sunt abolitæ.* Habemus quippe & nos ceremonias ac ritus (teste Caluino) sine quibus religionis professio non subsistit, & vt ait Beza, quæ crassa ac rudis nostra natura postulat. Non ergo Iudæis in externa forma ideo dissimiles sumus, quòd illi ceremoniis astricti erant, nos nullis astringi debemus; sed in hoc plane plurimum dissimiles sumus, quòd illi per suas ceremonias Deum spiritualiter non colebant (quod hic asserere videtur Caluinus) sed aliud quid agebant, vt supra explicatum est. Tales vmbrales ceremoniæ Christi aduentu abolitæ sunt: ceremoniæ Ecclesiasticæ, quales supra descripsimus, abolitæ non sunt, ipsomet teste & approbante Caluino. Frustra igitur hoc loco, atque etiam paulò superius contra veteres Patres ceremoniarum cultores, planeque suæ ipsius doctrinæ repugnanter declamauit Caluinus.

Nunc sensum verborum Christi quem dedimus, quatenus adoratio in spiritu & veritate, adorationi Samaritanorum & Iudæorum à Christo opponitur, ex Patribus aliquot doctissimis confirmabimus. Tractans hunc locum D. Ambros. ait.

Spiritus hic ponitur pro gratia spirituali, in qua adoratur Deus sicut adoratur etiam in veritate. Non enim adoratur, nisi qui veritatem diuinitatis eius pio haurit affectu. Veritatem igitur opponit errori circa verum Deum quo laborabant Samaritani: Spiritum seu spiritualem gratiam ceremoniis Iudaicis, quæ illæ carebant, & quæ Euangelio propria est. Idem clarius & expressius. D. Cyrillus in hunc locum. *Præsens aduentus sui tempus Christus significat, in quo figurat legis in veritatem, & vmbra in cultum spiritualem, & placentem Deo Patri viuendinormam per Euangelicam doctrinam transmutari insinuat. Spiritualis enim adorator Deo gratus est, qui non forma & figuram Iudaicis ad pietatem adumbratur, sed Euangelica virtute*

De Spiritu
lib. 3.
cap. 12.

In Ioan.
lib. 2. c. 23.

*refulgens recta dogmatum disciplina. veram peragit adoratio-
nem.* Cultum spirituale opponit figuris Iudaicis, & veritatem
De Trinit. exponit rectam dogmatum disciplinam. Nec multum aliter
lib. 2. Hilarius qui in his duobus verbis, *in spiritu & veritate, liber-
tatem ac scientiam adorantium ostendi ait: Libertatem*, quia
vmbatico cultui non astringitur, nec vlli certo loco, vt vtri-
que putabant tam Samaritani quàm Iudæi. *Scientiam*, vt er-
rorem ac falsitatem, qua laborabant Samaritani, à veris ado-
ratoribus remoueat. Sic igitur adoratur Deus in spiritu &
veritate, vt quemadmodum actus pietatis externos, & opera
charitatis erga proximum, quibus Deum colimus, Deoque
seruimus in iustitia, hæc adoratio non excludit; ita nec vel
Sacramēta vel ceremonias Christianas excludat, quibus cul-
tus Dei externus administratur; vel ad Dei gloriam, vel
ad nostram in Deum fidem ac pietatem magis ac magis ex-
citandam.

48. *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.*

Afferunt hæc verba difficultatem non modicam. Quum
enim alibi dicat Christus Iudæos nō credentes ei, hoc
nomine non fuisse peccaturos, si miracula non fecisset, id
est, absque miraculis ad credendum nō fuisse obligatos, quo-
modo hīc reprehendit Iudæos quōd miracula expeterent vt
Christo crederent? Ait enim Ioan. 15. *Si non venissem, & opera
non fecissem qua nemo alius fecit, peccatum non haberent: id
est, peccato illo incredulitatis posituæ obnoxij non tene-
rentur.* Deinde prædixit per Prophetas Deus, maximè Esa. 35.
plurima futura miracula in signum aduentus Messia. Merito
igitur illa expetebant Iudæi. His accedit quōd in omni noua
doctrina miracula ad eius confirmationem à Deo exhiberi
solent. Sanè Calvinus propter hanc Christi reprehensionem
etiam Catholicos taxat, quōd à nouis hodie dogmatistis mi-
racula exigantur. *Vtinam (inquit) non hodie quoque plurimos
teneret similis merbus. Sed hæc voce nihil magis vulgatum. Pre-
cedant miracula vt aures præbeamus huic doctrina. Quasi ve-
rò ita sordere nobis debeat Christi veritas nisi aliūde fulciatur.*
Hæc ille. Sed aduertenda causa specialis est, cur Iudæorum
incredulitas miracula exigentium taxata fuerit. Sanè quia
iam antea Ioannis testimonia tam multa & tam perspicua
de Christo audierant, quibus credere debuerant absque vllis
miraculis, hunc esse Christum. *Ille enim missus erat vt omnes
crede*

*Cur Iudæi
miracula
exigent et
reprehē-
dantur.
Ioan. 1.*

crederent per illum. Sed & ipsi Ioanni prædicanti adeò absque ullis miraculis crediderunt, vt illum esse Christum existimarent. Samaritani quoque Christo prædicanti sine ullis miraculis crediderunt. Christi quoque sola prædicatio omnes eum audientes ad credendum obligabat absque miraculis, eo quòd quoscunque exteriùs docebat, eorum corda interius mouebat, vt, qui vellent, possent credere. Ideo Christus Iudæis dixit: *Si non venissem & locutus eis fuisset, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Has igitur ob causas non erant illis miracula absolute necessaria, nec illa auidè flagitare debebant. Hinc ad obiecta patet responsio. Iudæi visis Christi miraculis adhuc increduli multo grauius peccauerunt, & absque miraculis hoc graui peccato caruissent. Quæ Prophetæ prædixerunt futura miracula, non erant expectanda à Iudæis vt crederent, sed Ioannis testimonio prius debebant credere, & illa postea miracula expectare, videlicet ad confirmandam nõ ad generandam fidem. Omnis autem noua doctrina miraculis indiget, vel ad confirmationem fidei, vel ad ipsam fidem generandam, vbi nouus Magister nullam legitimam authoritatem habet. Neque hoc idèd fit *quasi sordet nobis Christi veritas nisi aliunde fulciatur* (vt garrit Caluinus) sed quia nec Christus nunc amplius loquitur, nec legitimè ab eo missi, quibus absque miraculis credendum erat; sed tales loquuntur quorum & doctrina noua & authoritas nulla est. De hac re plura diximus super Matthæum, & suprâ in hoc Euangelio ad cap. 2. Ioannis. Ioan. 16. Matth. ca. 16. & 24.

IN IOANNIS CAP. V.

4. *Angelus Domini descendebat secundum tempus in piscinam, & mouebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam, post motionem aquæ sanus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate.*



O c v s v a t i a notandi & obseruandi contra nostri temporis hæreticos. Primùm, quòd hoc tantum miraculũ in tota veteri Scriptura non commemoratur, quum tamen vt rem longo tempore oblitam ac vulgarem Euangelista commemoret. Iste vnus anguidus nunc sanatus totis 38. annis aquæ motum expectauerat,

I.
Doctrina nõ scripta.

nerat, nec nisi diutissima experientia aut miraculo fidem dedisset ille, aut tot præterea languentes, cæci, claudi, aridi, tam diu & tot annis expectassent aquæ motum. Valet hoc contra eos qui nihil volût credere nisi scriptum. Huius enim rei aut origo, aut promissio, aut præceptum, quibus illi ad sanitatem quærendam moueri possent, nusquam in Scriptura legitur.

2. Secundò, quòd virtus supernaturalis & miraculosa ipsi creaturis, vt hîc aquæ ab Angelo motæ, sine vlla diuini honoris diminutione tribuitur, contra eos qui omnem efficaciam creaturarum Deo derogare, & magici cuiusdam exorcismi speciem habere existimant. Deus quippe pro suo arbitrio liberè elementis vtitur: quamuis operis effectus non nisi Deo tribuatur. Tertiò, quòd talis virtus rebus sanctificatis tribuitur. In hac enim aqua pecora sacrificata abluï solebant, & ideo in commendationem sacrificiorum hoc miraculum Deus operabatur, vt notat D. Hieronymus in tract. de locis Hebraicis. Non fortasse quòd eo in loco, quo sanationes hæ fiebant, pecora sacrificanda primum lauarentur (quia in conchis ad hoc à Salomone constructis in ipso templo primò lauabantur) sed quòd aquis istius piscinæ lauarentur: in quâ, postquam in templo lotæ carnes essent, omnes aquæ è conchis emittebantur, & per vias subterraneas aut aqueductus effluebant. Erat enim ad radices montis, in quo templum situm erat, hæc piscina. Quam sententiam sequitur Aristæus verustissimus author in lib. de 70. Interpretibus. Valet autem hoc contra hæreticos, qui Sacramentorum & Sacramentaliû virtutem aliquam aut efficaciam à Deo illis ad religionis commendationem communicatam & impetratam credere non possint. Quarto, quòd hæc virtus non semper, sed certo aliquo tempore operabatur. Erat enim hoc Paschale tempus ad festi ipsius commendationem. Valet contra eos qui nullum dierum discrimen ponunt, negantq; Deum gratiæ suæ beneficia diebus in honorem Dei festis ac celebribus liberalius elargiri, quàm quouis alio tempore. Sanè Christus potissimum diebus Sabbati, & festis Iudæorum, opera sua benefica exhibebat. Quintò, quòd non nisi eum iuuabat hæc aqua, qui prius potit turbatam aquam ingredi potuit. Hoc enim nos docet, quòd non sola fides aut interna deuotio semper sufficit (quanquam illa imprimis requiruntur; & vbi necessitas externa tollit remedia, illa sola sufficere possunt) vt solent hæretici dicere Deum vbiq; iuuare, nec plus vno quàm alio loco intocantibus eum opulari; sed quòd aliquando

2. *Creaturarum efficaciam Deo nõ derogat.*

2. *Parat. 4.*

Sacramentorum & sacramentalium virtus.

4.

Festorum dierum discrimen.

5.

per externa loca & media iuuare vult Deus, plusque in vno loco quàm in alio opitulari; plus apud certam alicuius Sancti memoriam orantes exaudire, quàm vel apud aliorum Sanctorum vel apud eiusdem Sancti alias memorias. Qua de re sic sapienter scribit S. Augustinus. *Vbiq; quidem Deus est, & nullo continetur vel includitur loco qui condidit omnia, & eum à veris adoratoribus in spiritu & veritate oportet adorari, ut in occulto exaudiens in occulto etiam iustificet ac coronet: verumtamen ad ista quæ hominibus visibiliter nota sunt, quis potest eius consilium perscrutari, quare in alijs locis hæc miracula fiant, in alijs non fiant? Moxque duabus citatis Sanctorum memorijs, S. Felicis Nolæ in Campania, & sanctorum Martyrum Mediolani in Gallia Cisalpina, vbi quotidiana tunc penè fiebant miracula, addit: Nunquid non & Africa sanctorum Martyrum corporibus plena est? Et tamen nusquam hæc scimus talia fieri. Sed optimam statim ex diuinis Scripturis huius secreti rationem clarissimus Doctor subiungit. Sicut enim, quod Apostolus dicit, non omnes Sancti habent dona curationum, nec omnes habent diiudicationem spirituum; ita nec in omnibus memorijs Sanctorum ista fieri voluit ille qui diuidit propria unicuique prout vult. Sic non nisi in hac piscina, nec nisi ad certum aquæ motum; nec olim nisi in Iordane sanari Naaman leprosum; nec hodie nisi ad certas beatissimæ Virginis in omnibus ferè prouincijs Catholicis memorias (quas alio in loco recensuimus) varia tam externa quàm interna beneficia deprecantibus largitur Deus. Sextò notari potest, quòd ad huius miraculi operationem ministerio Angeli Deus vtitur, qui descendens aquam turbaret. Hinc enim discimus, non esse à Dei sapientia & prouidentia alienum, quòd Angelotum aut Sanctorum suorum ministerio vel patrocinio in certis locis vtatur, ad varias gratiæ suæ opitulationes fidelibus conferendas. Sanè vnã miraculotum & opitulationum causam, quæ in certis Sanctorum memorijs fluot, hanc adfert S. Augustinus, quòd Deus merita martyrum per eorum memorias commendare solet, quia hoc nouit expedire nobis ad edificandam fidem pro qua illi Martyres passi sunt. Sic docet in libro de cura pro mortuis gerenda, & lib. 21. de ciuitate Dei.*

Locorum
aliquando
discremen
ad Dei be-
neficia im-
petranda.
Epist. 157.

1. Cor. 12.

In Promptu
Cathol. in
festo natiu.
B. Virg.
6.

Sanctorum
Patroci-
nia.

Cap. 16.
Cap. 9. &
10.

Peccati pa-
tronu. ag
Caluinus.
immu

14. *Iam noli peccare, ne quid tibi deterius contingat.*

Contaminat hanc Christi sententiã Calvinus his verbis. *Quum peccare vetari, non exigit ut ab omni peccato sit immu*

immunis, sed eō paratio fit superioris vitæ. Hortatur enim Christus ut posthæc respiciat, neque maneat sui similis. Hæc ille. Cæterum non hortatur tantum Christus, sed & lubet, addita comminatione, ne deterius aliquid ei contingat; non solum ut non maneat sui similis, sed etiam ut omnem plane peccati affectum deponat. Dicit Christus in vultu suo, Noli peccare. Non dicit, Noli sicut antea peccasti peccare; quasi peccare quidem permitteret, sed non tam atrociter quam prius: quæque dixisset: Scio te non posse abstinere à peccato, sed noli esse tam malus nebulosus quam hactenus fuisti: quem in modum Christum loquitur Calvinus finxit. Exigit autem decalogus ut ab omni affectu peccati finis immunes, diligendo Deum super omnia, & non concupiscendo aliquid contra legem Dei tamen, ab omni peccato ex fragilitate commissio nemo immunis vitæ. Sed peccati patronum semper agere Calvinus vult.

19. *Non potest Filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem.*

NON aliquam impotentiam, sed summam potentiam Filij hæc verba docent. Non facit à se quicquam, id est, non propria virtute à Deo distincta, qua tunc inferior ac minor esset; sed (nam illud nisi valet sed) quod viderit facientem: id est, quod à Patre procedens in Patre videt, vel Patrem facientem videt, hoc totum Filius facit. Sic hæc verba vnam vtriusque operationem docent, sic tamen ut non distincta sint naturæ, sed vnica, quum vna ab altera procedat & accipiat quicquid habet. Vide Ambros. Serm. 20. in Psalm. 118. vers. 4. Calvinus propria hæreticis quod Filius Dei sit *ad rōdē* & suam à seipso essentiam accipiat, ex his verbis clarissimè euectur. Quam ob causam hoc in loco impius Calvinus, tam Patres qui pro Christi diuinitate contra Arium, quam ipsum Arium qui contra Ecclesiam dimicabat, errasse affirmat; nec de nuda sua diuinitate Christum hic loqui, sed tantummodo quatenus in carne manifestatus est, videlicet ut doceat se tanquam hominem à Deo missum ista operari. Sed impij hominis audaciam sequentia verba apertissimè refutant: *Quæcumque enim Pater facit, hæc & Filius similiter facit.* Quæ Christo nisi, ut vno Deo conuenire non possunt. Quare hæc verba penitus Calvinus intacta reliquit. Christus ut homo fecit: quæcumque vidit Patrem velle, sed ut Deus quæcumque vidit Patrem face

Calvinus
propria
hæreticis de
Filio Dei.

Calvinus
audacia
stulta.

Calvinus
artes.

facere; ut ostendat vnam esse non tantum voluntatem, sed & operationem.

26. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.*

Oscendit his verbis Christus eiusdem vitæ seu naturæ se esse cum Patre. Si enim alia esset vita Filij, alia Patris, non haberet vitam in semetipso sicut Pater habet, sed vita eius esset participata atque ab alio dependens, ut optimè hoc loco contra Arianos notauit Chrysostr. homil. 38. Quia tamè alius est Pater, alius est Filius, & licet in semetipso non tamen à semetipso Filius vitam habet, propterea dixit, *Dedit ei Pater ut vitam haberet in semetipso.* Nulla creatura vel à semetipso vitam habet, quia à Creatore illam accepit; vel in semetipso, quia ab alio pendet, & perpetua Dei conseruatione indiget. Quod autem dicitur, *Dedit Filio habere vitam,* &c. dupliciter à Doctoribus intelligitur, & dupliciter est verum. Dedit Filio quoad diuinitatem per naturalem generationem ab æterno, ut August. tract. 22. in Ioan. & Chrysostr. loco citato exponunt. Dedit Filio quoad humanitatem per vnionem ad Verbum in tempore, ut Cyrillus exponit lib. 2. cap. 144. Sed prior propositio magis ad literam est, quia dare humanitati per vnionem ad Verbum, totius Trinitatis est: sed dare quoad diuinitatē, solius Patris est, de quo hinc Christus loquitur. Ex quo etiam Caluini glossa refellitur, qui ut omnia præcedentia in fauorem Arianorum ad Christi diuinitatem nihil pertinere voluit, sic & hæc verba inuertere conatur. *Vitam (inquit) in se habere Deus dicitur, non tantum quia propria virtute & inrensæ solus viuat, sed quia vitæ plenitudinem in se continens, omnia viuificet. Deus itaque vitam apud se occultam habere nōbens, transfundit in Filium, ut ad nos manaret. Hinc colligimus, hunc titulum ascribi Christo quatenus in carne manifestatus est.* Hæc, inquam, omnia ex eo refutantur, quòd Christus de vita loquitur quam Pater Filio dedit: quod non nisi de diuina generatione intelligi potest.

Christi diuinitas.

Caluinus Arianus fauet.

29. *Procedent, qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ.*

Docet hic locus vitæ beatæ consecutionem non secus à bonorum operum quam à fidei necessitate pendere, & ut prius fidem, sic hinc vitæ puritatem ad salutem esse necessariam

Bonorum operum necessitas.

fariam

sariam docet. Contendit omnibus modis hunc locum elude-
 re Calvinus. *Factores* (inquit) *bonorum operum hinc dicuntur,*
quos Paulus illorum studiosos aut zelotas vocat. Tit. x. Nempe
 dicit ibi Paulus, *Christum dedisse semetipsum ut mundaret sibi*
populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Hos se-
 ctatores studiosos & zelotas bonorum operum vocat hic
 Calvinus, quia studio quodam & desiderio bene viuendi affi-
 ciuntur, sed huius desiderij ac studij effectum non consequun-
 tur, sicuti de ipso Paulo exponit, ad illa verba: *Non quod volo*
bonum hoc ago. Hoc est Calvinianæ hodie sectæ mysterium,
 omnes apud illos pios ac iustos coram Deo esse, qui studium
 pietatis non deposuerunt, tamen si flagitiose viuant; & qui in
 profundum impietatis demersi non sunt, iuxta illud: *Impius*
quum in profundum venerit, contemnit. Quare & hic subiun-
 git Calvinus. *Sed estimatio hac ex paterna Dei indulgentia*
pendet, qui gratuito probat quod reijci merebatur. Sic ipsa fa-
 cta iustorum vult esse prorsus impia, & quæ reijci merentur;
 studio tamen rectè viuendi illos affici debere. Sed contra hanc
 impiam sententiã, tenenda sunt Christi verba, *Qui bona ege-*
runt: de ipsis operibus bonis, non de studio inani bonorum
 operum, loquitur. Deinde si ipsa bona opera reijci merentur,
 quomodo distinguuntur à malis operibus, quæ à Deo reij-
 ciuntur, & quæ qui agunt, in resurrectionem iudicij, id est, dam-
 nationis, procedunt? Sed impiam suam glossam probare con-
 tendit Calvinus. *Neque enim* (inquit) *de salutis causa tractat*
Christus, sed tantum electos à reprobis sua nota discernit. Iux-
 ta hanc Calvinij glossam dicemus & nos: quum Christus di-
 cit, *Qui credit in filium Dei, habet vitam æternam;* de salutis
 causa non tractat, sed tantum electos à reprobis hac nota fi-
 dei discernit. Sin verò fidei vitam æternam promittens Chri-
 stus, causam salutis posuit; dubitari non debet, quin & hoc
 loco bonis operibus vitam beatam promittens, causam quo-
 que salutis posuerit. Sed quare hanc notam, vt vult Calvinus,
 Christus hic posuit, non autem causam? *Idè hoc facit* (ait
 Calvinus) *vt suos ad sanctitatem & innocentiam inuitet atque*
hortetur. Et nos certè fidem que nos iustificat, cum studio bene
 iustèque viuendi coniunctam esse non negamus: sed tantum do-
 cemus non alibi quàm in sola Dei misericordia quiescere no-
 stram fiduciam posse. Totum suum venenum, etsi verbis
 mollioribus, effudit. Christus non solum hortatur ad vitæ
 innocentiam, sed & eam iubet, mandat, iniungit; vt tota
 lex mandatorum loquitur: & hoc loco non facientes bona
 opera

Rom. 7.
 Iustitia
 Calvinia-
 na myste-
 rium.
 Prover. 17.

Opera bo-
 na salutis
 causa.

Christum
 non horra-
 tur tantum,
 sed iubet
 bene ope-
 rari.

opera damnat. Si non nisi hortatur ad bona opera, quomodo damnat facientes mala? Rursus fides quæ iustificat, non solum cum studio bene viuendi est coniuncta, sed etiam cum ipsa bona vita, bonaque operatione: iuxta illud Pauli, *Fides Gal. 5. quæ per dilectionem operatur.* Fides sanè Calviniana non operatur dilectionem, sed studium operandi docet absque effectu, ac per hoc non est fides Evangelica quam Paulus commendat. Piorum quoque omnium fiducia non in sola Dei misericordia quiescet, sed etiam in bona conscientia: iuxta illud Ioannis; *Si cor nostrum nos non reprehenderit, fiduciam habemus apud Patrem, &c.* Qui cum mala conscientia de Dei misericordia fiduciam concipit, non cum fiducia, sed cum presumptione ad Deum accedit. Vnde iterum Ioannes: *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.* At minus est nosse Deum, quàm in eo fiduciam habere. Et rursum: *Nunc filioli manete in Christo, ut cum apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in aduentu eius.* Quid est autem manere in Christo? Explicatè docet in sequentibus: *Qui seruat mandata eius, in illo manet, & ipse in eo.* Si ergo ille demum fiduciam habet, & non confunditur in aduentu Christi, qui mansit in eo, mansit autem in eo qui mandata eius seruauit, inuictè contra Calvinum sequitur, non in sola Dei misericordia, sed in mandatorum obseruatione, hominis iusti fiduciam quiescere. Nam & illorum quoque obseruatio ex Dei misericordia nascitur, quæ gratiam dedit qua seruarentur. Quare Paulus hac usus bonorum operum fiducia ita scribit. *Ego iam delibor, & tempus resolutionis meæ imitat. Bonum certamen certavi, cursum consummaui, fidem seruaui. De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die (sanè, quando procedet, qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ) iustus Iudex: non solum autem mihi, sed & illis qui diligunt aduentum eius: id est, qui ita vixerunt in sanctitate & iustitia coram Deo, ut venientem Iudicem non timeant condemnatum, sed diligant ut remuneratum.*

44. *Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à Deo solo est non queritis?*

Vera huius loci expositio duo nos docet. Primum, hypocrisim & falsam pietatis affectationem maximum esse obstaculum ne quis in Christum credat, fide videlicet

Hypocrisis magnum fidei obstaculum.

viva, & per dilectionem operante. Nam *gloriam ab invicem accipere*, significat velle ab hominibus pro iusto ac sancto haberi; quod proprium erat Phariseorum & Scribarum crimen, quos hic potissimum alloqui Christus videtur. Cum enim lumen fidei intellectum non conuincat sicut axiomata per se nota vel demonstrationes scientificæ, ideoque credere sit actus voluntatis non secus quam intellectus; sicuti quælibet passio exorbitantis voluntatis impedit intellectum, sic hypocrisis quæ à sola hominum existimatione pendet, & gloriam quæ à solo Deo est non quærit, id est, vero pietatis studio non incumbit, vt coram Deo & in iudicio Dei laudem accipiat, vel maximum impedimentum est. Talis enim non attendit quid ad credendum proponatur, sed quomodo suam apud homines existimationem tueatur.

Opera pietatis laudem habent apud Deum.

Alterum est, quod vera pietas apud Deum gloriam habet. Illa enim opponitur hypocrisi, quæ gloriam quæ à solo Deo est, quærit: vbi duo docet Christus. Primum, à solo Deo siue apud Deum veram pietatem laudari, & in pretio esse: secundo, hanc apud Deum laudem per opera pietatis quærere & affectare nos posse. Totum enim hoc in Iudæis reprehendit Christus, quod non quærerent nec affectarent illam gloriam quæ à solo Deo est, id est, ex vero pietatis studio veram gloriam & laudem apud Deum. Quod contra hæreticos observandum est, qui ex pietatis studio & bonis operibus nullam apud Deum laudem aut gloriam haberi posse contendunt.

Christi totam sententiam Calvinus inuertit.

Quam etiam ob causam totam Christi sententiam inuertens Calvinus, sic in hunc locum scribit. *Hac sola est vanitas que nos inflat, prava confidentia, dum nostro & aliorum potius quam Dei iudicio stamus. Nam qui Deum verè iudicem sibi proponit, necesse est vt fractus & prostratus concidat. Ergo vt qui gloriam à solo Deo quærat, necesse est pudore sui confusum ad gratuitam illius misericordiam confugere. Et cerè qui Deum respiciunt, damnatos se ac perditos vident, nec quicquam sibi esse reliquum in quo glorientur præter Christi gratiam.* Hæc ille. Totam Christi sententiam inuertit. Quod Christus dixit contra hypocrisim & emenitam pietatis imaginem, quæ ab hominibus laudē captat, pro vero pietatis studio quod apud Deum solidam laudem habet, hoc Christum dicere vult contra verum pietatis studium quod coram Deo nullum sit, nec ullam laudem habeat, quia qui gloriam à Deo quærit, necesse est, pudore sui confusum, id est, non nisi turpitudinis suæ conscius, ad gratuitam misericordiam confugere. Ita sensum

sensum elicit Christi verbis planè contrarium. Sed Christum hoc loco contra hypocrisim, quæ vera virtute caret, loquutum fuisse, & verum pietatis studium, quod coram Deo laudem habet, commendasse, præcedentia eius verba manifestum faciunt, vbi dixit: *Cognoui vos, quia dilectionem Dei in vobis non habetis.* Vbi iterum causam docuit, cur scrutando Scripturas in eum credere noluerint; quia videlicet nullam dilectionem Dei habebant, Deo placere aut seruire, in oculis Dei iusti ac sancti esse, non curabant: hominum gloriam & existimationem diligebant, &, vt hîc loquitur, *gloriam ab invicem accipiebant.*

IN IOANNIS CAP. VI.

27. *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.*

FUNDAMENTVM hoc est disputationis Christi futuræ, ideóque dexterè & accuratè intelligendum. Auocat eos à studio corporalis & vulgaris cibi, ad studium & acquisitionem alterius cibi quem ipse daturus erat: non illud prius simpliciter prohibes, sed hoc posterius ei anteponebat. Cibum de quo hîc loquitur, eundem esse de quo postea dicit, *Caro mea verè est cibus, & Christi carnem nobis in Sacramento exhibitam, docent hoc loco Augustinus tract. 15. & Cyrillus libro 3. cap. 28. verba etiã adiancta hoc confirmant. Hunc enim Pater signauit Deus.* Non enim erat cur hanc humanitatem diuinitate sigillatam eique vnitam inferret, nisi quia docere voluit quomodo carocius in cibum data vitæ æternæ cibus futurus esset, nempe quia diuinitati coniuncta & vnita esset, Hæretici, vt doctrinam hîc de Sacramento penitus corrumpant, verbis hîc Evangelicis vim faciunt. *Cibum vocat* (ait Calvinus) *quæcunque ad vitæ nouitatem pertinent. Scimus autem animas nostras pasci Euangelij doctrina, dum in nobis est efficax per Spiritus virtutem. Ergo quum fides sit anima vitæ, quæcunque fidem alunt & promouent, cibo comparantur.* Est aperta diuinæ Scripturæ corruptio. Quum enim Christus in sequentibus exponat inter opera Dei quæ operari oportet vt hunc cibum comparemus, esse ipsam fidem vt credamus in eum, manifestissimum est fidem à cibo distingui. Deinde cibus de quo Christus loquitur, est quem ille daturus erat, non quem nos

Fides à cibus quem operari oportet distinguatur.

operari debemus. Operamini, ad Iudæos pertinebat, vt crederent: *Cibus* ille est quem se datum promittit. Rursum hic cibus dicitur *permanere in vitam æternam*, id est, esse cibus viuificus, & qui nutrit ad vitam æternam: quod inde probat, quia hæc caro est diuinitati vnita. Calvinus vtramque sententiam inuenit. *Hoc cibi genus* (inquit) *manere dicit in vitam æternam, vt sciamus non in diem animas nostras pasci, sed educari in spem beata immortalitatis. Ideo Spiritus dona recipere nos conuenit, vt tessera sint, ac pignora vitæ æternæ.* Hæc ille. Moxque proximam sententiam à Patribus ad diuinã Christi essentiam perpetam contortam esse impudenter dicit. Cæterum tametsi verum sit, Spiritus Sancti dona pignora esse vitæ æternæ, & in eius consequendæ spem nobis conferri, vt cap. 4, Christus docuit; hic tamen de alio cibo agit per se viuifico, & ad quem comparant si nos operari opera Dei oportet. Imò (ait Calvinus) *quod donatione Dei consequimur, nemo propria industria sibi comparat.* Ita Christi verba profusè refutare conatur. Sed facile hæc duo conueniunt (quod de spirituali animæ cibo fatetur hoc loco Calvinus) cibum quem Christus daturus erat, gratuitum eius donum esse; & nos toto cordis affectu huc eniti debere, vt tanti boni participes fiamus: vbi non est sola propria industria, sed speciali Dei gratia adiuta. Nec Christus, quum iubet operari, si iam propriam hominis industriam compellat, sed ad operationem hortatur, cui Dei gratia non deest.

30. *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum.*

E Gregiè hunc locum deprauat Calvinus. Illi (inquit) loquuntur erant de operibus. Christus ad vnum opus eos reuocat, hoc est ad fidem, quo significat, quicquid extra fidem homines moliuntur, inutile ac vanum esse, solam verò fidem sufficere, quia hoc vnum à nobis Deus postulat, vt credamus. Quis non aduertit luculentum impostoris mendacium? Annon per totam Scripturam postulat à nobis Deus vt mandata eius faciamus? Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Si Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Et alia innumera. Sed probare mendacium suum conatur. Est enim hic (inquit) inter fidem & hominum studia ac conatus * *tacita antithesis, ac si dixisset: Frustrà satagunt homines quum sine fide student placere Deo, ac si extra viam currendo ad metam non tenderent. Est ergo insignis locus, quod homines, quantumuis miserò*

Solam fidem Deus non postulat.

Marth. 19. Rom. 8.

Tacitam antithesim intelligere, quã propter

miserò

miserè tota vita se fatigant, ludunt tamen operam nisi fides in unam ve-
Christum sit illis viuendi regula. Aduerte impostoris attem ritarem
Dixerat solam fidem sufficere, & hoc unum à nobis Deum postu-
lare ut credamus. Ut hoc impium paradoxum confirmet, negat a-
doet sine fide neminem placere Deo posse & viuendi regu-
lam ex fide petendam esse. Sic fidei perfectionem probat al-
necessitate; ut videatur sola sufficere, quia est imprimis ne-
cessaria. Vide in re simili. Dico ex solo pane hominis ali-
mentum constare, & probo quia sine pane non viuunt. Quis
futurissimum paralogismum non videt? Sed attende sequentia. Fidei per-
Qui ex hoc loco colligunt fidem donum Dei esse, falluntur. Neq; probationem
enim quid efficiat Deus in nobis, sed quid requirat ac velit, unum ex
Christus docet. Fallit iterum & mentitur. Vtrunq; enim necessita-
Christus docet in istis verbis, quam dicit hoc opus Dei esse ut
credamus in eum. Nam & à Deo fidem esse docet, & Deum id
à nobis velle. Opera Dei quæ operari debemus, de quibus
queriebant Iudæi, non solum sunt opera Deo grata, sed sunt
opera quæ Deus operatur in nobis per adiutoriū gratiæ suæ.
 Nunc in tam impia doctrina sua grauem & necessariam
 obiectionem ponit Calvinus. *Videtur tamen (inquit) id esse*
absurdum, nihil Deo probari prater unam fidem. Neque enim
contemni debet charitas, nec alia pietatis officia locum & ho-
norem perdunt. Ergo utcumque primatum teneat, fides, non
tamen superuacua sunt alia opera. Attende nunc ut ad obie-
ctionem à seipso melissimè formatam respondeat. Respon-
sio (inquit) facilis est. Neque enim fides vel charitatem vel
aliud ullum bonum opus excludit. Si non excludit alia, ergo
 sola non sufficit; ergo & alia Deus à nobis postulat, non hoc
 vult; & ita bis mentitus supra Calvinus est. Sed attende
 quare dicat alia non excludi. *Quando (inquit) omnia in se*
continet fides. Et quomodo continet alia omnia pietatis of-
ficia? An ut genus species, vel ut totum partes, vel ut cap-
it membra, vel ut fons & radix vnica suos riuulos ac pal-
mites? Nihil horum Calvinus statuit, quia & nihil hor-
um fides est respectu charitatis, & aliarum virtutum.
 Attente quomodo hoc explicet. *Fides enim (inquit) vo-*
catur unicum Dei opus, quia per ipsum Christum possidentes,
filij Dei efficiuntur, ut nos spiritu suo gubernet. Mentitur ac
fallit. Nec per vnica[m] fidem Christum possidemus, aut
filij Dei efficiuntur, sed per charitatem multo verius ac ple-
nius; nec si ita esse, omnia tamen reliqua contineret fides, sed
omnium reliquorum loco esset, aliæque penitus superflua

Effugia
 Caluina-
 na pro sola
 fid. refel-
 luntur.

statueret. Per charitatem non vnicam, sed cui fides coniuncta est, Christum intimè possidemus, & filij Dei efficiamur. Vide-
te qualem charitatem dedit nobis Deus, ut filij Dei nominemur & simus. Si quis diligit me, sermonem meum seruet, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Annon iste intimè possidet Christum?

Pergamus cum Caluino. Quia ergo à fide Christus fructus eius non separat, non mirum est, si in ea constituat proram, ut loquuntur, & puppim. Nihil quàm fallit ac mentitur. Nec fidei fructus charitas est, sed diuini Spiritus fructus, quemadmodum fides ipsa, dicente Paulo, *Fructus Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides*: nec verum est à fide charitatem non separari, dicente iterum Paulo, *Tria sunt hæc, fides, spes, charitas, maior autem horum charitas*: & paulò post, *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum*. Hæc omnia Caluinum mendacem arguunt. Addit adhuc, ut fallat, ac mentiatur magis. *Putida est eorum cauillatio qui huius loci prætextu operibus nos iustificari contendunt, si fides iustificat, quum ipsa quoque vocetur opus primum.* Et quare putida? Quia satis cõstat (inquit) Christum improprie loqui, quum *sibi imposuit nomen operis: sicuti quum Paulus legem fidei & legem operum inter se comparat.* Vide arrogantem hæretici audaciam. Tam Christum quàm Paulum improprie loqui affirmat. Cur igitur non omnia improprie dicatur in Scripturis, quæ placitis nostris contraria erunt? An ferendum putabit aliquis Caluinita, Paulum improprie loqui, quum dicit, *Arbitramur hominem iustificari ex fide, non ex operibus*? Deinde non secus proprie ac verè opus Dei in nobis fides est quàm charitas aut aliud aliquod pietatis officium, quando omnia illa in nobis vnus & idem operatur Spiritus, nec minus Dei donum fides sit quàm charitas, & alia. Aliam adhuc probationem subiicit. Deinde (inquit) *quum operibus negamus iustificari homines, opera intelligimus quorum merito, sibi homines gratiam apud Deum conciliant.* Quasi verò fidei merito Abraham sibi gratiam apud Deum magnam non conciliauerit, quando & illa reputata sit ei ad iustitiam, & per illam factus sit hæres mundi, & Pater multarum Gentium. Atqui (inquit Caluinus) *fides nihil ad Deum affert: quin potius vacuum & inopem sicit coram Deo, ut Christo eiusque gratia impleatur.* Quare passiuum est opus (vita loquar) cui nulla potest rependi merces nec aliam confert homini iustitiam nisi quam à Christo

1. Ioan. 3.
Ioan. 14.

Gal. 5. 22.

1. Cor. 12.
& 13.

Christus
& Paulus
Caluino
improprie
loquuntur.

Rom. 7.

recipit. Hæc omnia nouæ sunt speculationes nouorum hodie hominum, commenta & traditiones hominum in nulla Scriptura fundatæ, sed contra manifestas Scripturas, vt Antidota nostra in vna ad Rom. Epistola, in qua potissimum fundantur, luculenter docebunt. Fides multum ad Deum affert, quia magna obedientiæ virtus est, & dat gloriam Deo, certissime credens quæcumque Deus loquitur. *Rom. 4. 1. Tim. 6.* Qui diuites in operibus bonis sunt (vt Paulus hortatur) Christi tamen gratia impleantur, quia non nisi ex Christi gratia illa operantur. Opus fidei, quia opus hominis est qua homo credit, & dat gloriam Deo, opus actiuum ac liberum est, ideoque ei potest rependi merces, sicuti Abrahæ fides remunerata fuit. Denique fides confert credenti iustitiam, quia reputatur ad iustitiam. Christi autem iustitia non secus à charitate recipitur quàm à fide, quando beneficium redemptionis Christi non secus diligentibus datur quàm credentibus, nec minus vel necessaria vel efficax ad eam consequendam charitas est quàm fides. Necessaria, quia qui non diligit, manet in morte: efficax quia qui manet in charitate, manet in Deo, & Deus in illo: *1. Ioan. 3. & 4.* Vides, lector, quàm multa venena in vna pagella Caluinus effudit.

37. *Omne quod dat mihi Pater, venit ad me.*

Hæc propositio cum altera illa quæ paulò post sequitur coniuncta, *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit illum*, magnam mouit Græcis interpretibus Chryostomo & Euthymio in hunc locum difficultatem. Si omnis (inquiunt) quem dat Pater, venit ad Christum, & nemo alius, quibus ergo non dat Pater vt veniant, in culpa non erunt: cum ideo non veniant quia datum non est eis à Patre vt veniant. *Gratia Dei de sensio.* Ad hanc difficultatem respondent, liberum arbitrium non tolli, quia venire & non venire liberum est, ideoque qui non veniunt, in culpa esse. Vera sanè hæc doctrina est, quam & contra Pelagianos tradit S. Augustinus his verbis: *Credere, vel non credere, est in arbitrio voluntatis humanae.* De prædestin. sanct. cap. 5. Sed quia hæc responsio difficultatem non soluit (tamen si enim liberè non credat qui excitatus ad credendum credere recusat, & in illo culpa appareat; tamen quia non omnes excitantur, quomodo illi in culpa sunt, quando non à Deo excitati credere non poterint?) Euthymius apertius responder, eos à Deo non excitati qui se in-

dignos hæc gratia exhibuerunt, excitari verò qui aliqua præparatione se faciunt dignos. In quam etiam sententiam pro-
pendet Chrysoſtomus, & alij Græci. vt ipſe Cyrillus lib. 3.
cap. 39. in Ioan. Cæterùm cauenda hæc doctrina & repudian-
da eſt: & S. Auguſtini, imò Eccleſiæ Catholicæ tenenda ſen-
tentia eſt, neminem ſeipſum ad gratiam præparate, vt ſe gra-
tia Dei dignum faciat, ſed ipſam præparationem à Deo eſſe,
vt eodem in loco citato aliſque ſexcentis docet Auguſtinus.
Difficultas autem propoſita inde ſoluitur, quòd quibuſcun-
que talis gratia non datur vt de factò credant, nemo illorum
ſine culpa eſt, quum omnes in peccato Deus inueniat, ideò-
que non ſine eorum culpa talis gratia illis negatur. Quibus
ergo Pater dat vt ad Chriſtum veniant, miſericorditer dat;
quibus illud non dat, iuſto iudicio negat: non quia non erant
prædeſtinati (vt hæretici volunt, & hoc loco Caluinus) nec
quia fides non eſt in arbitrio hominum (quod etiam hîc im-
piè colligit Caluinus) nec denique quia quibus non datur ta-
lis gratia vt credant, nulla fuit data gratia, qua ad fidem
peruenire potuerint ſi auxilio dato rectè uſi fuiſſent (*omnes*
enim Deus vult ſaluos fieri, ideòque omnibus ſufficiens au-
xilium pro loco & tempore dedit) ſed quia propter peccata
quibus grauantur, maiora gratiæ auxilia quibus adiuti ad
Chriſtum venirent, iuſtè illis ſubtrahuntur. *Nemo igitur ve-*
nit ad Chriſtum, niſi quem Pater trahit. Non tamen omnes
quos Pater trahit, veniunt ad Chriſtum. *Omnis quidem*
quem dat Pater Chriſto, venit ad Chriſtum: ſed non omnis

1. Tim. 4.

Dari à Pa-
tre plus eſt
quam tra-
hi.

quem trahit Pater. Plus eſt dari à Patre Chriſto, quàm tra-
hi à Patre vt ad Chriſtum veniant. Illud enim efficacem, hoc
niſi ſufficientem Dei gratiam importare videtur. Dantur
enim à Patre Chriſto non niſi electi, qui ita congruis modis
excitantur, vt infallibiliter ad Chriſtum veniant; trahuntur
qui ſufficienter vocati non ſemper veniunt. Illi audiunt &
diſcunt, quia *omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad*
Chriſtum. Iſti audiunt tracti & excitati à Deo, & apprehen-
dunt quid loquatur in eis Deus, ſed non ſemper diſcunt per
voluntatis aſſenſum. Imò (ait in hunc locum Caluinus) *his*
duobus membris prorsus evertitur tota liberi arbitrij facultas
quam ſibi ſomniant Papiftæ. Faliſſimque ac prophanum, ſt, ho-
mines volentes trahi. Chriſtus enim pronuntiat ita efficacem
eſſe Spiritus gratiam qua trahuntur, vt neceſſariò credant. Sed
huic audaci ac petulanti hæretico opponimus S. Auguſti-
num, diuinæ gratiæ prædicatorem maximum. Docet ille
apertif

Liberum
arbitrium
deſenditur

apertissimè sic homines à Patre trahi ad Christum, vt liberè hunc tractum sequantur vel non sequantur. *Vtrumque hoc verum est* (ait Augustinus) *Deus Pater attrahit ad filium homines, & dimittit homines, vt quis quid voluerit eligat.* Rursum alibi. *Trahi à Patre ad Christum, nihil aliud est, quàm donum accipere à Patre quo credat in Christum.* Et de hoc dono alibi dicit. *Credere in Christum, & operari iuxta fidem Christi, vtrumque nostrum est propter arbitriū voluntatis; & vtrumque datum est à Patre propter spiritum fidei & charitatis.* Sic rursum de dono castitatis: & explicans illa Christi verba, *Non omnes capiunt hoc verbum, sed quibus datum est,* ita scribit. *Vt hoc verbum quod non ab omnibus accipitur, ab aliquibus capiatur, & Dei donum est, & liberum arbitrium.* Porro de facto non omnes qui trahuntur à Patre ad Christum venire, his verbis docuit Augustinus. *Quis non videat & venire quemque ad Christum & non venire arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium potest esse solum si non venit, non autem potest nisi adiutum esse si venit.* Obserua quod dixit, *potest esse solum si non venit,* quia aliquando etiam quando non venit, non est solum, sed gratia Dei adiutum, quam proteruè abiicit. Vnde alibi Augustinus postquam dixisset, *visorum suasionibus siue extrinsecus, siue intrinsecus, Deum agere cum anima rationali vt credat, atque hoc modo ipsum velle credere in hominibus operari* propter hominum proteruiam, qui operanti in illis Deo cooperari interdum nolunt, adiunxit statim: *Cōsentire autem suasioni aut vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est.* Quæ omnia contra Caluini hoc loco corruptelas diligenter notanda sunt.

Cont. lit. lib. 2. c. 84.

De prad. sanit. li. 1.

cap. 8.

Ibidem

cap. 3.

De grat. & lib. arb.

cap. 4.

De gratia Christi

cap. 4.

De Spiritu & lit.

cap. 33.

si. *Panis quem ego dabo, caro mea est (quam ego dabo) pro mundi vita.*

EXplicat nunc Christus disertis verbis de quo pane & cibo hætenus locutus fuerat. In principio sermonis dixerat. *Operamini cibum quem filius hominis dabit vobis.* Postea adiecit. *Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Panis verus est qui de cælo descendit, & dat vitam mundo.* Denique, *Ego sum panis vite.* Quibus omnibus verbis docuit se hominem tactum in cibum fore, tam ex Patris sui dono, qui misit eum in mundum, quàm ex suo proprio dono. Et quia ad hanc rem intelligendam fide opus erat, multa de fide & de dono fidei interlerat. Moxque ad principale argumentum

Ver. 27.

32.

33.

35.

48. rediens, iterum dicit, *Ego sum panis vita: & statim de excellentia & effectu huius panis longè alio quàm erat ipſius manna, ubi pauca dixiſſet, nunc diſertè explicat: Panis, de quo haſtenus locutus ſum, & quem me daturum promiſi, & (quod nunc repeto) quem ego dabo, ſuo videlicet tempore & loco, caro mea eſt, non myſtica aliqua, ſed vera, quam ego dabo pro mundi vita, ad mortem videlicet in cruce ſubeundam pro ſalute totius mundi. Hanc clauſulã adiecit, tum vt veritatẽ carnis exprimeret; tũ vt cauſam quandã ſpecialẽ dandi huius panis inſinuaret, nimirũ in perpetuã mortis ſuã recordationem. Quam etiam ob cauſam quum de facto daret, adiecit, *Quod pro vobis datur: hoc facite in meã commemorationẽ.* Hic ſenſus omniũ planè veterum Patrum tam Græcorũ quàm Latinorũ calculo cõprobat, & à plurimis hodie interpretibus aſſeritur; quorum omniũ testimonia diligenter in vnũ collegit Nicolaus Sanderus in tractatu ſuper hoc cap. 6. Ioan.*

Luc. 22.

Auguſtini ſententia, loqui hic Chriſtus de Pane Euchariſtico.

Quia tamen S. Auguſtinum aliter ſentire aliqui volunt, eo quòd tract. 25. in Ioan. ſpiritualem manducationem docet, eius vnus loca annotabimus. In tract. ſeq. 26. manducationem ſpiritualem eam docet, qua cum fide & puritate Chriſtus in altari ſumitur. In eodem ſermone ſacramentalem manducationem tantũ, ab illa quæ ſacramentalis ac ſpiritu-
 tualis eſt, aperte diſtinguit. Denique tractatu 27. ſermonem Chriſti concludens, ad ſacramentalem manducationem dignè faciendam hortatur. Aliis quoque variis in locis de Sacramento corporis ſui Chriſtum hinc diſputare docet: Serm. 11. & 46 de verb. Domini, de Ciuit. Dei lib. 17. capite 5. & 21. cap. 25. de conſenſu Euangel. lib. 3. cap. 1. de pecc. mer. & remiſſ. libr. 1. cap. 10. in quæſtion. ſuper Leuiticum capite 57. Epiſtola 95. contra Cteſconium libro primo, capite 14. & 21. In Pſalmum 33. concione 1. Ad eò nullus veterum aut frequentius aut expreſſius Chriſtum de Sacramento in hoc cap. loqui docuit. Ad Patrum vnanimem conſenſum accedunt varia Concilia, quorum testimonia in dicto tractatu Nicolai Sanderi proferuntur. Sanè Conc. Tridentinum verba huius capituli ad Sacramentum applicat ſeſſ. 13. cap. 2. & contra Huffitas, quum negare commodum eſſet, non negat, ſeſſ. 21. cap. 1.

Aliter ſententiam, ſententia refellitur.

Qui Chriſtum in his verbis de Sacramento loqui negant, eiſdem argumentis vtuntur quibus Caluinus vtitur: quæ ſuo loco ſoluemus. Hoc in loco aiunt probabile non eſſe Chriſtum hinc de Sacramento loqui, quum in proximè præcedentibus verbis de ſe pane vt Deo ac homine per fidem
 mandu

manducando loquutus fuerit, ideóque hunc esse verborum sensum; vt qui hactenus fidem docuerit in se Deum ac hominem factum, nunc fidem doceat in se hominem crucifixum. *Hæc est enim fides* (ait hoc loco Cornelius Iansenius) *qua manducamus panem vite, vt credamus Christum esse verum Deum, & se hominem tradidisse pro nobis carnem suam & sanguinem.* Sed tum argumentum hoc valde leue est, tum sensus à verborum proprietate alienissimus. Argumentum ex duplici causa leue est, tum quia in præcedentibus de se pane per fidem manducando loquutum esse necessarium non est, sed ad manducationem panis, de qua dicturus erat, fidem esse imprimis necessariam, & fidei defectum in Iudæis causam esse cur hanc doctrinam non caperent, hactenus eum docuisse, magis probabile est; tum quia etsi daremus de sola spiritali manducatione per fidem, & de se pane vt Deo ac homine, in quem credere oportet, hactenus loquutum fuisse, nullo tamen modo sequitur propterea in his verbis de eodẽ pane Christum loqui. Hic enim multo aliter quàm prius loquitur, multo disertius & expressius, vt mox in argumentis nostris apparebit. Quare Chrysostomus, Euthymius, aliique Patres, licet præcedentia verba de fide in Christum Deum ac hominem, & de manducatione spiritali exposuerint; ad hæc tamen verba affirmant de Sacramento Christum loqui. Sensum, qui affingitur, alienissimum esse, argumenta quæ statim subiciemus, luculenter docebunt.

Sanè Calvinus cum sensum auidè complectitur, negans prorsus de Sacramento in toto hoc capite Christum loqui. *Caluini sensus, eius* Et ex hoc sensu multa absurda infert; *in verbo manducandi que absur-* ad fidem nos hortari Christum, quasi vnicum medium potiendi *da.* hoc panem vite: Christi carnem canalem esse qua vitam ad nos diffundat: vitam hanc nihil aliud esse quàm Christi iustitiam nobis imputatam, quando carnem Christi pro nobis crucifixam fide apprehendimus. Ideóque in his verbis, *Panis quem ego dabo, &c. duplicem* notat donationem: vnã qua Christus nobis se quotidie offert: alteram qua in Cruce se semel pro hominum vita exposuit: ad cuius mortis percipiendã fructum in his verbis nos inuitat. Hæc Calvinus ex alio illo sensu à verbis Christi alienissimo deducit; & non solum veritatem carnis Christi in Sacramento destruit, sed præterea vnicam spiritualem manducationem, totãque imputatiuam suam iustitiam, inde contrahit. Adeò refert à vero & literali sensu vel larum vnguem non discedere.

De Sacra-
mento Chri-
stum loqui
probatur.

1. Argum.

2. Argum.

Apocal. 5.

3. Argum.

4. Argum.

5. Argum.

6. Argum.

Nunc igitur hunc sensum aliquot argumentis confirma-
bimus. Primum duplicem hęc donationem Christus ponit:
alteram nobis, *Panis quem ego dabo*, de quo prius dixerat,
quem filius hominis daturus est vobis; alteram pro nobis, *Caro
mea est pro mundi vita*. Hęc posterior est corporalis, ergo &
prior. Ideo enim posterior adiecta est vt priorem exponeret;
& vt de qua carne loqueretur, nos doceret. Deinde hęc dona-
tio panis futura dicitur, *quem ego dabo*, sicut donatio carnis
pro mundi vita futura tunc erat; vnde in Græco repetitur,
quam ego dabo. Sed non nisi corporaliter vtrumque tunc fu-
turum erat, quia ad spiritualem donationem quod attrinet fi-
de capiendam, ab initio mundi vtraque facta erat. Nam om-
nes iusti ab initio mundi in Christum futuram & redem-
ptionem per sanguinem eius futuram crediderunt; quo sensu
dicitur, *Agnus occisus ab origine mundi*. Quare Caluinus, &
qui de spiritali per fidem manducatione hęc verba expo-
nunt, verbum Christi, *dabo*, prorsus euacuatur, falsique ar-
guunt. Tertio, dare Christum per fidem manducandum seu
hominem factum seu crucifixum, donum est commune toti
Trinitati, quia spirituale donum est. Sed Christus hęc loqui-
tur de dono sibi proprio vt filio hominis, & secundum hu-
manam naturam. Quare sicut caro quam dedit pro mundi
vita, erat propriū donum filij hominis; quo *dedit semetipsum
pro nobis*, &c. sic panis quem hęc se daturum promisit, est
propriū donum Christi vt filius hominis erat; in vtroque
dono *perficiens opus quod dedit illi Pater*, sicut supra dixit
cap. 4. vers. 34. vt ibi exposuimus. Vtrumque igitur corporale
est, & officio corporis accipiendum: quod tres Euangelistæ
diligenter notant; *Et dedit discipulis suis dicens: Hoc est
corpus meum*. Quarto, hunc cibum præfert manna; ergo in
veritate cibi & manducationis corporalis vtraque conue-
niunt. Non enim constituitur differentia nisi inter ea quæ
aliquo modo conueniunt. Nullo autem prorsus alio modo
conueniunt manna & caro Christi in Sacramento, nisi in so-
la manducatione corporali vt ique communi. Quinto, hunc
cibum promittit Christus datum credere vobis in se nec nisi
prius credentibus; quam ob causam de fide prius disputauit
ram multa. Prius igitur est credere in Christum, & postea
hunc cibum accipere: ergo aliud credere, aliud accipere. Sex-
to, fides non in carnem, sed in totum Christum est. Diuini-
tas & tota Christi humanitas fidei obiectum est fideque per-
cipitur. Nulla igitur causa esset, cur hunc cibum carnem
suam

quam vocaret, & quidem toties vocaret, nisi de carnis proprietate & proprio manducationis officio loqueretur. Alia argumenta ex sequentibus adhuc sententiis accumulabuntur.

53. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Propter hæc verba, quæ communionem sub vtraque specie omnino necessariam tradere videbantur, quidam Catholicæ interpretes de spiritali tantum manducatione Christum toto hoc capite disputare, non de sacramentali, vel de ipso omnino Sacramento iudicauerunt; ut imprimis Caietanus: alij non principaliter & proprie, ut in articulis Ruardus Tapperus, Ioan. Hesselius in libro de veritate Eucharistiæ, & post istos Cornelius Iansenius. Sed hi magni & docti viri, ut scribit de illis Claudius de Sainctes in opere Eucharist. Repetit. 6. cap. 1. trepidauerunt timore ubi non erat timor. Sanè D. Thomas tamen suo tempore laicos sub vna specie toto orbe communicare videret, tamen in commentariis in hunc locum indubitanter asserit, de Sacramento Christum in his verbis loqui. Idem fecerunt innumeri Patres, tamen eorum temporibus sub vna specie laici communicarent. Idem & alij hodie contra hæreticos decertantes, ut imprimis Martyr Rossensis lib. 5. contra Oecolampadium, qui vir sanctus non dubitat eum à Deo desertum habere, qui pertinaciter negaret Christum in hoc capite de Sacramento carnis suæ loqui. Eius iudicium sequuti sunt alij: Gul. Alanus Card. de Eucharist. lib. 1. cap. 31. Petrus Michaël de Eucharistia cap. 5. Claudius de Sainctes loco citato, Claudius Guilandis, Ioan. Gagneus, Trelmannus, & doctissimus interpretes Franciscus Toletus. Sed & huius scholæ Magistri Ioan. Driedo de Script. Eccles. lib. 4. cap. 5. & Franc. Sonnius in succincta demonstratione errorum Confess. Calvinisticæ. Denique Conc. Trident. sess. 21. cap. 1. quin negat in his verbis vtriusque speciei communionem à Domino præceptam esse, non ideo negat, quia hic de Sacramento Christus nõ loquitur, sed per alia Christi verba in hoc eodem capite hæc verba exponit. Sensus ergo Christi est, non vtriusque speciei sacramentalis necessitatem docere (species enim non nominat) sed perfectam & plenam carnis & sanguinis sui sumptionem esse necessariam, siue illa sub

Verborum sensus explicatur.

Verf. 11.
& 8.

sub vna specie panis, sine sub altera potus fiat. Nam propter
ea de vna specie res dixit, vt Patres Tridentini loco citato
annotarunt, *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in eter-
num. Panis quem ego dabo; caro mea est pro mundi vita. Qui
manducat hunc panem, viuet in eternum.* Quare hæc Christi
verba tametsi coniunctiue legantur, sunt tamen disiunctiue
intelligenda; ac si dixisset, *Nisi manducaueritis carnem filij
hominis, vel biberitis sanguinem eius.* Est enim Hebraismus
in Scripturis frequens, quem Ioannes more suo sequitur.
Exod. 21. vbi nostra versio habet, *Qui percusserit patrem suum
aut matrem, & Qui maledixerit patri suo vel matri, morte mo-
riatur;* in Hebræo est coniunctio, &, sed interpres sensum se-
quutus est. Iob 31. *Si secutus est oculus meus cor meum, & si
in manibus meis adhaesit macula, & si ad ostium amici mei in-
fidiatus sum, & alia multa;* vbi omnia sunt disiunctiue intel-
ligenda, vt si vel vnum horum fecerit, iuste pœnam illam pas-
sus fuerit. In Psalmis hoc frequentissimum est, Psal. 129. &
aliis multis. Sic Ezech. 18. *Qui in montibus comederit, & vxo-
rem proximi sui polluerit, & pauperem oppresserit, & pignus
non reddiderit, &c. morte morietur.* Vbi certum est singulis
illis sceleribus deberi mortem. Sic hæc verba disiunctiue ac-
cepta nullam habent difficultatem; & disiunctiue accipi de-
bere illud probat quod supra diximus, Christum vni speciei
totum effectum vitæ æternæ assignare. Duplicis tamen sum-
ptionis meminit Christus, propter passionis suæ duplicem
rationem; mortem corporis, & sanguinem effusum; cuius
passionis memoriale hoc Sacramentum est. Sic notauit Am-
brosius, ideo his verbis carnis & sanguinis Christum memi-
nisse, vt suæ Sacramentū passionis ostenderet. Augustinus quo-
que eadem ex causa docet in his verbis, *figuram esse, quæ præ-
cipiat passioni Domini esse communicandum, & suauiter atque
utiliter recondendum in memoria quod pro nobis caro eius cru-
cifixa & vulnerata sit.* Dicit communicandum esse passioni
Domini, id est, Sacramento passionis eius vtendum, quod est
Eucharistia; & vt utiliter id fiat, mente quoque & affectu car-
nis passionem & sanguinis effusionem mente recolendam
esse. Alia quoque ex causa ita loquutus est Christus, vt osten-
deret huius cibi, quem daturus erat, participationem, perfe-
ctam esse animæ refectioem. Ideo manducandi & bibendi
nominibus vsus est, in quibus humana tota refectio consistit.
Neque enim aptioribus verbis significari hoc potuit.

Cœpit hoc loco Calvinus veteres Patres his verbis. *Cræ-*

Lib. 4. de
fide cap. 5.
De doct.
Christ. lib.
3. cap. 16.

fas fuit veterum error, qui infantulos putarunt vita æterna
privari, nisi Eucharistiam illis porrigerent. Sed hæreticorum
more, quæ ignorat, blasphemat. Fuit quidem in veteri Eccle-
siæ consuetudo paruulis Eucharistiam porrigendi, vt patet
apud Cyprianum serm. 5. de lapsis, cuius testimonium citat
August. epist. 23. Sed falsum est veterem Ecclesiam hac con-
suetudine tanquam re ad salutem paruulorum necessaria
vsam fuisse. Imò S. August. qui in lib. 1. cap. 20. de pecc. mer.
& remiss. docet hæc verba ad paruulos pertinere, nec posse eos
vitam habere nisi manducauerint carnem filij hominis, &
biberint sanguinem, non sic intelligi vult vt Sacramentalem
manducationem illis necessariam esse doceat; sed quòd in
ipso baptismo huius Sacramenti rem & fructum percipiant,
ideòque verè vitam habeant per baptismum; quod negauit
Pelagius. Hunc esse Augustini sensum (quem pauci aduer-
cent) alia eius verba manifestum faciunt in sermone ad in-
fantes, quem citat Beda in suis collectaneis in Paulum ad cap.
10. 1. ad Cor. Nulli (inquit) est aliquatenus ambigendum, tunc
namqueque fidelium corporis sanguinisq; Domini partici-
pem fieri, quando in baptisate membrum Christi efficitur, nec
alimari ab illius panis calicisq; consortio, etiamsi antequam
panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc seculo in vnita-
te corporis Christi constitutus abscedat. Sacramenti quippe il-
lius participatione ac beneficio non priuatur, quando ipse hoc,
quod illud Sacramentum significat, inuenit. Hæc ille. Quod
autem Calvinus addit, ad ipsam veteris Ecclesiæ consuetudi-
nem grauius taxandam, ipsam Christi institutionem paruulos
à cena participatione arcere, quia nondum seipfos probare,
nondum colere memoriam mortis Christi possunt, tale argu-
mentum est, vt eodem à baptismo quoque paruulos atceri
concludit, quia necdum credere aut actu fidei in Christum
tendere possunt, vt in eius mortem baptizentur & Christum
induant. Pulchrum est, & contra Lutheranos egregiè valet,
quod subiungit Calvinus, non rectè Bohemos egisse quum hoc
testimonio probarent usum calicis promiscuum debere omnibus
esse. Ab altera parte Beza eos qui hoc testimonium ab usu ca-
licis confirmando abstrahunt, in odium Bohemorum, id est,
Evangelij, illud facere proclamat. Sic magistrum suum Cal-
uinam præclarè correxit Beza.

Partes à
 Caluino
 Procaciter
 taxati.

Caluini ar-
 gumentum
 pro Ana-
 baptista.

Beza Cal-
 uinum cor-
 rigit.
 In annota-
 in hunc ca-
 p. 6.

54. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.*

Caluini
sicut neum
argumen-
tum.

Sermo. II.
de verbis
Domini.

Qui hanc Christi concionem ad Sacramentum Euchari-
sticum pertinere negabant, ex his verbis argumentum
sumunt; quum certum sit multos sacramentaliter manduca-
re carnem Christi qui non habent vitam æternam, & eos so-
los habere vitam æternam qui spiritualiter manducant. Ex
his verbis palam apparet (ait Calvinus) perperam de Cœna ex-
poni totum hunc locum. Nam si verum esset quicumque ad sa-
cram Domini mensam se ingerunt, carnis & sanguinis eius fieri
participes, omnes similiter vitam referrēt. Scimus autem mul-
tis in exitium cedere. Sed miserum planè hoc argumentum
est. Christus in his verbis de manducatione loquitur à se in-
stituta, non à nobis quomodocunque exercita; de suo bono
opere loquitur, qui non nisi ad salutem carnem suam ad man-
ducandum dedit, non de eorum peccato qui ad suam perni-
ciam illud accipiunt. Manducatio indigna non est à Christo
instituta nec intenta, nec hoc loco commemorata, quippe
quæ non nisi æquivocè talis est; sed de ea quæ verè & vni-
vocè ita appellatur, Christus hîc loquitur. Quod ex alia si-
mili locutione sic probat Augustinus. Sicuti in illis Christi
verbis, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit; non
utique intelligimus eo modo credentem quo & demones credunt
& contremiscunt, nec in eo numero baptizatos quo Simon Ma-
gus baptizari potuit, sed saluus esse non potuit; & in illis ver-
bis, non omnes credentes & baptizatos, sed quosdam intueba-
tur, in ea scilicet fide constitutos quæ Apostolo distinguente per
charitatem operatur: ita in his verbis, *Qui manducat meam
carnem, &c.* non eos consideravit qui indignè manducantes iu-
dicium sibi manducant & bibunt, sed de certo quodam mandu-
candi modo loquitur, quem hic fructus & effectus infallibiliter
sequuntur. Hæc ille. Nempe agit hîc Christus, nec de spiri-
tualis manducatione tantum, ut antea ostensum est, nec de sa-
cramentali tantum; sed de illa sacramentali quæ etiam spiri-
tualis est, ut ex his verbis apparet. Quare August. tract. 27. in
Ioannem, totam Christi concionem ita concludit, *ut omnia
quæ Christus hîc dixit de manducanda carne sua, & bibendo
eius sanguine, ad hoc nobis valeant, ut carnem Christi & san-
guinem Christi nõ edamus & bibamus in Sacramento tantum,
sed usque ad Spiritus participationem, ut eius Spiritu vegete-
mur, &c.* Quæ Augustini conclusio non docet præstari &
exhi*

exhiberi in Sacramento quæcunque hîc Christus dixit, ramentum de Sacramento non sit loquutus, vt Augustini expositionem peruertit Calvinus; sed perspicuè docet de ipso Sacramento suo & de sacramentali manducatione in omnibus præcedentibus Christum loquutum fuisse; sed de sacramentali quæ etiam spiritualis sit.

Impius autem Calvinus videte quàm prophanè & impiè hoc loco scribat. *Ineptum esset atque intempestiuum de Cœna tunc differere, quam nondum instituerat. Ideo de perpetua fidei manducatione eum tractare certum est.* Petulantis & proterui hæretici intoleranda arrogantia est. Non veretur Christum ineptiæ arguere si autem institutum Sacramentum de eo differat. Quid non verebitur homo impius extento collo & perfesta fronte asserere, qui ipsùm Dominum sic aggreditur? Ergo iuxta Caluini blasphemias ineptè fecit Christus qui de sua Passione futura, de suis contumeliis, flagellis, ipsaque morte, ac post triduum resurrectione, antequam eorum quicquam fieret, iterum atque iterum suos Apostolos docuit? Ineptè fecit Christus qui antequam Spiritum S. daret, de fluentis eius ac donis disputauit, dicens: *Qui credit in me, flumina fluent de ventre eius aqua uiua?* Ineptè fecit Christus qui ante baptismum institutum de eius necessitate & fructu Nicodemum docuit? Ineptè fecit Christus qui de obedientia suis Apostolis ac ministris præstanda sæpe proloquitur, antequam illos in mundum mitteret, & ad ministerij sui functionem emisit? Aut si de passione, morte, resurrectione, de Spiritu S. donis, de baptismo, de authoritate Apostolica, antequam ista peragerentur, conferrentur, instituerentur, potuit Christus absque vlla ineptiæ aut intempestiæ disputationis nota differere ac disputare; quantus tabula Caluini, qui *ineptè atque intempestiuè fecisse Christum* audet affirmare, *si de Cœna differeret, quam necdum instituerat!* Sed nullis blasphemis parcat Calvinus, vt quod vult obtineat. Nihil tam insulsum aut impium est quod asserere non veretur, vt suas impias hæreses quoquo modo stabiliat. Ex huiusmodi igitur tam impio atque insulso præterea antecedente, conclusio, quam ita certam ponit, certissimè corrui: nec de perpetua fidei manducatione, vt ille ait, sed de perpetua sacramentali manducatione, cui spiritualis illa per fidem coniuncta est, Christum hoc loco tractare certo certius est.

Impius Calvinus Christum ineptiæ arguit.

Matt. 16. 17. 20. 26. 27.

Ioan. 4. Ioan. 7.

Ioan. 3. Luc. 10. Ioan. 17.

Caluini impietas & audacia.

57. *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem; & qui manducat me, vivet propter me.*

Sacramē-
tali Chri-
sti mandu-
cacio pro-
batur.

Sacramentalem corporis Christi manducationem, eius-
que manducationis fructum, hæc verba fortissimè do-
cent. Quum enim dixisset, *Qui manducat meam carnem, &c.*
habet vitam æternam, probare id nunc vult à vera manduca-
tione & reali acceptione vivificæ carnis suæ. Dicit ergo: Si-
cut ego qui sum filius Dei, eandem vitam habens cum Pa-
tre, factus tamen homo & tanquam homo, quia missus sum
à vivente Patre, id est, habeo divinitatem Patris viventis hu-
manitati meæ unitam, & vivo propter ipsum (humanitas
enim mea accipit vitam à divinitate, & à Patre ipso) ita qui
me manducat, accipiet vitam à me, quia mihi unitur non
solum per fidem & charitatem, sed realiter seu *naturali*
unionem, ait Hilarius lib. 8. de Trinit. & in me manet non
solum per fidem & dilectionem, sed *reipsa & corporaliter*,
ait Cyrillus in Ioan. lib. 10. cap. 13. & libro 11. cap. 26. & 27.
& Chrysost. hom. 45. in Ioan. non quod unum fiat eius natu-
rale Christi & manducantis eum, sed quia præter unionem
spiritualem ratione fidei & charitatis, etiam reipsa Christus
habitat in eis qui manducant eum, veluti fons & causa eius-
dem fidei, charitatis, & gratiæ: & hoc modo qui mandu-
cat, vivit propter Christum, quia habet in se causam & fon-
tem vitæ spiritualis. Pulchre hoc D. Basilus docet. *Christus*
dicens, Ego vivo propter Patrem, potest illam vitam dicere
quæ Christus etiamnum vivit, Verbum Dei habens in seipso.
Et hoc ex sequentibus patet ubi dixit, Et qui edit me, vivet
propter me. Carnem namque ipsius edimus ac sanguinem bi-
bimus, consortes effecti verbi ac sapientia per incarnationem
& sensibilem ipsius vitam. Hæc ille epist. 141. Docet eo mo-
do per manducationem carnis Christi effici nos consortes
Verbi, id est, vitæ & gratiæ quæ ab ipso incarnato est; unde
adiicit, *per incarnationem eius, sicuti Christi humana na-*
tura vitam in seipsam recipit, non velut à Patre longè posi-
to, sed velut essentiali eius Verbo præsentem, & naturam il-
lam humanam vivificante.

63. *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam.*

Varia est huius loci expositio. Vna Chrysostomi & se-
quacium eius, de spiritali & carnali intelligentia
verbo

verborum Christi, qui sensus et si verus sit, tamen non videtur
 ad literam accommodatus. Alia hæreticorum communis
 est, de spiritali manducatione per solam fidem Christum
 loqui ut ipsa carnis Christi manducatio aut sumptio realis
 nihil proficit. Hanc ipse Calvinus reiicit, affirmans *neceſſe eſſe*
Christi carnem comedere ut crucifixa proficit. Tertia est ipsius *Vaſtra Cal-*
 Caluini, Christum hinc *ad modum edendi ſimpliciter reſpe-*
xiſſe, ideoq; carnem ex ſua origine & natura eſtimatam, qua ſitio.
tota terreſtris eſt, nihil prodeſſe, ſed ex Spiritus virtute, qua
caro Christi perfuſa eſt, ipſam Christi carnem eſſe viuificam,
& eſſe verè cibum, quia per ipſam parta nobis eſt vita, & in
ipſa placatus eſt nobis Deus, omneſque ſalutis noſtra partes
completa. Plena dolo & vaſtricie hæc expoſitio eſt. Primum,
 non in his ſed in ſequentibus verbis ad modum edendi ſpi-
 ritualem Christus reſpexit ex ſententia Auguſtini, quem Cal-
 uinus ſe ſequi affirmat. Deinde, Christi quidem caro ex Spi-
 ritus veritate viuifica eſt, ſed quæ ſit hæc Spiritus virtus
 non explicat, an ipſa Christi diuinitas carni vnita, an ſpiri-
 tuales eius effectus quos poſtea deſcribit. Tertio, docet qui-
 dem Christi carnem ex Spiritus virtute eſſe verè cibum, ſed
 quatenus per illam crucifixam parta nobis eſt vita, & pla-
 catus Deus, non quatenus Christus illam nobis comeden-
 dam dedit: & ſic in ſecundam ſententiã, quam reiicit ipſe-
 met, relabitur. Tota & perſpicua veritas, quam hæretici par-
 tim impugnant, partim fugiunt & diſſimulant, (ut hinc Cal-
 uinus) verãque verborum expoſitio hæc eſt: Caro Christi *Verborum*
 ſi ſola eſſet, & merè humana, qualem Capharnaitæ intelli- *ſenſu.*
 gebant, non prodeſſet ad vitam: at quia Spiritus & diuini-
 tatis caro eſt, ipſique coniuncta; prodeſt & efficax eſt ad
 vitam; diuinitas enim per ipſam viuificat. Ideò diuinitatem
 ſux carni vnitam eſſe in præcedenti ſententiã docuerat, di-
 cens de ſua Aſcenſione futura, *ſi filium hominis videritis*
aſcendentem vbi erat prius, ſupple. quid nunc dicetis? Hunc
 in modum exponit Cyrillus libro 4. capite 13. & 24. & D.
 Auguſtinus tractat. 27. *Caro (inquit) ut eſt diuinitatis orga-*
num, prodeſt ad vitam. Eandem expoſitionem tenet de Ci-
 uitate Dei libro 10. capite 24. Athanaſius quoque tum in li-
 bro de Incarnatione Christi, tum in oratione in dictum il-
 lud Matthæi, *Quicumque dixerit verbum aduerſus Spiri-*
tum Sanctum. Quem ſequitur Damascenus de orthod. fide
 libro 4. capite 14.

63. *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.*

VOcat hîc Christus verba hæcenus dicta, seu totam hanc suam concionem de manducanda carne & bibendo sanguine suo, *Spiritum & vitam*, ratione materiæ de qua hæcenus tractavit: vt videlicet eos doceret intelligenda sua verba esse, nec de re aliqua carnali sub carnis specie, sicut illi intelligebant, sed carne spirituali ac viuifica, quia diuinitati coniuncta; nec etiam de manducandi aut bibendi modo carnali, sed spirituali. Verum enim Christi corpus & verus sanguis tametsi verè & realiter in Sacramento accipiantur, non tamen carnali aut sensibili modo accipiuntur, sed sub Sacramento & aliena specie: qua sensibili panis specie mediante, cui intimè corpus Christi conuertitur (non immediatè & per se vel in sua quantitate) corpus Christi tangitur, frangitur, manducatur: qui est vnus spiritualis modus manducandi corpus Christi, vt distinguitur à visibili & carnali manducandi modo qualem Iudæi intelligebant. Sic hunc locum optimè explicat S. Augustinus. *Verba quæ locutus sum vobis, spiritus sunt & vita; spiritualiter intelligite. Non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis. Sacramentum aliquod vobis commendans. Spiritualiter intellectum viuificabit vos: etsi necesse est illud visibilibus celebrari, oportet tamen inuisibilibus intelligi.* Hæc ille. Caro igitur Christi quia habet adiunctum Spiritum viuificantem, id est, ipsam diuinitatem, ideòque qualitates habet spirituales, Deòque proprias (vnde in carne humana multa fecit diuinè) propterea per modum illarum, non per modum qualitatum & proprietatum meræ humanæ naturæ, in hoc Sacramento adesse & à nobis manducari voluit. Hanc ob causam verba sua vocauit, *Spiritum & vitam*, quia spiritualiter totum accipiendum est quod docuit; & sicuti carni viuificæ ac diuinitati coniunctæ conuenit; non rei veritatem, quam toties inculcauit, hoc vno verbo tollens, vt hæretici colligunt, sed modum huius rei accipiendæ spirituales subiiciens, vt August. aliique Patres in hunc locum exponunt.

Caluini totam hanc sententiam Christi ad generalem doctrinæ Evangelicæ commendationem transfert, ad potentissimam illam sententiam stabiliendam, ex auditu Evangelij vnumquemque credentem de sua salute certum reddi. *Vitam (inquit) ab effectu sermonem suum nominat Christus quasi*

Caro Christi spiritali modo manducanda.

Enarr. in Psal. 98.

Caluini deprauatio.

quasi uiuificum. Sed uiuificum nemini fore docet nisi à quo spiritualiter percipitur. Apud pios suauissimum hoc Euangelij elogium est, quod certi sunt sibi in aeternam salutem destinatum esse. Hæc ille. Atqui Christum de sola sua præsenticoncione, & de modo eius intelligendæ, ista locutum esse, totus contextus ad oculum docet. Verba quæ ego locutus sum uobis, non nisi de illis verbis intelligi possunt, quæ præsentibus Iudæis locutus fuerat. Spiritus & uita sunt, non nisi ad rem præsentem pertinent, quod Spiritus uiuificat, caro non prodest quicquam.

Nunquid & uos uultis abire?

Veram hinc causam ponit Christus incredulitatis Iudæorum. Prius eam causam posuit, quia, ut ad Christum uenirent, non fuit eis datum à Patre. Sed ne quis hanc propriam incredulitatis illorum causam esse putaret, aliam huic assignat, liberam eorum uoluntatem prauam. Aliis enim discipulis recedentibus, Apostolos rogat (quibus haud dubiè à Patre datum erat ut ad Christum uenirent) an & illi recedere uellent, manifestè docens in eorum libera uoluntate positum esse, ut uel in Christo manerent, uel ab eo recederent. Norauit hoc S. Cyprianus his Christi uerbis citatis. *Seruat scilicet Dominus legem qua homo libertati suæ relictus, & in arbitrio proprio constitutus, sibi met ipse uel mortem appetit uel salutem.* Hæc ille. Sanè Iudæos ex propria malitia, non ex absoluta Dei uoluntate, in Christum non credidisse, tam diligens & proluxa ad eos habita concio satis demonstrauit. Quod ergo Dei gratia efficaciter multi non conuertantur, in ipsis non in Deo causam ponendam esse docet S. August. his uerbis. *Ut innotescat quod latebat, & suauè fiat quod non delectabat, gratia Dei est, quæ hominum adiuuat uoluntates: qua ut non adiuuentur, in ipsis eadem causa est, non in Deo, siue damnandi prædestinati non sint propter iniquitatem superbiæ, siue contra ipsam suam superbiæ iudicandi & eruendi, si filij sint misericordiæ.* Hæc ille, latius idem eodem loco confirmans, & concludens nullius culpæ humanæ causam in Deum referendam esse. De pecc. mer. & remiss. lib. 2. cap. 17.

Incredulitas
tatu uera
causæ

Epist. 55.

Libro 2.
cap. 17. de
pecc. mer.
& remiss.
sane.

IN IOANNIS CAP. VII.

5. Neque enim fratres eius credebant in eum.

B. Virgini
reueren-
tia singu-
laris dispen-
ditur.



ARRIPIIT hoc loco occasionem Calvinus Catho-
licæ Ecclesiæ erga B. Virginem singularem reue-
rentiam acerbè taxandi. Hinc (inquit) colligimus
quàm nihili sit carnalis propinquitas. Perpetuam
enim infamia notam Spiritus inurit Christi cognatis , quòd tot
operum testimoniis conuicti , ne tum quidem credebant. Que
magis ridicula est Papistarum superstitio, qui in virgine Maria,
posthabitis omnibus aliis, solum sanguinis honorem efferunt, quasi
non reprehensa ab ipso Christo fuerit mulier, qua ex media tur-
ba clamabat, *Beatus uteris qui te gestauit.* & uera qua te la-
ctarunt. Respondit enim Christus: *Quin potius beati qui au-
diunt uerbum Dei.* Hæc ille in hunc locum. Est ergo hoc
Caluini argumentum; quia cognati Christi secundum car-
nem increduli erant, ridiculos eos esse qui in Matre Christi
solum sanguinis honorem efferunt. Sed non uidet cæcus hæ-
reticus, ubi plures causæ honoris deferendi concurrunt, ibi
maio rem honorem meritò deferri: eamque ob causam Bea-
tissimæ Virgini Mariæ, quæ non solum credidit Angelo à
1. Deo misso, non solum conseruabat & conferebat in corde
2. suo omnia quæ circa Christum paruulum gerebantur, non
3. solum de toto mysterio redemptionis nostræ diuinissimè
4. prophetauit Christo necdum nato, non solum Crucis Christi
fugientibus Apostolis magna animi constantia ac singulari
fide assistit, non solum in die Pentecostes Spiritum Sanctum
5. accepit, (quæ sanè omnia pietatis & fidei in Deum præclaus-
sima testimonia, cum aliis, vel Apostolis, vel Sanctis, illi erant
aut esse poterant communia,) sed præter hæc omnia, ipsa
Christi imò filij Dei Mater fuerit, filium Dei incarnatum in
utero gestauerit, aluerit, & omne in eum matris officium
exercuerit; propter tot causas in illa sola concurrentes, ma-
ximo quòdam & singulari supra reliquos Sanctos omnes ho-
nore à nobis Catholicis optimo iure affici. Quid? an seriò in-
dicant Calvinistæ propter solum sanguinis honorem nullam
Beatiss Virgini reuerentiam deberi? An Calvinus puero Chri-
sto maior & melior uideri uolet? At dicit Scriptura de Iesu
Redemptore iam duodenni, & de parentibus eius: *Ipse erat
subditus illis.* An in hac subiectione ipsam sanguinem ma-
ternum Christus non honorauit? Imò putatitium illum suum
patrem Ioseph, propter paterni sanguinis imaginem tantum
illa

Solum san-
guinis ho-
nor in B.
Virg. reue-
rentia di-
gnus.
Luc. 2.

illa quoque subiectione nonne honoravit? Quod ergo Christus ipse in sua Matre honoravit, quis tandem Christianus honore dignum esse negabit? An non hoc ipsum sancta illa mulier Elizabeth, & Spiritu Sancto plena, singulariter in beata Virgine venerata est, quum diceret, *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui?* id est, ideo benedicta, quia tantam prolem habitura es? Nam & Angelus quum hanc B. Virginem eodem titulo exornasset, & *inter mulieres benedictam* prædicasset, illaque, pro sua modestia & humilitate, hac audita salutatione non inflata, sed turbata esset, eius salutationis rationem reddens Angelus subiunxit. *Ne timeas Maria: inuenisti enim gratiam apud Deum.* Et quam gratiam tandem, ut propter illam benedicta prædicetur? Sequitur. *Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hec erit magnus, & filius Altissimi vocabitur, &c.* Ecce ideo ab Angelo posteaq; à S. Elizabetha, Angeli verba ex afflatu diuino repetente, *benedicta* nuncupatur & prædicatur, quia talem ac tam benedictum fructum paritura erat. Rursum an non hoc ipsum eadem Elizabetha præcipuo affectu venerabatur quum diceret, *Vnde hoc mihi, ut Mater Domini mei veniat ad me?* Non dicit, *Vnde hoc mihi, ut quæ gratia plena est, quæ Angelo credidit, in quam Spiritus Sanctus superuenit, & virtus altissimi obumbravit, veniat ad me? Quæ tamen omnia verè & piè dicere poterat.* Sed hæc omnia tacens, & quod in ea summo honore dignum erat attingere volens, dixit: *Vnde hoc mihi ut Mater Domini mei veniat ad me?* Non solum, ipsum in Matre Christi sanguinem veneratur, sed illud vnum præ cæteris omnibus veneratione dignum iudicat. Age enim. Mater Domini nostri est. Quis igitur huius Domini seruus, eam, ut Domini sui Matrem, hoc ipso quod Mater Domini sui est, præcipuo quodam & singulari honore afficiendam esse, dubitare poterit? An quisquam subditus est, qui Regis sui matrem, hoc ipso quod mater est, singulari aliquo honore prosequi recusabit? Quid? An Matrem Domini esse secundum carnem, res ipsa per se summa veneratione digna non est? Quum illud canticum diuinissimum B. Virgo pronunciatet, *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo, quia respexit humilitatem ancille sue,* quod aliud beneficium ipsi in particulari à diuina bonitate impensum prædicat, quam quod filij Dei se Matrem esse, ut Elizabetha professa est, cerneret? Quando adiecit, *Ecte enim ex hoc beatam me dicent*

*data,
quia ma-
ter filij
Dei.*

omnes generationes, cur ex hoc, cur ab eo tempore, nisi propter id quod sequitur? Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius? Et quæ illa magna erant quæ fecit illi potens Deus, quàm quòd, iuxta Angeli verbum, filium Dei paritura erat? Hæc sunt magna quæ fecit huic Virgini Matri Deus, in hoc respexit humilitatem huius virginis. Ex eo demum tempore beata ab omnibus generationibus prædicabitur, quia Mater Domini omnium est. Hanc sibi factam ineffabilem gratiam, exultans in Deo salutari suo, his verbis prædicavit. Cætera quæ in hoc hymno sequuntur, ad totius humani generis beneficium ac redemptionem pertinent. Sed in primis illis versiculis, *quæ illi magna fecit Deus, & quomodo ipse humilitatem respexisset, & cur ipsa beata prædicanda esset, quia videlicet Mater filij Dei futura erat, aut iam erat potius, cum ingenti spiritus exultatione deprædicat. Quod ergo tanta exultatione & gratiarum actione dignum purissima hæc virgo iudicavit, & Spiritus Sancti in Scriptura diuinitus reuelata contestatum relinquere voluit, videlicet quòd Mater Domini omnium esset, hoc ipsum quoque nos cum summa animi exultatione non prædicabimus? De hoc ipso nos Deum nostrum non magnificabimus? Ex hoc ipso nos beatam esse hanc virginem non profitebimur? Ipsa nos virgo Mater, ipsum Euangelium, ipse Spiritus Dei, si secus facimus, summæ nos & ingratitude & impietatis arguet.*

Sed vnus Calvinus, homo impius & ingratus, eos qui hunc solum sanguinis honorem in B. Virgine Christi Matre efferunt, *ridicula superstitione* laborare iudicat. Dico solum sanguinis honorem, quem solum puer Iesus in illa venerabatur, quem solum sancta mulier Elizabetha prædicabat, quem solum ipsamet B. Virgo diuino Spiritu excitata solenni cantico celebrabat. Solum, inquam; non quasi aliud nihil in hac B. Virgine aut honorandum censeamus, aut non honoremus, sed solum, quia seorsim & per se hoc vnum consideratum, præcipuo quòdam honore dignum esse asserimus. Addit quidem Calvinus, *posthabitis omnibus aliis.* Sed illa additio non nisi ad calumniam inseritur. Nos enim Catholici, quum B. Virginem Christi Matrem præcipuo quòdam honore prosequimur, ipsum quidem in ea sanguinis honorem efferimus, & hoc ipsum, quod Mater Domini nostri fuit, magnopere honoramus; non tamen posthabitis omnibus aliis, non contemptis aut neglectis aliis in ea virtutibus; virginitate perpetua & illibata, fide fortissima, humilitate & obe-

*Caluini
putida ca-
lumnias.*

dientia, charitate, totaque vitæ puritate illa virgine digna, quæ *plena gratia* ab Angelo salutari meruit: Non, inquam, istis aut neglectis aut posthabitis, sed vnà cum istis, ipsam in ea sanguinis honorem effecerimus: quem ad eò non effere Caluinus cum suis, vt eum efferi aut prædicari non debere, ex aliis Euangelij verbis probare contendat. *Reprehensa* (inquit) *fuit à Christo mulier, quæ ex media turba clamabat, Beatus venter qui te portauit.* Esto: fuerit à Christo reprehensa quæ sic clamabat. An verò illa reprehensionis causa fuit, quòd Matrem Christi quasi Matrem Domini sui beatam prædicauit, sicuti nos Catholici in B. Virgine sanguinis honorem effecerimus, quia Mater Domini nostri, Mater Redemptoris mundi, Mater filij Dei fuit? Nihil minus. Certum est, illam mulierem, si reprehensa fuit, ideo reprehensam fuisse, vel quia vulgari mulierum more, audita Christi sapientia, felicem illam Matrem dixerit, quæ tantæ sapientiæ filium genuerit, nihil amplius de eo vel de Matre eius cogitans quàm quæ de viro aliquo sapiente, qui parentum suorum honor sit, (honor quippe matris filius sapiens) vulgus hominum cogitare solet, vel quia tempore & loco non suo in huiusmodi verba prorupit, quum Christo tunc apud populum concionante, nec Matris suæ nec ipsius laudibus extollendi, sed doctrinæ cælestis, quam concionabatur, audiendæ, operibusque exequendæ tempus esset. Nam & sic quum aliàs eo concionante diceteretur, *Ecce mater tua & fratres tui te feris expectant*, respondit. *Quæ est mater mea, & qui fratres mei, nisi qui voluntatem Patris mei faciunt*: vbi non negauit matrem aut fratres suos id esse quod erant, sed doctrinam suam, cui tunc instabat, & obedientiam mandatorum Dei, suis auditoribus commendare voluit. Atqui Catholici Christiani quum hæc verba tam in Christi quàm in Matris suæ laudem recitant, decantant, prædicant, *Beatus venter qui te portauit*, &c. nec tam exiles cogitationes habent, nec aliqua importunitate Christi negotia perturbant. Catholici hæc verba imitantes dicunt: *Beata viscera Maria virginis, quæ portauerunt aeterni Patris Filium.* Planè cum Angelo Gabriele, benedictam inter mulieres Mariam prædicant, quæ *concepit in utero, & peperit filium, qui filius Altissimi vocaretur.* Si enim Angelus antequam adhuc conciperet (ait enim, *concupies, & paries*) benedictam illam de prædicat propter partum futurum, quidni multo magis post tam

Matth. 12.

B. Virginis
cur Catho-
lici prædi-
cant.

benedictæ prolis partum, & propter illum iam de facto præstitum, benedictam illam prædicamus? Rursum cum S. illa Elizabetha benedictam illam prædicamus *propter benedictum fructum ventris sui*. Quare tamen hæc mulier clamans de turba quum concionabundus Christus populum doceret, à Christo reprehensa fuisset, nullo modo tamen ad Catholicorum hodie pietatem illa reprehensio pertineret.

Iam verò nec à Christo reprehensam hanc mulierem fuisse, aut aliquid superstitiosè dixisse, (vt vult Calvinus) sed verba pietatis plena protulisse, multi doctissimi Patres eadem acclamatione vsi satis superque docent. Simili quippe vtitur Gregorius Nyssenus his verbis. *O beatum uterum illum qui bonitatis præstantia ad se animi traxit bona. In reliquis enim omnibus vix animus purus Spiritus Sanctus præstantiam capit. hic autem caro sit Spiritus receptaculum*. Simili vtitur eademque sæpe repetita Epiphanius. *O uterum, impollutum habentem circumcælum cælorum, qui Deum incomprehensum, in te verè comprehensum portasti! O uterum cælo ampliorem, qui Deum in te non coarctasti! O uterum habentem inextinguibile lumen septies lucentis gratia! Nec dissimili vtitur Augustinus. O virgo Dei genitrix gloriosa, ô sublimis puerpera, cuius visceribus author cæli terræq; committitur! Et rursus. O fœmina super fœminas, quæ & virum non cognouit, & virum in utero circumdedit! Et quid miramur si hunc ipsum sanguinis honorem in hac beatissima Dei matre Patres venerantur & laudibus efferrunt, quando ipse Spiritus Sanctus in Scriptura diuinitus inspirata, rem eandem, quasi summa admiratione & veneratione dignam, aliquot antè sæculis prædixit? Clamat Ieremias Propheta. *Creauit Dominus nouum super terram. Fœmina circumdabit virum*. Hoc nouum & inauditum Dei opus, quod ipse sua infinita potentia creauit, quòd fœmina circumdaret virum, id est, prolem in utero haberet, quæ perfectus vir erit antequam nascatur, perfectus, inquam, non mole corporis, sed vnione diuinitatis, quis negare poterit vt summa admiratione, ita pari veneratione dignum esse? mulierem ergo, quæ in Euangelio exclamauit, quum huius viri cœlestem sapientiam audiret, *Beatus venter qui te portauit*, si ex fide verborum Christi, & non ex affectu humano illa verba dixit, nullo modo à Christo reprehensam fuisse existimari debet. Sanè ipsa Sibylla Tiburtina, quam de Christo, sicut cæteras Sibyllas, spiritu prophético vaticinatas fuisse nullus dubitat*

Serm. in
Natiu.
Domini.

In Serm.
de laudib.
Virginis.

Serm. 35.
de Sanctis
& 9. de
tempore.

Jerem. 31.

dubitat Christianus, eisdem ferè verbis Messæ Matrem deprædicat:

O nimum felix calo dignissima Mater,

Quæ tantam sacro lactabit ab ubere prolem!

Quæ sanè carmina cum aliarum Sibyllarum vaticiniis si quis nouatorum Sibyllina esse negauerit, agat cõtra Xystum Betuleium, eiusdem farinae hominem, qui ea in lucem euulgauit. Sanè venerabilis Beda hæc verba apud Lucam exponens, ita scribit. *Magna deuotionis & fidei hæc mulier ostenditur, quæ Scribis & Phariseis Dominum tentantibus simul & blasphemantibus, tanta eius incarnationem sinceritate cognoscit, tanta fiducia consistetur, ut & presentium procerum calumniam & futurorum hereticorum confundat perfidiam.* Sed & doctissimus Augustinus, quem imitari solet Beda, hanc mulieris confessionem ita probat, vt non suo tantum, sed & aliorum priorum nomine eam ab illa factam fuisse affirmet.

In Lucam
lib. 4. cap.
49.

Tract. 10.
in Euang.
Ioan.

Sed ad Caluinum redeamus, qui omnino reprehensam à Christo propter hæc verba mulierem fuisse affirmat. Quomodo hoc probat? Ait. *Respondit enim Christus: Quin potius beati qui audiunt verbum Dei.* Primùm, impostor iste verbum Dei corrumpit. Non enim dixit Christus, *Quin potius*, sed, *Quinimo*: quod etiam verbum in sua translatione apud Lucam retinuit Caluinus: & Beza vertit, *Imò verò*: vbi nulla est comparatio aut auxesis (quasi *μᾶλλον δὲ* Lucas scripsisset) sed simplex adiectio, quam vox Græca *μὲν οὖν γὰρ* manifestè insinuat. Vult enim dicere Christus: Non solùm beatus venter, qui me portauit, sed & reuera beati illi sunt qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud. Tu me matremque meam beatam prædicas. Sed hæc prædicatio huius temporis ac loci non est. Ego illos beatos prædico qui verbum Dei audiunt & custodiunt. Impius tamen Caluinus textum corrumpens, pro *Quinimo* legit, *Quin potius*, pro simplici assertionem non præcedenti sermone aduersatiua, aut quæ præcedentem corrigeret, sed alterius sermonis affirmatiua, ponit comparisonem: quasi diceret Christus magis beatos aut magis honorandos esse qui custodiunt auditum Dei verbum quàm vel ipse, vel mater eius. Hæc enim mulier non matrem tantum Christi, sed & ipsum Christum laudare voluit, imò magis Christum quàm matrem, quia propter Christum laudat matrem: propter filium laudat vterum, laudat vbera. Vnumquodque autem propter quid & illud magis.

Caluinus
textum
corrumpit.

Verbi Dei
custodia
magis per-
ficiat, non
magis ho-
morabilem
reddat.

In libro de
S. Virgin.
cap. 3.

2. Reg.
20. 3.

In Prompt.
Cathol. in
suo vultu,
B. Virg.

Non est quidem negandum, magis beatam, id est, in causa salutis adipiscendæ magis Deo gratam esse personam illam quæ Dei verbum custodit, quàm quæ carnalem habet quantumvis intimam cum Christo affinitatem, quia illa beatitudo, essentialis quædam perfectio, & rectitudo, & iustitia est ad summam beatitudinem conferens: intima autem cum Christo secundum carnem coniunctio res quidem summæ est dignitatis & honoris, non autem summæ virtutis aut perfectionis, aut quæ ad salutem ex se conferat. Et hoc sensu verissimè Augustinus dixit, *Beatior Maria percipiendo fidem Christi quàm concipiendo carnem Christi*. Imò quod adicere non veretur, *Materna propinquitatis nihil Maria profuisset, scilicet ad salutem & iustitiam coram Deo, nisi foelicius Christum corde quàm carne gestasset*. Sanè foelicius ad salutis quæstionem & ad essentialem perfectionem quod attinet: sed nõ foelicius ad honoris & dignitatis quæstionem quod spectat. Ad dignitatem quippe & excellentiam incomparabilem B. Virginis hoc imprimis spectasse, quòd *Mater filij Dei* fuerit, iam ex diuinis Scripturis perspicuè demonstrauimus. Tamen si igitur in his Christi verbis aliqua correctio esset & comparatio, vt illud, *Quinimo*, significaret, *quin potius; beati*, id est, magis beati sunt, *qui custodiunt Dei verbum*; tamen nec illa correctio alterã matris Christi beatitudinem negaret, quòd in vtero Christum gestasset (non enim quia illud melius, propterea hoc non bonum est) nec illa comparatio dignitati & excellentiæ beatissimæ Virginis aliquid detraheret, sed alterius generis beatitudinem (vt iam explicatum est) commendaret. Sanè in alia Scriptura vbi David amico suo Ionathæ dicit, *Quinimo viuit Dominus, & viuit anima tua, quia vno tantum gradu ego morsq; diuidimur*; illud, *Quinimo*, nihil nisi constantem asseuerationem significat. Quare Varabius lingue sanctæ peritissimus, illud, *Quinimo* vertit, *Et profecto*. Cæterum vtcunq; se hæc res habeat, B. virginem Mariã hoc ipso quòd Christum in vtero gestauit, & mater Domini nostri esset, summo honore ac veneratione singulari prosequendam esse, summæque dignitatis & excellentiæ habendam esse, non solum ex Scripturis iam allegatis, sed præterea ex sapientissimorum Patrum elogiis manifestè constat, quæ alio in loco bono numero cõgessimus: quæ idcirco hoc loco non reperimus. Illud vnum hoc loco annotabimus, beatissimam hanc Virginem ex eo quòd mater Christi fuit, hæc maximè ex causa maximo honore dignam prædicari, quia

ut talis mater esset, & tanto filio concipiendo ac pariendo idonea, maxima gratiarum vberitate donata, maxima totius vitæ puritate imbuta, & ad altissimum perfectionis gradum euecta fuerit: quum dubitari nequeat, Deum qui ad tam excellentem finem illam ordinauerat, media quoque suppeditasse quæ ad talem finem vilo modo desiderari possent. Quare quum matrem Christi veneramus, & beatam esse prædicamus, quæ filium Dei in vtero gestauit, illam cum vniuersa illa perfectione tantæ matri collata consideramus, & non ut vulgarem matrem quæ carne tantum gestarit, ad quod gestandum magis idonea non esset quàm quæuis alia mulier. Quibus ita explicatis, Caluini hoc loco cauillationes quàm inanes ac futes, addo etiam impiæ fuerint, satis perspicuum euasit.

17. *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego à meipso loquar.*

Hæc Christi verba miro artificio inuertit & à vero ac genuino sensu longissimè lectorem abducit Caluinus. Quid sit voluntatem Dei facere, & hoc nihil aliud esse quàm Dei mandata, quæque ille vult & iubet, opere præstare, contra alias & varias Caluini corruptelas ad alia S. Euangelij verba iam in hoc opere iterum atque iterum ostendimus. Hæc enim verba, *facere voluntatem Dei Patris*, nunquam in recto sensu accipere aut admittere voluit Caluinus: quando ei stetit semel sententia, voluntatē Dei (faciendo quæ ei placita erant) nullo modo facere; sed mandatorum Dei obseruatione desperata, in sola sua fide conuiescere. Sed hoc loco, quia *facere voluntatem Dei Patris*, ponitur à Christo ut medium & via ad ipsam fidem consequendam, vetus illa cantilena, quòd huiusmodi verbis fides commendatur, locum habere non potuit. Hic enim dicit Christus. *Si quis voluerit voluntatem Dei facere, cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego à meipso loquar*: id est, fidelem doctrinæ meæ adhibebit, tanquam diuinæ, & nō à me tanquam homine priuato, sine Dei mittentis mādato, & sine Dei suggerentis Spiritu adiuuentæ. Docet ergo Christus voluntatem & pium desiderium faciendæ voluntatis Dei, voluntatem, inquam, non otiosam, desiderem, fluctuantem; sed firmam, alacrem, & actiuam obsequendi Deo in omnibus mandatis eius, medium & dispositionem

*Supra ad
Matthæi
cap. 5. &
7. & 12.*

tionem esse egregiam ad fidem Christi verbis adhibendam. Quod enim dicitur *cognosces*, significat eum ad cognoscendum rectè disponi, nec impedimentum habere cognoscendi. Voluntatem igitur hominis pravam, ira, odio, invidia, superbia, aut pravis quibusque cupiditatibus obsessam, graue impedimentum esse docet Christus, quò minus cælestem & diuinam esse Christi doctrinam cognoscat: sicuti doctissimi olim interpretes Cyrillus & Chrysostomus hoc loco annotarunt. Voluntas autem recta & diuinæ voluntati conformis medium & dispositio est accomodatissima, ad cognoscendam doctrinam Christi ex Deo esse, id est, ad certam & firmam fidem illi adhibendam. *Cognoscere* enim pro credere accipitur: sicut in hoc Evangelio alibi. *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Apertus & luculentus hic est Christi verborum sensus.

Nunc ut ea corrumpat Calvinus videamus. *Excipit hic Christus* (ait Calvinus) *rectum iudicium manare ex timore Dei & reuerentia. Ideò si animos habent ad timorem Dei compositos, facile agnituros an verum sit nec ne quod predicat.* Verum quidem est, timorem Dei & reuerentiam illis necessariam esse qui de rebus diuinis rectè iudicare volūt, & (quod postea dicit) *pietatem & studium obsequendi Deo: id eoq; si parati sumus in Dei obsequium, minimè illum nobis defuturum, quin Spiritus sui luce affulgeat, ut discernere liceat inter veritatem & mendacium: præfractos autem & indociles iustam suæ hypocrisis pœnam sustinere quoties illis illudit Satan.* Hæc sane omnia vera & bona sunt, & animi demissionem atque humilitatem docent, ad diuina capessenda necessariam: de quo argumento in festo S. Mathiæ Apostoli in Promptuario Catholico multa deprompsimus. Sed verba Christi multo plus dicunt, & non solum reuerentiam quandam erga Deum aut studium obsequendi Deo significant, quo quis videlicet paratus sit ea credere quæ Deus dicit (de hoc enim solo obsequendi studio loquitur Calvinus, quum illud animo præfracto & indocili opponat) sed præterea studium ac voluntatem faciendi mandata Dei, id est, vitam ab omni crimine & affectu peccati putam, quod nec vno verbo attingit Calvinus, ne bonorum operum iustitiam aut sanctitatem hoc loco commendari lector aduerteret. Atqui studium aut voluntas faciendi voluntatem Dei Patris (sicut Christus hic loquitur) non est tantum studium obsequendi Deo, ut dociles simus verbi eius auditores, sed est præterea studium obsequendi

Deo.

Lib. 4. ca.
43. in 10a.
Hom. 48.
in Ioh.

Ioh. 15.

Calvinus
verba Chri-
sti corrup-
sit.

Deo, vt obedientes & assidui simus legis eius factores. Lex enim Domini, voluntas eius : & factor legis Dei voluntatem Dei facit, vt supra ex Scripturis docuimus. In hoc ergo lectorem fallit Calvinus, Christi que verbis abutitur, quod quæ Christus de studio & voluntate faciendi mandata Dei dixit, vt simus legis factores, hoc ille de studio & voluntate obsequendi verbo Dei exponit, vt simus dociles eius auditores.

*Ad Matt.
ap. 12.
vers. 50.*

Porro Christum de illa voluntate faciendi voluntatem Dei loquutum fuisse quæ ad legis diuinæ executionem pertinet, verba statim subsequenter demonstrant. Volens enim ostendere Iudæos talem voluntatem non habuisse, ideoque de doctrina eius cognoscere non potuisse, ait illis : *Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem? Quid me queritis interficere?* id est, minimè mirum est si tantum abest vt doctrinam meam ex Deo esse cognoscatis, vt etiam me interficere queratis, quum nemo vestrum legem seruet quam Deus per Moysen dedit, quum faciendi voluntatem Dei Patris, qui hanc legem dedit, nulla in vobis voluntas, nulla cura sit. Sed si vera in vobis pietas esset, vera voluntas obsequendi Deo, & custodiendi legem eius, nec me vlllo odio prosequeremini, & meam doctrinam ex Deo esse facile cognosceretis. *Si quis enim Dei cultor est, & voluntatem eius facit* (dixit ille cæcus à Christo tam animo quàm corpore illuminatus) *hunc Deus exaudit: eius cor suo Spiritu illuminat. In animam quippe maleuolam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Quum igitur doctrinam Christi ex Deo esse cognoscere Iudæi non poterant, nec potest quisquam absque fide, quæ Spiritus sancti donum est, Spiritus autem sanctus hypocrisis fugiat, & legis diuinæ transgressores (illi enim corpora habent subdita peccatis) inhabitare (hoc est, sua luce & gratia donare) recuset; accommodatissimè Iudæos Christus ad mandatorum Dei piam ac sedulam obseruationem reuocauit, vt cognoscerent de doctrina eius quòd ex Deo esset. Voluntas quippe faciendi voluntatem Dei, studiosa ac sedula est mandatorum Dei executio. Quum Christus diceret, *Cibus meus est vt faciam voluntatem eius qui misit me, vt persciam opus eius*, nonne ardentissimum desiderium ac voluntatem suam expressit opere exequendi munus sibi iniunctum docendi, prædicandi, operibus beneficis & admirandis homines ad fidem alliciendi? An timorem tantum ac reuerentiam vel animum docilem his verbis expressit Christus? Clarum & perspicuum est, de illa Dei*

Ioan. 9.

Sap. 1.

*Voluntas
obsequendi
mandatis
Dei est via
ad obedien-
dum.*

Ioan. 4.

voluntate faciendâ loquutum illum esse, quæ ad mandatorum, quæ à Patre accepit, executionem spectabat. Idem cum hoc loco sensisse dubitandum non est, vt & noster quoque cibus atque ardens desiderium sit, faciendi voluntatem Dei, & obsequendi mandatis eius, vt sic idonei simus ad cognoscendam & amplectendam doctrinam eius. A vero igitur sensu longè lectorem suum abduxit Calvinus, ne observationis mandatorum Dei aliqua hîc doctrina tradi videretur.

*Calvinus
seductor
studiosus.*

Calvinus vbi in genere lectorem ita iudificasset, ad quasdam facti species descendit, vt iudificet magis. *Hinc* (inquit) *apparet quàm perperam & stultè hodie permulti, dum errandi periculum metuunt, hac trepidatione sese impediunt ab omni discendi studio, quasi frustra dictum sit: Pulsate, & aperietur vobis.* Attripit occasionem impostor, vbi nulla planè datur, vt tanquam verus seductor & studiosus ab auita & recepta multorum seculorum fide Christiana homines Christianos abducat, & vt post stabilitam annis 1500. doctrinam, post tot Martyrum confessiones, post tot Concilia, tot Patres, tot Pastores & Doctores, iterum adhuc quæramus, quid credendum sit: vt errandi periculum non metuamus; quia semper pulsandum, semper quærendum, nunquam in certa aliqua & firmata fide acquiescendum est. Si enim in vlla tandem fide acquiescendum, cur non post tot secula fidei Christianæ toto orbe propagatæ, cur non post tot Concilia, tot & tam illustres Ecclesiæ Doctores, tot Episcopos, tot Pastores? Aut si nunc de nouo quærendum & pulsandum est, auctore Caluino, vbi iam cum eo ad tempus insaniuimus, an etiam eo sublato, adhuc cum alio nescio quo nouo hæresiarcha insanire oportebit? Iterum pulsare & quærare debemus, quia frustra dictum non est, *Pulsate, & aperietur vobis?* Ecce post Caluinum docent nûc in Polonia & Transsilvania noui Magistri, nec Christum esse verum Deum, nec in tribus personis vnum Deum esse adorandum, adeoque Trinitatis vocabulum esse explodendum. An omni erroris metu abiecto (vt hîc suadet Calvinus) iterum ab his Magistris nouis, discemus quæ sit rei veritas, quia frustra dictum non sit, *Pulsate, & aperietur vobis?*

*Caluina-
na doctrina
præcipitium.*

Ad hoc omnis erroris præcipitium, ad hanc dementiam & furorem, Caluini consilium nos impellit, vt quia Iudæis incubuit cognoscere de doctrina Christi, vtrùm ex Deo esset, an à seipso loqueretur, nobis quoque perpetuò incubat omnibus nouis Magistris aurè præbere, & ab illis discere vtrùm eorum doctrinâ ex Deo sit, an à seipsis loquantur. Caterùm

vnium nos Christum nouimus, nō plures. Ille vnus Magister noster est: alios non quærimus. Vnam legis translationem nouimus; vnium redemptorem, qui omnia instauraret, non frequentes translationes, non aliam vllam religionis instauratiōem. Quam ille semel doctrinam tradidit, illam aliis postea docendam concedidit, cum quibus vsque ad consummationem seculi omnibus diebus se affuturum promisit: illam Ecclesiam condidit, contra quam porta inferi non praualerent. Illos Pastores & Doctores dedit, qui sanctos eius consummarent, & corpus edificarent, donec occurramus omnes in agnitiōem filij Dei. Denique illos ad docendum misit, quibus Spiritum Sanctum daret, qui eos doceret omnem veritatem in æternum. Amplius igitur quærendi aut pulsandi, aut ab aliis quàm quos ipse ab exordio misit, quique is ad nostra vsque tempora perpetuò successerunt, discendi locum non reliquit. Quum noui exurgunt Magistri, qui præter acceptam à Pastoribus nostris fidem, nouam doctrinam adferunt, quos hereticos, & lupos, & latrones, & falsos Prophetas, Scriptura vocat, didicimus à Christo non ab illis discere, nec ad eorum forspulsare, (vt lupo ipse Calvinus hîc hortatur) sed ab illis fugere, eorum voces non audire, ac neque illis Aue dicere. Postremò quomodo & quatenus in causa religionis quærendum nobis est, infra suo loco vberius dicemus.

Sed addit adhuc Calvinus quædam, quibus impium suum ac derestabile consilium lectori reddat probabile. Nos potius (inquit) si Deo toti in obsequium sumus addicti, spiritum discretionis ab eo nobis datum iri non dubitemus, qui perpetuus sit dux ac director. Si alijs fluctuari libet, sentient tandem quàm vani sint ignorantia sua pretextus. Suadet seductor impius, vt adhuc pulsemus & quæramus quid in nouis de fide controuersis (tales enim postea recenset de orando pro defunctis, & de purgatorio) sentiendum sit, quia in hac inquisitione spiritum discretionis Deus nobis dabit. Atqui populus fidelis, quem hîc alloquitur Calvinus, non spiritum discretionis à Deo expectare, sed spiritum obedientiæ & simplicitatis fidei à Deo precari debet. Spiritus discretionis, quo possunt probari spiritus an ex Deo sint, non penes totum populum, sed penes illos est, quos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam suam. Populi fidelis est, Præpositis suis obedire & subiacere, vt Paulus docet; ac diligentissimè cauere, ne sicut serpens seduxit Euam astutia sua, ita corrumpantur sensus illorum, & excidant à simplicitate, qua est in Christo. De-

Matth. 13.
Heb. 7.
Ephes. 1.

Matth. 28.

Matth. 16.
Ephes. 4.

Ioan. 14.

Quærenda
amplius
noua fides
non est.

Tit. 3.
Ioan. 10.
2. Epist.
Ioan.

Ad cap.
Ioan. 8.
ver. 21.

Spiritus o-
bedientiæ,
non discre-
tionis, po-
pulo fideli
necessa-
rius.

Act. 20.
Heb. 13.
2. Cor. 11.

Ephes. 4. *ait Christus Pastores & Doctores ad consummationem sanctorum, id est, ad corroborandos fideles, ne circumferantur omnivento doctrina. Illos ergo audire, illis adherere, illis obedire debent, ut ab omni errore immunes ac liberi sint, non sibi ipsis spiritum discretionis venditare, aut illum à Deo expectare. Vox hæc Caluini, Pulsate & quarite intrepidè, spiritum enim discretionis dabit Deus, est illa Diaboli vox: Mitte te deorsum: Angelis enim suis mandavit de te, ut non offendas ad lapidem pedem tuum. Mittit se deorsum qui Catholicæ Ecclesiæ Magistris, quos Christus posuit, derelictis, ad novos sectarios, quos Satanas mittit, ab illis veritatem exploraturus transit. Quare quod adhuc subiungit Calvinus, Diabolicæ tentationis peregregia confirmatio est. Certè (inquit) quicumque hodie hesitant, & dubitationem suam fouere malunt, quàm legendo vel audiendo seriò inquirere ubinam sit Dei veritas, eos in generalibus principijs securè Deum contemnere videmus. Dicit hic se pro mortuis precari, quia ingenio suo diffusus, quod de purgatorio commenti sunt peruersi homines, damnare non audeat. Ille negabit sibi tantum esse acuminis, ut inter puram Christi doctrinam & adulterina hominum figmenta distinguere possit. Interim & ille scortari, & hic furari ac peierare non cessabit. Hæc Calvinus. Homo impius ad blasphemandos Sanctos natus, scortari omnes, fures ac periuros esse debacchatur, quotquot in fide fundati ac radicati, nouis doctrinæ ventis circumferri nolunt, nec ad cuiusvis hæretici strepitum commoueri, siue ille Lutherus sit, siue illi ex diametro contrarius Calvinus, siue ab utroque hostiliter dissentiens Rotmannus Anabaptistarum Pater, siue hos omnes ex alto despiciens Gregorius Paulus Tritheitarum dux, aut Franciscus David sanctissimæ Trinitatis oppugnator ter impius. Vult quippe Calvinus Epicureos omnes & omnium flagitiorum mancipia esse, scortatores, fures, periuros, qui contenti antiqua maiorum suorum, totiusque Ecclesiæ Christianæ per tot secula continuata fide, doctrina, religione, in nouas istas sectas inquirere nolunt, nec ab oratione pro defunctis in Christo fidelibus cessare. Securè Deum contemnunt, Caluini iudicio, qui legendo vel audiendo seriò non inquirunt ubinam sit Dei veritas. Quasi videlicet hodie primùm Christus mundo innotesceret, quasi hodie Dei veritas patehri cœperit, quasi nulla hactenus in Christum fides, nulla veritatis doctrina, nulla religio Deo grata, apud homines toto orbe Christianos agnita aut credita*

*Caluini
vox, dia-
boli vox.
Matth. 4.*

*Calvinus
ad blas-
phemandos
Sanctos
natus.*

fuerit. Atqui si scripturis credimus, non Caluino; ille Deum securè contemnit, ille vt ethnicus ac publicanus quasi Deum ignorans uiuit, qui Ecclesiam non audit; ille Christum spernit, & pro ludibrio habet, qui Præpositos Ecclesiarum à Christo datos spernit. Ille sermonem Christi non seruat, sed despicit, qui sermonem eorum, quos ille misit, seruare negligit. Quo constituto, nouis hæresiarchis aut hæresum Magistris (qui contra stabilitam in Ecclesia Dei fidem noua garrunt, spargunt, obtrudunt) autem qui præbet, qui an apud illos sic Dei veritas inquitit, expressum Dei mandatum securè cõtemnit; Ordinem à Christo institutum superbus violat; certis & euisentibus Christi promissionibus incredulus contra licit; Christi veritatem ac Dei prouidentiam in dubium reuocat; fidem ac salutem suam certo discrimini exponit; hæsitans in fide fidelis, esse desinit; toti Christianorum societati iniuriam facit; onicula gregis Christi amplius non est; ex hædis in sinistra collocandis est; reprobus & subtractionis filius in certam perditionem factus est. Hic Caluiniani consilij finis & exitus est. Hoc ille venenum ex sanctissimis Christi verbis suxit: *Qui voluerit facere voluntatem Dei, cognoscat de doctrina, utrum ex Deo sit.*

Matth. 18.

Luc. 10.

Ioan. 15.

Caluiniani
præcipitij
exitus.

Nõnne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem?

PUlchram hinc sibi occasionem nactus esse visus Caluinus est, in Catholicam Ecclesiam eiusque præcipua membra excurrendi, idem sibi in Ecclesiam licete existimans quod Christo in Pharisæos ac Iudæos licuit. *Qui hodie (inquit) sunt acerrimi Euangelij hostes, & maxime strenui vindices Papatu, nihil habent ad fauorem magis plausibile quàm quòd zeli ardore incitantur. Caterùm si excutiatur eorum vita, omnes turpibus flagitijs operi palàm Deo illudunt. Quis in Papa curia crassum epicurismum regnare nescit? An ita verecundè fœditatem tegunt Episcopi & Abbates, vt aliqua religionis species appareat? Monachi etiam & similes rabula nõnne sic ad omnem nequitiam, ad libidinem, auaritiam, & quæuis scelerum monstra, proiecti sunt, vt vita eorum Dei prorsus esse oblitus clamitet? Nunc verò quum nihil eos pudeat Dei & Ecclesia zelo se venditare, an non hoc Christi responso frõnandi sunt? Hæc impurus ille. Sed ad hanc fœdam & impuro Caluinii pectore dignam accusationem nihil aliud respondere citur.*

Catholici
cleri accu-
satio rej-

opus erit quàm quod Christus hypocritis adulteram mulierem accusantibus respondit: *Qui vestrum sine peccato est, primus in eam lapidem mittat.* Quid enim vel olim ipso Caluino fœdus (de quo infra plura dicemus) vel toto Calvinistarum grege, eorum imprimis qui Calvinismi maximè strenui vindices ac ministri sunt, si eorum excutatur vita, rapacius, crudelius, aut etiam impurius inuenietur? Vnus Beza turpissimis flagitiis opertus, adeò parum verecundè suam fœditatem contexit, vt de ea etiam pudendò carmine gloriari, Deoque ac toti mundo palàm illudere voluerit, vt proximo mox capite ostēdetur. Quare (quod partim suprà in Matthæo ostensum est, moxque infra ostendetur) de te, Caluine, tuisque hæc fabula narratur mutato nomine. Deinde si Romanæ Ecclesiæ peccata Caluinum & suos scandalizarunt, tria aduertere debere. Primum, sicuti Christus non obstante Scribarum & Phariseorum varia nequitia, iubet tamen populum *seruare & facere ea quæ dicunt, quia supra cathedram Moysi sederunt,* sic à Romanæ Ecclesiæ obedientia, quæ Christi & Petri cathedram tenet, recedere eos non oportebat, sed ea quæ dicunt facere & seruare Alterum, non hæc esse peccata totius orbis, totius Ecclesiæ Catholicæ seu vera seu falsa, sed paucorum in ea, ideòque totius orbis Christiani communionem propterea deserendam non fuisse: sicuti olim Donatistis ex simili calumnia & scandalo schisma facientibus sapienter respondit Augustinus. Tertium, nec Christum esse Caluinum, qui tantum sibi arrogare debeat vt iudicet, arguat, & demnet, sicuti Christus potuit; nec Iudæos aut Phariseos, sed Christianos & Catholicæ Christi Ecclesiæ Præpositos esse, quos redarguit homo ipse hæreticus, & variis flagitiis contaminatus. Postremò, illud imprimis tam Caluinum quàm omnes horum temporum hæreticos attendere oportuit, minimè omnium idoneos illos esse aut peccati accusatores, aut virtutis ac pietatis vindices, quorum perpetua doctrina est, legem mandatorum à nemine seruari posse, bona opera non esse ad salutē necessaria, homines ex sese impios & impuros, ex sola Christi iustitia & sanctitate illis per fidem impurata coram Deo iustificari, pro iustis ac sanctis haberi, denique iustissimū quemque desiderij quidem & studium bene agendi habere, sed huius desiderij effectum non consequi, quod impiū Caluinum in ipsa persona Pauli docere, alio loco docuimus. Si enim nec ad salutem aut iustitiam necessaria, nec cuiquam possibile sunt Dei mandata & opera bona, qua tandem con-

sequen

*Infra cap.
8. ver. 7.*

Matt. 24.

*De unit.
Ecclesiæ
cap. 1. &
Epist. 163.*

*Caluinista
peccati ar.
guere ne.
minem
possunt,
qui pecca.
ti regnum
arrexerunt.*

*In cap. 7.
ad Rom
ver. 22.*

sequentia vel id à Catholicis flagitant quod fieri nequit, vel ob id Catholicam Ecclesiam taxant, lacerant, refugiūt, quod ad salutem ac iusticiam nihil pertinet? Quæ in huius generis criminatione apud Caluinum & alios frequentissima, tam Caluino quàm aliis, semel & sufficienter responsa sunt.

38. *Qui credit in me, flumina fluent de ventre eius
aqua viva.*

V Afî è hunc locum tractauit Caluinus, & quum verbo dicat, *proprie hic agi de virtute Spiritus qua renascimur in Christo, ac efficiamur noua creatura*, eorum sententiam reiiciens qui non nisi de donis visibilibus Christum hîc agere volunt, re tamen ipsa omnem illam virtutem Spiritus qua renascimur in Christo, & nouæ creaturæ in Christo efficiamur, penitus excludit arque subuertit; totamque hanc Spiritus virtutem in sola fide constituit. *Sensus (inquit) est, Spiritum instar viui & semper irrigui fontis esse in credentibus, ut Paulus ad Rom. 8. 10. testatur ipsum in nobis esse vitam, quamuis adhuc in reliquijs peccati mortis materiã circumferamus. Et sanè quum quisq; pro fidei suæ mensura donorum Spiritus compos fiat, non potest in hac vita solida eorum plenitudo constare. Verùm sic fideles in fide proficiendo subinde ad noua Spiritus incrementa aspirant, ut primitiæ, quibus imbuti sunt, illis ad vitam perpetuitatem sufficiant. Sed hinc etiã monemur quàm exiguus sit fidei nostræ modulus, quum vix guttatim in nobis distillent Spiritus gratia, qua instar fluminum profluerent, si iustū Christo locum daremus, hoc est, si fides nos eius capaces redderet. Et paulò post totam locum concludens: Quod nos in terra inopes & ieiuni ac propè inanes spiritualiū bonorū iacemus, tarditati & angustia fidei nostræ imputandū est. Hæc Caluinus, totã Christi doctrinã funditus subuertens. Christus flumina aqua viva de ventre credentiã fluentia promittit. Caluinus non nisi guttatim in nobis Spiritus gratiã distillare, inopes ac ieiunos ac propè inanes bonorū spiritualium iacere affirmat. Christus de regeneratione in nouam creaturã loquitur. Caluinus reliquias peccati veluti mortis materiã adhuc nos circumferre affirmat. Christus denique de Spiritu gratiæ quẽ credẽtes accepturi erant, interprete Euãgelista, loquebatur. Caluinus de fidei mensura vel angustia potius & tarditate illum loqui exponit. Denique sensus Caluini est, totam hanc Spiritus Sancti virtutem*

*Christi doctrinam
Caluinus
funditus
euertit.*

ac gratiam nihil aliud esse quàm quòd Christum omnibus Spiritus donis refertum fide apprehendimus: (ait enim hoc loco, *in Christum nos credere dum eum amplectimur omnibus Spiritus donis refertum*;) vt habere Spiritum Sanctum, eiusque dona nihil sit aliud quàm fide Christum apprehendere, qui Spiritum habet, eiusque dona. Quam eius sententiam rectè hic & obscurè insinuatam supra in lucem eduximus. Cæterum noua in Christo creatura, quæ per Spiritus Sancti dona efficitur, vt ipse hic Calvinus agnoscit, non est fides Christum cum suis donis apprehendens, sed est (vt Paulus definiuit) *fides per dilectionem operans*: quæ vt per dilectionem operetur, accipitur à credente Spiritus Sanctus, non pro mensura fidei, sed *pro mensura donationis Christi*, qui tribuit vnicuique prout vult & quantum vult.

Gal. 5.

Ephes. 4.

Gratiarum
Dei flumina.

Matth. 5.

Tit. 2.
Rom. 5.

Cap. 41.

Cap. 44.

Cap. 40.

Luc. 3.

Esa. 44.

2. Cor. 10.

Ephes. 3.

19.

Gal. 5.

Sane quum de illa virtute Spiritus Sancti Christus loquatur, non quæ momentanea esset, & ad prima fidei rudimenta commendanda daretur, sed quæ credentibus in eum perpetuò largienda esset, & quam filij Dei sitiunt. (præmiserat enim, *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat*) sitiunt autem filij Dei nò dona illa miraculosa, sed iustitiam & sanctitatem, iuxta illud Christi, *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam*, extra omnem controuersiam esse deber, *per flumina aqua viua* hoc loco illa gratiarum Dei fluenta intelligi, quæ in Christum credentes & in eo regenerati, ad vitæ nouitatem induendam, largiter & copiosè accipiunt, *effuso Spiritu S. abundè, & per abundantiam gratia & donationis & iustitia*, vt Paulus loquitur. Hæc flumina aquæ viuæ designauit Esaias, quum diceret. *Aperiam in supremis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam desertum in stagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum*. Et iterum. *Effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam: effundam Spiritum meum super semem tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam*. Sunt promissiones gratiarum, quas Spiritus Sanctus credentibus in Messiam & nouo populo infundet. De quibus iterum idem Propheta dixit. *Omnis vallis implebitur*: quia sicut ad valles & loca depressiora copie sissimè aqua defluit, sic *in humiles & trementes sermones Dei*, quales credentes sunt, *captiuantes intellectum in obsequium Christi*, Spiritus Dei largissimè sua dona infundit, ita vt (iuxta Pauli verbum) *impleantur in omnem plenitudinem Dei*. Quam plenitudinem per fructus Spiritus Sancti in credentibus idem Paulus aliqua ex parte commemorat. *Fructus* (inquit) *Spiritus est, charitas* (quasi omnium aliorum radix) *gaudium,*

*dium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Hæc sunt flumina aquæ viæ, dona & gratiæ Spiritus Sancti, fluentia de ventre credentium, id est, cor & interiora hominis replentia, indeque ad opera cuiusque virtutis promanantia. Atqui si hæreticis horum temporum credimus, qui omnia opera hominis regenerari & credentis in Christum, immunda & peccato contaminata esse affirmant, adeoque peccatis magis quam virtutibus accensenda (vt impius Calvinus scribit) profectò de ventre credentium in Christum non fluunt flumina aquæ viæ, sed flumina aquæ foetidæ, obscenæ, & turbidæ: & manet super eos maledictio Prophetica. *Quid tibi vis in via Aegypti, vt bibas aquam turbidam? & quid tibi cum via Assyriorum, vt bibas aquam fluminis? Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te.* Volunt isti hæretici, homines iam in Christum credentes, & ex Spiritu Dei regeneratos, quasi in captiuitate adhuc vel Aegyptiaca vel Babylonica, id est, in Diaboli captiuitate adhuc constitutos, seruos peccati esse, bona opera Deo placentia operari, & legem Dei seruare non posse, nihil nisi peccare. Sic de aqua turbida regeneratos bibere, & in illa semper impietate eos manere volunt, de qua Propheta eodem loco dicit, *Me dereliquerunt fontem aquæ viæ.* Sic mendacem hîc faciunt Christum disertè promittentem, quòd qui credit in eum, flumina de ventre eius fluent aqua viæ.*

Chrysost.
hom. 50. in
Ioan.

Institut.
lib. 3. c. 17.
num. 3.

Jerem. 2.

Sed & aliam quoque de hac Spiritus Sancti in credentibus efficacia promissionem propheticam, huic Euangelio conformem, mendaces isti Magistri planè mendacè constituunt. Dicit enim alius Propheta. *Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum: & spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiat, & operemini.* Dicant hodie hæretici: Homo regeneratus non potest in præceptis Dei ambulare, nec iudicia Dei custodire, nec legem mandatorum seruare, quia impossibilis illa est, ideoque nullis operibus bonis aut ex vlla obseruantia legis possumus Deo placere, aut coram illo iusti censerî: sed sola Christi iustitia, obedientia, sanctitate nobis impurata, & iustificamur & sanctificamur coram illo. At contra dicit Scriptura, *Spiritum Dei in medio credentium facere vt in præceptis Dei ambulent, & iudicia eius custodiant.* Dicit scriptura, *Dabo vobis cor nouum.* Dicunt hæretici, *Manet cor vetus.* Dicit Scriptura, *Ponam spiritum nouum*

Ezech. 36.

Scripturis
hæretici
contradi-
cunt.

Prover. 5.

*Institut.
lib. 3. c. 11.
num. 12.*

in medio vestri. & iterum, Bibe fluentia de medio putei tui. Dicunt hæretici, Spiritus novus in medio nostri, id est, nobis inhærens nullus est, sed in solo Christo est, in quo plenitudinem sui Spiritus Pater deposuit, ait Calvinus, nobis imputandam. Dicit Scriptura, Auferam cor lapideum, & dabo cor carneum. Dicunt hæretici, Manet adhuc cor lapideum, ad omne opus bonum durum, & ineptum, & inflexibile. Quid est enim cor vetus, & cor lapideum, nisi veteris hominis immunditia, & ad omne pietatis opus duritia, difficultas, impossibilitas? Hanc adhuc ponunt in regeneratis hæretici, quoties legem Dei ab illis servari non posse, neque vnquam ab aliquo servatam fuisse impiè dogmatizant. Negant igitur profus hæc flumina aquæ viuæ, hæc dona gratiarum Dei, de ventre credentium fluentia, id est, cordibus credentium inhærentia, verèque infusa & permanentia. Negant cor nouum, spiritum nouum, spiritum facientem in præceptis Dei ambulare.

48. *Nunquid ex Principibus aliquis aut Pharisæis credidit in eum?*

*Caluini
axioma
quo Syna-
goga Ec-
clesiam,
Pharisæis
Episcopos
comparat,
refellitur.*

AXioma est apud Calvinum, quicquid contra Christum aut Euangelicæ veritatis prædicationem Scribæ, Pharisæi, cæterique Principes sacerdotum & veteris Synagogæ Magistri, calumniando, maledicendo, persequendo, impiè ac nefariè moliti sunt, quicquid in illius temporis Synagogam, cæcitatibus, erroribus, ignorantibus, malevolentibus cadebat, quocumque tandem modo illius Synagogæ status adueniente Christo corruptus fuit, hoc totum ad Ecclesiam Christi Catholicam, eiusque Pastores, Doctores, Episcopos, Præpositos transferri debere. Hoc quidem modo quum Historiam Euangelicam passim deprauet atque peruertat, tum hoc imprimis in capite, & ad hanc sententiam. Cuius verbis antequam respondeo, hoc eius generale axioma quanta cum absurditate & impietate coniunctum sit, paucis aperiam. Stante hoc eius axioma, Calvinus nobis Christus esse debet, & eius doctrina Euangelium. Istud enim nisi admittas ac pro concessio ponas, corrumpitur funditus axioma, & tota huius disputatio extra chorum saltitat. Atqui vt nos illud admittere vellemus, contradicent nobis Lutherani omnes, opponent se Anabaptistæ, repugnabunt totis viribus Trinitarij & Ariani noui per Transiluaniam ac Poloniam. Sed & (quod his diffici

difficilius ac deterius est) quælibet noua secta , quocumque tandem tempore exoritura , idem sibi dari atque concedi postulabit: se videlicet Euāgelium prædicare ; & quotquot aliarum Ecclesiarum Præpositi illis contradicunt, Scribas & Phariseos esse , *net obijciendos esse* (vt Calvinus hîc scribit) *magnificos illos titulos, Principum, Sacerdotum, & Ecclesie.* Rursum posito hoc Caluini axioma, illud etiam vltro dari & concedi debet , vniuersam Christi Ecclesiam , quæcunque his aliquot seculis populi Christiani nomen ac fidem professa est, Christi Euangelium penitus ignorasse, donec id Caluinus suo certo modo illud reformauit , & orbi patefecit. Sed habebit res illa easdem difficultates, quibus altera suppositio laborabat. Si enim tota hæc hactenus Ecclesia Christiana per hæc quindecim secula Christum ignorauit , & qui per tot annos Ecclesiæ præfuerunt , non nisi Scribæ & Pharisei erant, quos hodie Caluini Euangelium loco & autoritate mouere, taxare, arguere , deiicere debet, sicut eos Christus meritò obiurgauit , & loco mouit , quisque hodie Euangelio Caluini se opponunt, sicut illi Christi prædicationi modis omnibus insidiati sunt ; maxima illa difficultas & dubitatio statim occurrat, an non ipse Caluinus hoc seculo cum aliis suis Ministris & Symmistris, Scribarum & Phariseorum quoque locum non teneant ; & an Euangelio necdum inuento , isti homines falsis suis fermentis Dei legem non corrumpant. Quæ enim ratio suadet, aut vnde nobis constabit, hoc potius seculo veros tandem adesse Ecclesiæ Christianæ Magistros, & puros verbi Dei præcones, quàm aliis tot retrò seculis? Cur, inquã, tot secula sub Christiano nomine Christum ignorarunt, & hodie primum hominibus Christianis Christus innotuit? Deinde cum tot hodie sectæ hoc sibi Euangelium venditent, cur vni Caluino credimus , apud illum esse Euangelium, cæteros verò sectarios omnes non secus quàm veteres Christianos, quos Papistas vocat, Scribas ac Phariseos esse Christi hostes? Sed & illud quærimus , cur non liceat purius adhuc & verius Christi Euangelium expectare , quod posteris nostris tandem affulgeat, sicuti post tot vnus fidei secula nouum in Luthero , mox aliud in Caluino, rursus aliud in Anabaptistis, & adhuc aliud in Trinitanis nostro tempore affulsit Euangelium? Quomodo tandem certum & exploratum tenemus, non esse qui hodie se nouos Magistros de prædicant , periude Scribas ac Phariseos & Euangelij hostes, quàm tot seculorum Episcopi , Pastores, & Doctores (si Cal-

uino credimus) Euangelij hostes, Scribæ ac Pharifæi fuerunt? Ad Scripturas & verbum Dei scriptum quod attinet, tam tot seculorum Episcopi & Pastores, quàm cuiuslibet hodie alterius sectæ Ministri, non secus illis vtuntur, nituntur, & credunt, aut saltem credere & obsequi sese profitentur, quàm Caluinus cum suis. Cur ergo tandem hoc vnus sibi arrogat Caluinus, omnes qui ei contradicunt, Euangelij hostes, Scribas ac Pharifæos esse? Quis non videt dementissimum hominem in maximis argumentis nil nisi principium petere, & id semper sumere, quod nec ille vnquam probabit, nec quicquam ei nisi insanus conceder?

Caluinus in maximis argumentis non nisi principiu petit. Ecclesiastica auctoritatis reiectio quot absurda secum trahit.

Absurda sunt hæc. Sed quod sequitur, omnem impietatem superat. Vt Caluini axioma consistat, dare Caluino debes, nihil esse inter Synagogam Iudæorum & Ecclesiam Christi, quoad vtriusque firmitatem, discriminis: Non esse in melioribus repromissionibus hanc sancitam quàm illam: Non secus Ecclesiam Christi excidere posse, quàm excidit Synagoga. Quod vbi dederis, pariter etiam dare debes figuram à veritate, umbram à luce, Moysen à Christo nihil differre: æquè instabilem ac mutabilem vtrumque esse: vt sicut transit figura ad veritatem, & umbris rerum lux Euangelica successit, & translato sacerdotio ac lege Moyses Christo locum dedit; sic iterum veritas per Christum facta, & per eos, quos misit, toto orbe prædicata meliori ac certiori veritati, lux Euangelica quam ille attulit, nouæ luci quam alij allaturi essent, denique Christi stabilita in terris Ecclesia, totaque hierarchia, nouo Caluini ministerio atque Euangelio cedant. Postremo vt sicut post Moysen & Synagogam ille & amplius annis in via Palestina dorentem Christus Christi que Ecclesia nouum statum fecit; sic post Christum Christi que Ecclesiam 1500. annis & amplius toto orbe propagatam, Caluinus & Caluianum ministerium nouum ac tertium in orbe statum constituit. Imò (quod obseruatione dignum est) dare & concedere Caluino oportet, Synagogam Mosaicam veram Dei notitiam & cultum cetero stabilius, purius, ac felicitius tenuisse, quàm Christi Ecclesia hactenus tenuit, quâdo illa Synagoga vtriusque veniente Christo scedè admodum corrupta ac deprauata esset, tamen ante eius aduentum multis seculis (tametsi per varias eclipses & defectus) veram Deum vero & legitimo cultu coluit; Christi autem Ecclesia (si Caluino credimus) non solum veniente Caluino, Propheta nouo, eiusque affulgente Euangelio, Scribas & Pharifæos Euangelij hostes habue

habuerit, sed etiam à tot retro seculis non nisi per Scribas & Phariseos veritatis aduersarios administrata fuerit. Quæ enim hodie Caluino in Papistis displicent, eadem illi in tota seculorum Catholica Ecclesia, & in veterum Patrum receptissimis dogmatibus displicent. An hoc igitur Caluini axiomate indignius aliquid cogitari potest? Cæterùm ampliores esse Ecclesiæ Christi promissiones, quoad eius in fide firmitatē ac stabilitatem perpetuam, quàm Synagogæ Iudæorum fuerunt; ipsius quoque Synagogæ statum in alium mutari debuisse, vnde & eius Præpositi ac Magistri errare in fide potuerint, vt *facta cecitate in Israël plenitudo Gentium intraret; & malis malè pereuntibus, vinea eorum alijs locetur agricolis*, idque iuxta veteres de illo populo prophétias; denique transfari illius sacerdotij ac legis, quàm illustria signa, argumenta, varicinia præcesserint; postremò Ecclesiæ Christianæ statum sic esse perpetuum ac stabilem tam in populo quàm in Pastoribus ac Præpositis, vt nec illi alius Dei populus, alij Pastores ac Præpositi vnquam succedere debeant, nec à restâ fide excidere, aut aliquando deficere, aut etiã obscura atque incognita hæc Christi Ecclesia esse potuerit, alio in loco contra Caluini & aliorum non absurdas modò, sed & impias cavillationes accuratè demonstrauimus. Ex quibus omnibus hoc Caluini axioma, quo perinde disputat ac si iam primum Christiana exoriretur Ecclesia, & vel nullum hactenus in orbe Christi Euāgelium propagatum fuerit, vel Christi Euāgelio extincto aliud Caluino proprium propagari debeat, quàm sit detestabile & impiū, cui libet lectori cōstare potest.

Nunc quæ sit eius hoc loco disputatio, expendamus. *Videtur* (inquit) *hæc Iudæorum obiectio, Nunquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariseis? aliquid habere coloris, Nisi enim Præfectis & Ecclesiæ rectoribus sua constet auctoritas, nihil vnquam ritè poterit constitui nec status etiam bene compositus poterit diuturnus esse. Scimus quanta sit vulgi intemperies. Quare deformis confusio mox sequatur necesse est, ubi cuique quod libet licet. Est igitur ad moderandum Ecclesiæ ordinem necessarium frenum, eorum, qui præsumunt, auctoritas. Atque ita Dei lege cautum erat, vt si qua excitata esset questio vel controuersia, eius cognitio penes summum Sacerdotem foret.* Hæc obiectio & hæc tota ratio bona ac firma est: sed à Iudæis istis prolata idè non iam erat bona aut firma, quia hæc Principum & Phariseorum cæcitas in reprobando lapide angulari, Christo, singulariter fuit à Prophetis prædicta: à

1.

2.

Rom. 11.
Matt. 25.

3.

4.

In Princip.
fid. doctri.
lib. 2. c. 12.
& 13.
Lib. 5. cap.
15. & 16.

Præposito-
rum Eccle-
siæ necessa-
ria aucto-
ritas.

Hierem. 4. Hieremia, *In illa die peribit cor Regis & cor Principum, & ob-*
Ezech. 7. *supescent Sacerdotes: ab Ezechiele, Lex peribit à Sacerdote, &*
Mich. 3. *consilium à Senioribus: à Michæa, Nox vobis pro visione erit, &*
renebra pro diuinatione: transferendi quoque sacerdotij le-
galis, & intraturæ plenitudinis Gentium, consequens quod-
dam ex hypothesi necessarium erat. In huiusmodi ergo cer-
tissimè excæcandis Synagogæ Principibus, & Christo venien-
te excæcandis, illa obiectio & ratio de necessaria Præposito-
rum Ecclesiæ autoritate, ad punctum temporis cessauit. In
Aff. 20. *Ecclesia Christi sanguine acquisita, ad vltimum terræ propa-*
Aff. 1. *ganda, cum qua vsque ad consummationē seculi omnibus die-*
Matt. 18. *bus se affuturum promisit, contra quam porta inferi non pra-*
Matt. 16. *ualebunt, vt nulla sacerdotij translatio expectatur, nec vlla*
futura cæcitas prædicitur, sic illa ratio de necessaria Præposi-
torum Ecclesiæ autoritate nunquam cessare, perpetuò vi-
gere debet. Hæc igitur causa est, cur in ore Iudæorum illo
tunc tempore hæc ratio & obiectio firma non erat, nunc au-
tem in ore Ecclesiæ Christi firma ac valida semper esse debet.
At aliam causam comminiscitur Caluinus, vt sophistam agēs
lectori imperito illudat.

Sed (inquit) in eo peccant isti, quòd summum ius sibi arro-
gantes Deo subesse nolunt. Detulit quidem Deus summo Sacer-
doti iudicium: sed non nisi ex lege sua pronunciare eum voluit.
Quicquid ergo autoritatis habet Pastores, sub Dei verbo sub-
sedit, vt omnibus in ordinem coactis, à summo vsque ad infi-
imum solus Deus emineat. Si Pastores officio suo probe & sincerè
fungantur, autoritatem sibi vendicant hæc erit sancta & legi-
tima gloriatio. Sed vbi absque Dei verbo nuda hominum au-
thoritas effertur, euanida est ac futilis iactantia. Sape autem
contingit impios in Ecclesia dominari. Ita cauendum est ne quid
tribuatur hominibus simulatq; à verbo Dei discedunt. Hac mo-
lestia videmus Prophetas ferè omnes fuisse vexatos. Nam ad
obruendam eorum doctrinam subinde obijciabantur magnifici
illi tituli, Principum, Sacerdotum, & Ecclesiæ. Iisdem hodie ar-
mis instructi Papiستا non secus ferociunt quàm olim Christi &
Prophetarum aduersarij. Hæc ille. Tota hæc Caluini oratio,
sub imagine pietatis, non nisi rebellis ac perduellis vox est,
qui vt obedientiam Regi aut cuiilibet magistratui debitam
subterfugiat, excipit: Quicquid autoritatis habent Reges
aut magistratus, sub Dei verbo subsedit, vt omnibus in ordi-
nem coactis, à summo vsque ad infimum solus Deus emineat.
Nam vt de summo Sacerdote in veteri lege dictum est,

Exceptio-
nes hæreti-
corum, re-
belliū vo-
ces sunt.

Facies quodcumque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Do- *Deuterom-*
minus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisq; sententiam *17. 10.*
eorum; sic eodem in loco de Rege dicitur, quod describere *Verf. 18.*
sibi debet Deuteronomium legis illius in volumine, ut discat ti-
mere Dominum Deum suum, & custodire verba & caremonias
eius: & inferioribus iudicibus suis pius Rex Iosaphat dixit,
Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, sed *2. Par. 19.*
Domini. Rursum in literis Apostolicis sicut qui Ecclesiæ præ-
ficiuntur *Ministri Christi* vocantur, *tanquã legatione pro Chri-* *2. Cor. 4.*
sto fungentes; sic qui civilibus rebus præsunt, *Ministri Dei* vo- *Rom. 15.*
cantur, & potestatem à Deo accipere docentur. Sic vtraque
 potestas sub Dei verbo subsidit. In vtraque potestate sæpe
 cõtingit impios dominari. Neutri potestati aliquid tribuen-
 dum est, simulatque à Dei verbo discedunt, vel aliquid ini-
 quum Deique legibus contrarium præcipiunt. Nihilominus
 sicut in civili potestate non est cuiusvis è plebe contra Regū
 auctoritatem excipere, quia Dei potestas maior est, sed Re-
 gibus debetur obediẽtia, & eorum auctoritas facta recta Rei-
 publicæ salus est; vbi autem in tyrannos vertuntur, non pri-
 uata sed publica aliqua auctoritate, aut totius cõmunitatis,
 aut Principum regni, aut ipsius Senatus, iuxta cuiusque regni
 ac Reipublicæ leges & consuetudines in ordinem coguntur:
 ita omnino in Ecclesiæ Præfectis ac Præpositis, non est huius
 aut illius hominis priuati, seu de plebe, seu de clero contra
 Præpositorum auctoritatem excipere (vt hîc vnus è plebe
 Calvinus facit) quia sub Dei verbo subsidit, sed Præpositis ac
 Prælati Ecclesiæ debetur obediẽtia, & eorum auctoritas
 debite conseruata totius Ecclesiæ salus est; vbi autem Pasto-
 res aliqui in lupos vertuntur, nõ priuata cuiusvis nouelli ma-
 gistri, superbi & garruli hæretici, sed publica auctoritate vel
 proximi superioris, vel alicuius Synodi Pastorum, vel ipsius
 capitis Ecclesiæ, summique Pontificis, huiusmodi lupi à cau-
 lis abarceri, & in ordinem cogi solent ac debent. Est autem
 Ecclesiæ auctoritas hac in parte tãto firmior ac certior, quàm
 vlla civilis potestas esse potest, quanto hæc certius & infalli-
 bilius de fidei doctrina iudicat. Habet enim hæc diuini Spi-
 ritus assistentiam specialem & infallibilem, quam illa non
 habet, nec vt habeat necesse est, quum ea tractans quæ solo ra-
 tionis lumine animaduerti & ordinari possunt, communi
 tantum Dei auxilio circa huiusmodi indigeat. Quare in vtra-
 que potestate *obedire sanè oportet Deo plusquam hominibus,* *Aët. 4.*
 & contra Dei verbum neutra potestas audienda est. Sed Ec-
 clesia

clesticæ potestati tanto certius & firmiter creditur, quanto
 mihi certius & exploratius est Deum per illam loqui. *Christus*
Luc. 10. de Ecclesiæ suæ Præpositis dicas, *Qui vos audit, me au-*
dit; qui vos spernit, me spernit: nostrum esse voluit simpliciter
 audire & obedire, nulla apposita conditione; suam esse
 voluit Ecclesiam suam perpetuo docere, cum illa esse omni-
 bus diebus usque ad consummationem seculi, illi spiritum
 veritatis dare, qui maneat cum ea in æternum, ne simplex
 obedientia nostra periculo unquam aut fraudi nobis esset.
Ephes. 4. Hæc cuiusque Christiani fides esse debet, *ne circumferatur*
vento cuiusvis doctrina. Ad hoc enim datos esse Apostolos,
 Prophetas, Pastores, Doctores, ipse nos Apostolus docuit.
 Verbo igitur Dei Ecclesia subicitur, regitur, firmatur, nec
 aliquid contra Dei verbum definiens audienda est. Sed an ex
 Dei verbo loquatur nec ne, & an hæc ab illa conditio seruetur,
 non est cuiusvis iudicare. Magis Christi promissionibus
 & providentiæ credere debemus quam iudicio nostro. Quid
 enim? Tibi, Calvinè, videtur Ecclesia contra Dei verbum do-
 cere. Idem de te Ecclesia iudicat. An non æquius est homini
 Christiano Ecclesiæ Præpositorum iudicium sequi quam
 tuum; Ecclesia promissiones à Christo accepit, tu nullas.
 Ecclesiæ auctoritas omnia hætenus Christiani orbis loca &
 tempora occupavit: tu homo novus nihil auctoritate dignum
 proferis. Profero (inquis) Dei verbum, Scripturas divinas
 adfero. Quasi verò idem Dei verbum, easdem Scripturas Ec-
 clesia Catholica non proferret. Sed hoc sanè discrimen est,
 quòd Ecclesia sicut prudens paterfamilias & fidelis profert
 de thesauro suo nova & vetera, & pro accepta divinitus non
 solum legitima potestate, sed & infallibili facultate, verbum
 veritatis rectè tractat, fideliter dispensat, sapienter admini-
 strat; hæretici verò & unus omnium maximè Calvinus, nec
 vlla accepta à Deo potestate, nec à Spiritu sancto ad hoc mu-
 nus unctus, divinas Scripturas incredibiliter depravat, ut hæc
 nostra Antidota toti orbi (favente Deo) patefaciant. Hic er-
 go Calvinè fucus de verbo Dei retinendo nihil planè impe-
 dit quo minus omnibus hæreticis necessarij illi tituli obii-
 ciantur, Pastorum, Doctorum, Sacerdotum, Ecclesiæ.

Sed conqueritur bonus Calvinus, *hac molestia Prophetas*
ferè omnes fuisse vexatos, quòd illis obijcerentur Principum &
Sacerdotum magnifici tituli, & eisdem armis instructos Papistas
non secus ferocire, quàm olim Christi & Prophetarum adversarij.
 Quid ergo Calvinè? Aut Propheta es tu, aut Christus? Pro-
 phe

phetam dices, vt alteram blasphemiam declines. Et quid facilius quam vt tu te Prophetam dicas? Atqui vt Prophetam te esse demonstres, vt vocationis tuæ signa proferas, vt Prophetarum nunc in Ecclesia Christi locum & ordinem probes, qualis in veteri populo fuit, hoc opus, hic labor est. Cuius stultissimo hæretico Prophetam se dicere facile & obuium est. Dicit idem Lutherus, dicit Zvinglius, dicit Seruetus, dicit quilibet pseudomagister. Sanè *futuros in Ecclesia Christi pseudopphetas, sicut in veteri populo fuerunt*, aperit D. Petrus affirmat: Christus quoque in Euangelio præmonuit. Atqui constituto Ecclesiæ Christianæ ordine & hierarchia, futuros denuò novos Prophetas, quales in veteri populo existerunt, nulla Scriptura docet. Deinde vt illud demus, excitari à Deo in statu noui testamenti Prophetas aliquos extra ordinem missos, nec Calvinus tamen, nec quispiam alius nostri temporis Magister nouus eorum se numero accensere potest. Veteris populi Prophetæ nouas doctrinas nunquam inuenerunt, nouum religionis cultum, nouas ceremonias nunquam introduxerunt, obedientiam Synagogæ eiusque Præfectis ac summo Sacerdoti nunquam denegarunt. Denique si librorum cuiusque argumenta attendimus, nihil aliud tractarunt, quam vt peccata illius populi post regni Dauidici diuisionem reprehenderent, vt crescentem in illis decem tribubus, posteaq; in reliquis etiam duabus idololatriam reprimerent, vt imminentem Dei ultionem, nisi resipiscerent, prædicerent; ac demum vt in tantis malis spe futurorum accenderentur, de Christi aduentu & Ecclesiæ post eum felicitate prænunciarent; Iudæorum postremo indurationem & reprobationem futuram cum Gentium vocatione coniunctam illis ad terrorem inculcarent. Hæc sunt veterum omnium Prophetarum argumenta. Nec nouam religionem protulerunt, nec Synagogæ Præfectos sedibus suis expulerunt, nec sacramenta olim tradita aboleuerunt: quæ omnia, multaque his deteriora, Calvinus perpetravit, cæterisque perpetrant noui Magistri. Stulte igitur & ridicule Calvinus Prophetarum se numero locat: ineptè & impiè Catholicæ Ecclesiæ zelum ac pietatem hæreticos persequentis, cum Synagogæ Sacerdotibus veteres Prophetas vexantibus componit. Sed de hoc prætextu verbi Dei ad Ecclesiæ auctoritatem labefactandam, quo tam frequenter Calvinus vitur, vtuntur & alij horum temporum hæretici, videre studiosus lector poterit quæ olim contra Gulielm. Whitakerum, eiusdem farinae hominem, in defensione nostra disputauimus.

2. Petr. 2.
Ad ath. 25.

Propheta-
rum veterum à nouis hodie
Magistris
latissimè
discrimen-

Quòd

Quòd igitur Principes & Pharifæi non crediderunt in Chriftum, & quòd horum autoritate turbam credentem prægrauare ipfi Pharifæi voluerint, non eft argumentum contra Præfeftorum Ecclefiæ Chriftianæ autoritatem ad finem vſque ſæculi permansuram; ſed eſt documentum ruituræ Synagogæ, totiùſque ſtatus eius, vt plenitudo Gentium intraret, Deique vinea aliis locetur agricolis. Scimus huiusmodi cauillationes Calvinianas, tametiſi abſurdiſſimas, plurimorum palato placere, & quaſi deſertæ Eccleſiæ Catholicæ fundamentum firmum à plurimis auidiſſimè retineri. Quam ob cauſam in illis ſemel refutandis aliquam hîc operam ponere volui.

IN IOANNIS CAP. VIII.

7. *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in eam lapidem mittat.*

MNES hodie hæreticorum & libri & ad populum conciones, cleri Catholici, maximèque Rom. Pontificum vitia & flagitia crepant. Quod vt alibi quauis data occasione impurus Calvinus facit, ita nec in hæc Chriſti verba temperare ſibi potuit, quin eandem ſuam impetiginem proderet. *Notanda (inquit) circumſtantia eſt qua hîc exprimitur, vt quiſque eorum honore alios antecederet, reatu ſuo citius tactum fuiſſe. Audientes quippe quod Chriſtus dixerat: Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in eam lapidem mittat, vnus poſt alium exhibant, incipiendo à ſenioribus. Atque vtinam ſaltem in Scribis noſtris, qui hodie ſuam operam ad Chriſtum oppugnandum (id eſt, ad Calvinum, & alios eius farinae homines, horum temporum hæreticos refutandos) Pape venditant (id eſt, Eccleſiæ Dei conferunt, quorum maxima pars Papam non vidit vnquam nec aliquod ab eo beneficium vel accepit, vel expectauit) tantum eſſet verrecundia. Sed aded ipſos depuduit, vt flagitijs omnibus infames eo ipſo gloriantur quòd probroſis impune eſſe liceat. Hæc hoc loco Calvinus, non S. ſcripturarum interpretem, ſed veteris comœdiæ ſcurræ agens. Eadem modeſtia in ſua Inſtitutione vſus, de toto ordine Eccleſiaſtico ſcribit. Nihil hodie fingi poteſt hoc ordine magis effrene ac diſſolutum, ac eò licentiæ prorupit, vt totus orbis vociferetur. Cæterùm qui non in vnum hominem, ſed in totum ordinem Eccleſiaſticum nõ lapidem*

*In comment.
in hunc locum.*

*Lib. 4. ca.
12. nu. 22.*

mittit, sed tam ingentia saxa deuoluit, an ille sine peccato est? an ita castus & purus vt nullo inconueniencie vitio tactus fuerit? Inspiciantur etiam adhuc hodie ciuitatis Nouiodunensis in Picardia scrinia & rerum gestarum monumenta. In illis adhuc hodie legitur, Ioannem hunc Caluicum Sodomie conuictum, ex Episcopi & Magistratus indulgentia solo stigmatate in tergo notatum, illa vrbe excessisse, ac Geneuam profugisse. Nec eius familie honestissimi viri adhuc superstites impetrare haecenus potuerunt, vt huius facti memoria, qua toti familie notam aliquam inurit, e ciuicis illis monumentis ac scriniis eraderetur. Sed & quum Geneuæ dominaretur Caluinus, (adeo sanè vt aliquot annis vrbis clauis penes illum essent,) Adonidem quoque suum eum habuisse, & oculis libidinibus operam dedisse, testatur pueri ex domo Caluini fuga, tota argentea Caluini supellectile onusti, quem nec ex fuga retrahere, nec vlllo modo inuestigare Caluinus voluit, vt in eius vita scribit Bolsecus. Vbi & alia huiusmodi commemorantur impuri huius & improbi nebulonis insignia stratagemata. Quæ vt apud illum Lector inquirat malo, quàm nostras chartas talium turpitudinum commemoratione fœdare. De Theodoro Beza qui Caluino successit, & in totum clerum Catholicum persæpe debacchatur, multos & magnos in eum lapides mittens, atque continentie redarguens, vnicum ipsius Bezæ de sua turpitudine præconium subiciam. Est quippe in tanto Hæresarcha affectatæ turpitudinis sempiternum testimonium. Sic suos amores decantauit.

Bolsecus
de vita
Caluini.

THEODORVS BEZA DE SVA IN
Candidam & Audebertum beneuolentia.

Abest Candida, Beza quid moraris?
Audebertus abest, quid hic moraris?
Tenent Parisij tuos amores,
Habent Aurelij tuos lepores,
Et tu Vezelij manere pergis,
Procul Candidulæque, amoribusque,
Et leporibus, Audebertulæque?
Immo Vezelij procul valete,
Et vale pater, & valete fratres,
Namque Vezelij carere possum,
Et carere parente, & his & illis,
At non Candidula, Audebertulæque.

*Sed utrum rogo, praferam duorum?
 Vtrum inuisere me decet priorem?
 An quenquam tibi, Candida, antepoſam?
 An quenquam anteferam tibi, Audeberte?
 Quid ſi me in geminas ſecem ipſe partes,
 Harum ut altera Candidam reuiſat,
 Currat altera verſus Audebertum?
 At eſt Candida ſic auara, noui,
 Ut totum cupiat tenere Bezam,
 Sic Beza eſt cupidus ſui Audebertus,
 Beza ut geſtiat integro poriri:
 Amplector quoque ſic & hunc, & illam,
 Ut totus cupiam videre utrumque,
 Integriſque frui integer duobus.
 Praferre attamen alterum neceſſe eſt,
 O duram nimium neceſſitatem!
 Sed poſtquam tamen alterum neceſſe eſt,
 Priores tibi deſero, Audeberte:
 Quod ſi Candida forte conqueratur,
 Quid tum? baſtolo tacebit uno.*

Quid hoc nefario homine aut impudentius aut impu-
 rius? Audet tamen & ille omnes qui cælibatum vouent, in-
 famis incontinentiæ arguere. Nullum (inquit) eſt tam horren-
 dum libidinis genus, quo non ſeſe mutuo polluant, qui voto con-
 tinentiæ ſeſe aſtrinxerūt. Hæc ille. Impuriſſimus nebulo ſuam
 ſcabiem aliis affricat, & ut alter Nero, neminem putat caſtè
 viuere, quum ſic ipſe libidinoſiſſimus: quod præter infame
 carmen ſuperius poſitum, aliis adhuc ſuis elegiis obſcœniſſi-
 mis de ſua Publâ & Candida toti orbi teſtarum voluit. Me-
 miniſſe debuit hircus ille & petulcus nequam huius Euâgelij
 documentum: *Qui veſtrum ſine peccato eſt, primus in eam la-
 pidem mittat.* Iam verò non vnus aut alterius Magiſtri, ſed
 totius in Angliâ nunc Miniſterij quanta ſit turpitudò, quàm
 foeda & procax incòtinentia, tamenſi coniugibus copuleatur
 Miniſtri (quorum còciones in veteris cleri & Curix Roma-
 næ repreheufione ut plurimùm totæ verſantur) ex eorum nu-
 mero quidam edito libello euulgauit, & vernaculo ſermone
 ſcribens, prælaturæ Anglicanæ maculatoreſe ſeſe inſcribit.
 Maximas quippe & turpiſſimas illi maculas inſpergit, factò-
 rum ſpecies ita enumerans, loca & perſonas ita deſignans,
 ut nihil eſſe illo Anticlero & coniugato Miniſterio foedi-
 us aut impurius demonſtret: ſiue incòtinentiam, ſiue auariti-
 am & rapi

Confess.
 ſid. cap. 5.
 ſelt. 39.

Eleg. 3.
 § 4.

Martin
 Marpre-
 lat.

& rapinas, siue omne immanitatis genus species.

Sed nihil à veterum hæreticorum more atque vsu Calui-
 nus & Beza faciunt, qui omnium impurissimi quum essent,
 Ecclesiæ semper Catholicæ Episcopis ac Presbyteris incõti-
 nentiæ crimen impingere modis omnibus studuerunt. Apud
 Victorem Vticensem Episcopum in Vandalicæ persecutionis
 historia legimus, Vádalos illos Arianos correptis sanctimo-
 nialibus, & factis omnibus in vnum congregatis virginibus,
 postquam eas cremantes graui suspendio atque ingentia ponde-
 ra pedibus colligantes, laminas ferri ignitas dorso, ventri, mam-
 millis, & lateribus apposuisent, inter tormēta illis dixisse, Dicite
 quomodo Episcopi vestri vobis concumbunt, & Clerici vestri.
 Quæ tamen quum fierent, nihil inuestigari potuit unde Christi
 Ecclesia macularetur. Hæc ibi Athanasius, maximus & potent-
 tissimus Arianorum Antagonista, inter cæteras calumnias
 quas illi grauissimas machinabantur Arianis, etiam hæc vna
 erat, mulierem à se muneribus corruptam, vt suam cum ipsa
 libidinem exleret: noctūque præterea inuitam compressisse.
 Sed ubi mulier coram Episcopis Arianis in iudicium vocatis hæc
 obijceret, Timotheus presbyter Alexandrinus qui astabat Atha-
 nasio (sic enim inter eos clam conuenerat) ita affatur mulie-
 rem: Egone te per vim compressi? Tum illa, An non tu, quæso,
 inquit tempusque, & locum in quo compressa fuerat, ostendit.
 Sic ridicula calumniæque plena deprehensa accusatio est. Si-
 milibus calumniis multi sancti Episcopi à veritatis hostibus
 vexati sunt, Chryostomus, Panifius, Brixius, vt in eorum
 vitis apud Surium videre est. Nec moderna defunt exempla,
 siue quæ Hugonotica rabies in Gallia patrauit, siue quæ An-
 glicana iam 30. & amplius annorum persecutio contra Ca-
 tholicos machinata est, in memoriam reuocentur.

Iam verò quid Caluino in mentem venerit vt hoc in loco
 Catholicæ Ecclesiæ theologis impingeret adulterij impuni-
 tatem, ne ipsos quidem Calvinistas aut scire aut conicere
 posse arbitror. Sic enim scribit. *Hæc Papalis est theologia, Chri-
 stum hoc loco legem gratia attulisse, qua detur adulterij impu-
 nitas.* At quis vel idiota vel simplicissima anus in Ecclesia
 Catholica Romana nescit, adulterium grauissimis pœnis tam
 Ecclesiasticis quàm humanis puniri? Eadem impudentia
 dicere potuisset, iuxta Papalem theologiam, Christum gra-
 tia legem attulisse, qua totius decalogi transgressoribus im-
 punitas detur. Sed videamus an theologia Calviniana hæc
 ipsum non doceat. Si enim nullis legibus nec humanis nec

*Hæretico-
rum vete-
rū praxis
ad Clerum
Catholicū
diffaman-
dum.*

*De perse-
cut. Van-
dal. lib. 2.*

*Seromon.
lib. 2. ca. 4.*

*Caluini
purida ca-
lumnia in
caput suū
redidans.*

*Caluinias
na theolo-
gia quod*

lex gratia
adulteri
impunita-
tem dedit

diuinis Christianos in conscientia obstringi, libertas Evangelica patitur; si idè sumus sub gratia, non sub lege, quia legis rigori, quæ transgressores acerbè punit, obnoxij non sumus, sed sub gratia quæ nos à lege manumittit; si mandatorum Dei observatio (inter quæ est, *Non moechaberis*) ad observandum impossibilis est; quæ omnia Calvinus & Calvinistæ omnes constantissimè docent; ad quæ autem non astringimur, quatum legum rigori obnoxij non sumus, quæ præcepta seruare non possumus, eorum haud dubiè transgressio pœnam non meretur: an nō luce meridiana clarius est, Calvinianam theologiam esse, quòd Christus legem gratiæ attulerit, qua detur adulteris impunitas? Dicit quidem hoc loco Calvinus. *Nos tenemus sic remitti à Christo hominibus peccata, ut politicū tamen ordinē non subuertat, iudicia & pœnas legibus constitutas non aboleat.* Atqui impunitatem adulterij hoc non adimit, quando adulteria occulta sunt, & politico magistratui incognita, qualia haud dubiè pleraque & maxima ex parte sunt. Ergo ex ipsa Caluini confessione, coram Deo & in occulta scortatione datur adulteris impunitas. Clarum igitur & perspicuum est, non Papalem sed Calvinianam theologiam esse, quòd Christus legem gratiæ attulerit, qua detur adulteris impunitas. Ita (vt dixit) quid Caluino in mentem venerit vt tam scœdam & infamem doctrinam Ecclesiæ Catholicæ impingeret, quæ ex ipsius propriæ doctrinæ principis necessariò consequitur, nullum arbitror Calvinistam conicere posse: nisi quòd iusto Dei iudicio cæcitate mentis percussus, ea contra Christi sponsam expuerit, vnde suam ipsius turpitudinem propalandi iustā aliis occasionem daret.

Calvinus
& Beza
circa cri-
prura par-
tes dissen-
siunt.

Illud postremò in hoc Evangelio animaduersione dignum est, circa totius huius historiæ veritatem canonicam duo præcipua Calvinistarum capita penitus dissentire. Calvinus enim ita in hunc locum scribit. *Satis constat historiam hanc olim Græcis fuisse ignotam. Itaq; nonnulli cōiiciunt aliunde assutam esse. Sed quia semper à Latinis Ecclesiis recepta fuit, & in plurimis vetustis Græcorum codicibus reperitur, & nihil Apostolico Spiritu indignum continet, non est cur eam in usum nostrum accommodare recusemus.* Ab altera parte Beza in hunc modum. *Ad me quòd attinet, non dissimulo mihi meritò suspectum esse, quod veteres Græci vel reiecerunt vel ignorarunt. Deinde quòd narrat Iesum solum fuisse relictum cum muliere in templo, nescio quàm sit probabile: (Ex eadem præpostera suspitione totam Christi cum muliere Samaritana apud*

apud puteum disceptationem; ubi solus cum sola agebat, homo impius improbabilem quoque poterit asserere). *Quod scribit Iesum digito scripsisse in terra, nouum mihi & insolens videtur, nec possum conijcere quomodo possit commodè explicari: (explicauit tamen ipse Calvinus satis commodè) tanta denique lectionis varietas facit ut de totius istius narrationis fide dubitem.* Hæc illa bestia. Sed postrema coniectura quam adfert, multas alias Euangelicæ historiæ partes, quas duo aut tres Euangelistæ aliter atque aliter referunt, in dubium quoque vocabit: verbi gratia, totum sermonem Domini, in monte, vt apud Matthæum videtur, vel in loco campestri, vt Lucas narrat, aliis quoque atque aliis verbis habitum. Item de Centurionis puero sanato, quem ad Christum accessisse Matthæus, non venisse, sed alios misisse Lucas narrat. Ipsam denique resurrectionis Dominicæ historiam quoad ipsum quo surrexit tempus, & varias primi diei apparitiones, in quibus varia videntur dicere Euangelistæ: & alias adhuc partes quàm plurimas, in quibus tanta varietas & apprensus dissonantia est, vt S. Augustinus duos libros integros de consensu Euangelistarum scripserit, & alij multi Scriptores in Concordia Euangelica concinnanda plurimum & pie sudauerint. Sed hæc est hæreticorum hodie petulantia, vt multorum iam seculorum fide firmata, pro suo cuiusque cerebro etiam circa ipsas diuinæ Scripturæ partes, in dubium de nouo reuocare audeant. Admittit Calvinus: reprobat Beza. Cur ita? Quia pro suo libito vterque decernere, neuter Ecclesiæ docenti autem præbere vult. Docet hoc exemplum, quàm sit detestanda Nouatorum hodie petulans arrogantia.

Matth. 26

et seqq.

Luc. 6.

Matth. 28

Luc. 24

Hæreticorum hodie

petulantia

petulantia

36. *Si Filius vos liberauerit, verè liberi eritis.*

Quæ sit ista humani generis liberatio Christo propria, quam hic iterum atque iterum inculcat Christus, rectè & orthodoxè tenere operæpretium est. Liberatio ista siue libertas per Christum nobis data, erat triplex; prout seruitus per Christum data triplex. *Libertas per Christum data triplex.* qua partim Iudæi partim cæteri mortales omnes tenebantur, triplex erat. Vna erat seruitus legalis Iudæis propria, qui in statu seruorum sub legalibus ceremoniis & timore seruii vivebant, tanquam veteris testamenti filij, magis ex timore quàm ex amore legem seruantes, ideòque non verè eam seruantes, quanquam hoc posterius nec solis Iudæis propria

erat, sed omnibus veteris testamenti filiis, & iuxta veterem hominem adhuc viventibus; nec in omnibus Iudæis locum habebat, sed carnalibus tantum. Hanc utramque Paulus docuit ad Galat. 4 & ad Rom. 8. Altera seruitus peccati est, qua homo suis cupiditatibus & instigatori Dæmoni seruit. Rom. 6. *Serui fuistis peccati.* Tertia seruitus corruptionis pœnalis est, cui corpora etiam iustorum in hac vita subiiciuntur. Romanorum octauo. *Creatura liberabitur à seruitute corruptionis, &c.* Ab his tribus Christus omnes in ipsum credentes liberavit. A prima ponens nos in statu filiorum adoptionis, quoad legalia; ad Gal. 4. *Non sumus ancilla filij, sed libera:* quoad seruilem timorem; ad Rom. 8. *Accipimus spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba Pater.* A secunda partim per remissionem peccatorum gratuitam, partim per gratiæ suæ auxilia & dona, siue per spiritum regenerationis. Rom. 6. *Liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ.* Peccatum vobis non dominabitur, quia non estis sub lege, sed sub gratia Rom. 5. *Vt sicut peccatum regnavit per mortem, ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam.* De hac potissimum loquitur Christus, ut exponit Augustinus. Verba eius paulò post proferemus. A tertia. Romanorum octauo. *Liberabitur à seruitute corruptionis, scilicet in altera vita.*

Caluini
corruptela.

Impius Caluinus hanc totam liberationem per Christum factam in vna & sola fide ponit, qua Christum in Euangelio cum suis promissionibus de gratuita remissione peccatorum, & cum donis iustitiæ ac sanctitatis illi inhærentibus, apprehendimus & amplectimur. Sed ita hoc docet, ut facile Lectorem nisi valde attentum fallat. Quædam enim vera præmittit, ut postea incautum opprimat. Primum ad illa verba, *Veritas liberabit vos, v. 32. Tenendum (inquit) est, qualis hic libertas à Christo notetur.* Optimè sanè, & ut bonum interpretem oportuit. Audiamus quæ illa sit. *Nempe (inquit) quæ nos à Satana, peccati, & mortis tyrannide manumittit.* Rectè etiam ista dicuntur, tamen non plene. Sed videamus cætera. *Quod si eam consequimur Euangelij beneficio, hinc constat peccati nos omnes natura seruos esse.* Transeat interim ista propositio, donec, quid illa velit, magis nobis aperiat. Alioqui quum vox Euangelij latissimè pateat, in aliquo sensu vera esse potest. Porro (inquit) *simul tenendus est liberationis modus.* Hic ergo aliquid expressius dicet. Audiamus. *Quamdiu enim (inquit) sensu ac ingenio nostro regimur, peccato sumus mancipati. Quum autem nos Dominus suo Spiritu regenerat, simul liberos effi*

efficit, ut miseris Satana laqueis soluti, sponte iustitiae obediamus.
 Videbitur hic fortasse aliquibus sanam & orthodoxam doctrinam tradere: sed fallit imperitos. Ponit libertatem per Spiritum regenerationis effectam, in eo, ut sponte iustitiae obediamus. Quum dicit *sponte*, tollit obedientiae mandatorum Dei necessariam obligationem, de qua Paulus dixit, *Liberati à peccato* (supple per Spiritum regenerationis) *serui facti estis iustitiae*. Iterum quum dicit *sponte*, negat liberam electionem in operibus iustitiae. Quare quod dicit nos *Satana laqueis solutos*, non veram solutionem intelligit, quoad peccatum, ad quod Satanas instigat, sed imaginariam solutionem: de non imputato peccato, quod regenerari semper & necessitate perpetrant; in quos diabolus tamen peccantes potestatem nullam habet, quia fide Christum tenent. Hæc eius impia doctrina ex sequentibus magis elucescet. Sic enim proficitur. *Atqui ex fide regeneratio: unde apparet ex Evangelio esse libertatem.* Hic sua cornua non nihil exerit. *Ex fide* (inquit) *fit regeneratio*, & hanc ex Evangelica prædicatione concipimus, ergo ex Evangelio est nostra libertas. Tota ergo hominis resolutio est, credentes qui audito Evangelio de Christi promissionibus, beneficiis, ac donis iustitiae, quibus ipse plenus erat, hæc omnia sibi fide applicant, & Spiritum sanctificationis, qui in Christo abundabat, simul quoque apprehendunt, illos libertatem in Christo esse consequutos, & hoc esse in illis Spiritum regenerationis, ut non amplius sub diaboli potestate aut dominio positi, sponte iam obediant iustitiae, si id libuerit; obedire non teneantur, nisi libuerit. Sed sequentia adhuc in eo verba hoc latens venenum clarius in lucem educunt. *Eant nunc* (inquit) *Papista, & liberum arbitrium fastuose extollant: nos autem seruitutis propriae conscij, non nisi Christo liberatore gloriemur.* Ecce apertis verbis liberi arbitrij facultatem ad bene iustèque operandum à Christo dari negat. *Nos* (inquit) *seruitutis propriae conscij*, id est, nos iam fide ex Evangelio regenerati (quis enim dubitat eorum se numero Calvinum aestimasse quum hæc scriberet?) *seruitutis propriae conscij*, id est, adhuc in seruitute peccati manentes, *non nisi Christo liberatore gloriemur*, quatenus videlicet fide illum in Evangelio apprehendimus, ut nobis imputetur quicquid in illo est. Dicit se Christo liberatore gloriari, & tamen liberum arbitrium ad bene iustèque viuendum fastuose & indignabundus reiecit (*Eant nunc Papista, &c.*) simulque se propria seruitutis adhuc *conscium esse* profiteretur. Gloriatum igitur in liberatore imagi-

*Latens
Calvini ve-
nenum ape-
ritur.*

*liberatore
rem esse*

Christum
Calvinus
negat.

nario, non vero: imò verbo gloriatur, re ipsa negat verum liberatorem Christum esse. Nō enim aliter liberatorem Christum agnoscit, nisi quatenus fide eum apprehendit, omnia quæ ipse habet nobis imputantem, sed nihil re vera & actu largientem. Hanc ob causam ad sequētia adhuc statim subiungit. *Nam & hoc nomine Evangelium quasi manumissionis vindicta censeri debet, quod nos Christo offert ac tradit à peccati iugo liberandos.* Et paulò post ad alia adhuc sequentia Christi verba, *Si Filius vos liberauerit, verè liberi eritis,* ita scribit. *Quod natura Filius proprium habet, nobis adopcione communicat, dum fide inserimur in eius corpus, ac efficimur eius membra. Ita memoria repetendum est quod prius dixi, nos Euāgelij vindicta ab eo manumitti. Christi ergo beneficium est libertas nostrā: sed eam fide consequimur: quæ etiam facit ut nos Christus Spiritu suo regeneret.* Hæc ille. Impiam suam doctrinam utcumque in lucem eduxit. Christi beneficium est libertas nostrā, quam fide consequimur, ut sic Evangelium (quatenus, dum prædicatur & creditur, nos Christo offert à peccati iugo, id est, à pœna & imputatione peccati liberandos,) nostræ manumissionis seu libertatis vindicta censeri debeat: id est, modus ac ratio qua in libertatē asserimur. Tota hæc prophana oratio nihil aliud docet, quàm totam nostram libertatem, qua Christus nos liberauit, ipsummet esse Christum nobis in Euangelio oblatum, & fide apprehensum. Manemus nos quales eramus, *propria seruitutis conscij,* peccatores & impij, nec legem implere nec mandata seruare possumus; sed in Christo manumittimur per fidem inserti in corpus eius, eumque totum fide complectentes ac certissimè tenentes. Hæc imaginaria, falsa, & impia Calviniana libertas est, quam nulla Scriptura docet. Nos fide regenerari, nos fide libertatem consequi, nos per Evangelium Christo offerri ac tradi, denique Evangelium esse manumissionis nostræ vindictam, prophanz sunt Caluini voces in nulla scriptura positæ, ab Ecclesia Christi hæctenus inauditæ: denique mādāta & traditiones hominū. Qua libertate Christus nos liberauerit, iam ex Scripturis nos ostendimus: quibus conformiter S. August. ita scribit. *Natura humana diuina indiget gratia, dicente Domino, Si Filius vos liberauerit, tunc verè liberi eritis, utique liberi ad bene iustèque viuendum: quod multis postea verbis prosequitur.* Rursum alio in loco. *Arbitrium voluntatis tunc est verè liberum, cum vitiis peccatisque non seruit. Tale datum est à Deo, quod amissum proprio vitio, nisi à quo dari potuit, reddi non potest.*

Cont. 2.
Epist. Te-
lag lib. 1.
cap. 2.
De Guit.
De lib. 14
cap. 11.

teſt. Vnde veritas dicit: Si vos Filius liberauerit, verè liberi eritis. Hæc ille. Eat nunc Calvinus, & liberum arbitrium ad bonè iuſtèque viuendum in iis qui per Chriſtum regenerantur ac liberantur, non contra Papiſtas, ſed contra doctiſſimum Auguſtinum, diuinæ gratiæ aſſertorem maximum, faſtuosè reiciat. Sanè homo impius ita Chriſti verba deprauauit, vt cum eſſe verum liberatorem (quod verba clariffimè dicunt) aſtutè & vafrè negauerit.

39. *Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite.*

DOcet hic locus non ſecus neceſſariam eſſe operū Abrahæ imitationem, vt filius Abrahæ, & amicitiaæ foedere Deo coniunctus aliquis dicatur, quàm eſt neceſſaria fidei, quæ in Abrahâ fuit, imitatio, quàm ad Rom. 4. Apoſtolus contra Iudæos necdum in Chriſtum credentes vrgebat. Probat enim hic Chriſtus, Iudæos non eſſe filios Abrahæ, ſed filios diaboli, quia non opera Abrahæ faciunt, ſed opera diaboli; ſicut Apoſtolus probat, Iudæos non eſſe filios Abrahæ, quatenus ex circumciſione ſunt, ſed quatenus ſectantur veſtigia fidei quæ fuit in Abraham. Non ſecus ergo ad bonorum operum neceſſitatem hæc Chriſti doctrina valere debet, quàm ad fidei neceſſitatem Pauli doctrina valet. Calvinus hoc in loco reluctatur vt poteſt aliquantulum, tandem tamen vi veritatis victus, veritatem inuitus prædicat. *Chriſtus* (inquit) *de origine carnali non diſputat, ſed tantùm inter Abrahæ filios coram Deo cenſeri negat qui fide non retinēt gratiam adoptionis. Nam quum Dominus Abrahâ ſemini pollicitus eſſet ſe fore in Deum, increduli omnes, hac promiſſione abiecta, ſe abdicabant ex genere Abrahæ.* Ecce vellent hic Chriſtum diſputare de fide & de ſemine Abrahæ per fidem, quum Chriſtus hoc loco diſtinctiſſimè loquatur de ſemine Abrahæ per opera bona. Nō enim de iis qui fide adoptionis gratiam non retinent, ſed de iis qui opera Abrahæ non imitando nec faciendo eam gratiam reiciunt, loquitur: nec denique ſoli increduli abdicant ſe ex genere Abrahæ, abiecta promiſſione ſemini Abrahæ facta; ſed impij, legis trãſgreſſores, maleuoli, & perſecutores iuſtorum, quales iſti Iudæi erant, quos Chriſtus hic alloquitur, abdicāt ſe proſus ex genere Abrahæ, abiecta promiſſione ſemini Abrahæ facta. Hactenus ergo reluctatus eſt Calvinus apertè veritati, & lectoris animum aliò abducere totis viribus conatur. Locum tamen euidentia eum pungente, hæc verba ſub-

Rom. 4.

iunxit. Status ergo questionis est, an reputandi sint Abraham filij qui oblatam sibi in verbo benedictionem abiciant, ut nihilominus sint gens sancta, peculium Dei, & regale sacerdotium. De abiecta benedictione in verbo oblata, nulla hic quaestio est, nec de ea Christus loquitur: & aliud hoc est Caluini somniū, quod illi necdum expergefacto toties recurrit, de quo alio in loco diximus. Transeat igitur hæc eius suppositio. Hoc (inquit) negat Christus & merito: quia Spiritu renasci oportet qui filij sunt promissionis: & novas esse creaturas quicunque locum appetunt in regno Dei. Vide quam ægrè aliquid tandem præter fidem à Christo requiri fateatur, & bonorum operum necessitatem non quidem apertis verbis, inuolutè tamen & consequenter in verbo *novæ creature* agnoscat. *Nova enim creatura, & fides per dilectionem operans*, synonyma sunt apud Paulum ad Gal. c. 5. 6. & cap. 6. 15. Si ergo novas creaturas esse oportet qui filij promissionis esse voluat, & locum in regno Dei appetunt, profectò sola fides non facit filium promissionis, nec dat ei locum in regno Dei, id est, corā Deo iustum, aut Dei filium non facit, sed illa demum fides hoc totum præstat quæ per charitatem operatur atque perficitur, ut possit iustificare, futura ad iustificationem proflus inanis & inutilis, nisi charitas veluti forma & perfectio eius accedat. Et valet huc plurimum quod subiungit hoc loco Calvinus. *Non erat quidem inutile ac nullius momenti carnale Abraham genus, si quidem accederet veritas. Residet enim Dei electio in semine Abraham: sed libera, ut hæredes vitæ reputentur, quos Deus Spiritu suo sanctificat.* Eodem quippe modo residet Dei electio in semine Abraham spirituali, in iis qui imitantur vestigia fidei patris sui Abraham, qui credunt Christum resurrexisse à mortuis ad iustificationem nostram, sicut ille credidit corpus suum emortuum posse ad generationem revirescere, in quo vno articulo imitationem fidei Abraham signanter ponit Apostolus. Sed hæc Dei electio in credentibus residens libera est, ut hæredes vitæ reputentur, non qui credunt tantum, fidèque promissiones gratuitas apprehendunt, sed quos Deus Spiritu suo sanctificat, ut facti nova creatura, opera Abraham faciant sicut fidem imitantur, ac sic demum filij Abraham reputentur. Et hæc est tota ac plena Christi hoc loco sententia, qua bonorum operum ad salutem necessitas efficaciter probatur, & sola fides saluificans perspicuè evertitur.

In Prompt.
Cathol.
pari Qua-
drag. ser.
5. in capite
ieiunij.

Rom. 4.

Operū bo-
norum ne-
cessitas.

39. *Pater noster Abraham est. Nos ex fornicatione non sumus nati.*

41. *Vnum patrem habemus Deum.*

Occasione accepta ex illis Christi verbis, *Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos*, quæ verba quibusdam Iudæorum in eum credentibus dixerat; alij increduli & inflati Iudæi, *responderunt ei; Semen Abraha sumus, nomini seruiimus unquam, quomodo tu dicis: Liberi eritis?* id est, quomodo tu loqueris de vindicando nos in aliquam libertatem? non intelligentes Christum loqui de libertate alia longè meliori, quæ esset à seruitute peccati, vt suprà contra Caluinum ostendimus. Christus igitur volens eos in meliorem viam reducere, & de qua libertate loqueretur, plenius docere, ait, *eum qui facit peccatum, seruum esse peccati, seruum autem manere quidem in domo ad tempus, siue ciuilitè seruum, intelligas, qui domino suo in eadem domo cum filiis familias ad tempus seruit, siue seruū spiritualiter & peccatorem, qui ad tempus in Ecclesia Dei cum iustis & filiis Dei Sacramenta participat, sed non in æternum, filium autem manere in æternum & esse hæredem: moxque infert, Si ergo vos Filius liberauerit, verè liberi eritis: liberationem illis quandam adhuc necessariam esse demonstrans. Illi in sua arrogantiâ impiâque & vana iactantia persistentes, Responderunt & dixerunt ei, id est, vt suam nequitiam tegerent, audacter & insolenter dixerunt, *Pater noster Abraham est*, iustus videlicet ac sanctus vitæ & amicus Dei appellatus. Hanc eorum vanam ostentationem Christus repressit, dicens: *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite: & rursus, Vos queritis me interficere: hoc Abraham non fecit: & adhuc semel, Vos opera patris vestri facitis*, in omnibus his verbis id vnum docens, eos idcirco de patre suo Abraham inaniter iactare, quia tam sanctum ac iustum patrem minimè imitarentur. Quàmque adhuc semel in vana sua iactatione persistenterent, dicentes: *Nos ex fornicatione non sumus nati*, id est, non sumus idololatræ, nec deos falsos sequimur; *Vnum patrem habemus Deum*, vnum & verum Deū colimus; nec ex carnali solum generatione, sed & ex fidei puritate liberi homines sumus; eodem ferè rursus sermone & ex vitæ impuritate vanam eorum iactantiam reprimit: *Si Deus pater vester esset, diligeretis vtrique me*, quasi diceret: Non satis est credere in Deum, vt filij Dei sitis, sed etiam diligere Deum*

oportet, & quemcunque mittit ille, maxime filium Dei naturalem. Ego enim ex Deo processi & veni. Et paulò post, appetitissima voce nequitiam cordis eorum patefaciens, ait: Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. Ita planum ac perspicuum fit, iactantiam Iudæorum quòd Abraham patrem haberent, nec ex fornicatione essent, sed vnum Deum cum patribus suis colerent, hoc solo nomine à Christo reiectam fuisse, quòd patris sui bona opera nò facerent, quòd occidendi eum voluntatem haberent, quòd Deum non diligerent, quòd desideria diaboli facerent, denique quòd homines impij, odio & malevolentia pleni essent.

Vide nunc vt hoc totum inuertit, & ad Catholicorum reprehensionem, deprauata Scriptura, impiè còuertit Calvinus. Similem esse vult vnitatis Catholicæ & successionis Ecclesiasticæ contra nouellos hæreticos atque schismaticos iustissimam exceptionem, quæ fuit hoc loco Iudæorum de patre suo Abraham vana iactantia; vt hoc videlicet fucò ad vnitatis Ecclesiasticæ contemptum, homo hæreticus & Ecclesiæ desertor, lectoris animum inducat atque seducat. Sic (inquit) hodie Papista verbum Dei, quod lapides mouere posset, tanquam fabulosum rident, & audacter ferro & igni perscrutantur, tantum quia fallaci Ecclesiæ titulo freti, Deo se posse & hominibus illudere confidunt. Hic vt comparatio Caluini teneat, concedere illi oportet, quicquid ille & conueniæ ac sodales eius docuerunt, Dei verbum esse; tum ita rutilans, clarum, atque resplendens hoc verbum esse, vt vel lapides illud mouere posset: tandem Catholicos non nisi fallaci Ecclesiæ titulo frui. Hæc nisi omnia concedas, quæ sanus concedat nemo, tota corruit facilis atque insulsa Caluini comparatio. Pergit paulò post vt hanc suam comparisonem plenius instructam adornet. Videmus (inquit) vt Iudæi isti sanctitatem ex utero se habere putauerint, quia orti essent ex radice sancta. Denique Ecclesiam Dei se esse contendunt, quia originem ducant à sanctis Patribus. Quemadmodum hodie continua à Patribus successio Papistas inflat & plusquam turgidos reddit. Talibus eos prestigijs eludit Satan, vt Deum à verbo suo, Ecclesiam à fide, regnum calorum à Spiritu separent. Sciamus ergo quamuis secundum carnem spurij non sint, sed plausible Ecclesiæ titulo se venditent, nihil minus esse quam Dei filios, qui semen vite adulterarunt. Nem per quascunque circumueant ambages, nunquam tamen elabi poterunt quin hac sola iactantia effrantur. Nos sanctis Patribus successimus: ergo sumus Ecclesia. Quod si re-

Vana Cal-
thæi iac-
tantia.

Successio-
nis Eccle-
siasticæ ar-
gumentum
inaniter
impugna-
tum.

fellen

fellendis Iudæis valuit Christi responsum, non minus hodie ad istos coarguendos sufficit. Hæc est tota à Caluino instructa comparatio, qua veluti erecto, quod sequantur, vexillo suos Calvinistas ad Ecclesiasticæ vnitatis & successionis contemptum bonus signifer deducat. Argumentum & vis tota comparationis hæc est: Christi responsum refellit Iudæos de patre suo Abraham iactantes, ergo & idem responsum ad coarguendos Catholicos sufficere debet Ecclesiasticam vnitatem & successionem sibi venditantes. Videamus ergo quale Christi responsum fuit. Hoc & non aliud erat (vt ex præcedentibus patet) Iudæos Abraham patrem frustra venditare, quia opera Abraham non faciebant, sed diaboli, quem ideò patrem habebant, non Abraham. Vt ergo contra Catholicos idem responsum valeat, inferre Calvinum oportuit, Catholicos Patrum suorum, quibus se succedere & quorum se filios profiterentur, opera bona non facere, non imitari, sed opera diaboli facere, quem ideò potius patrem habent. Planè hunc in modum ratiocinari oportuit, vt Christi responsum ad Catholicos successionem Ecclesiasticam & Ecclesiæ titulum sibi venditantes coarguendos sufficiat, sicuti Iudæis de patre suo Abraham gloriantibus refellendis idem valuit. Ac per hoc ad Christianorum vitia vitæque impuritatem taxandam, qui optimorum Patrum mali filij sunt, facit haud dubiè hic locus, valétque plurimum. Nunc autem nihil huiusmodi Calvinus infert, quum eadem scabie se ac suos forè maculari cerneret, nec bonorum operum causam agere, aut illorum patrocinaum suscipere Calvinus soleat. Apparet nunc igitur omniumque oculis patet putida stulti hominis & insulsa comparatio. Iudæi homines improbi de patre suo Abraham viro iusto ac sancto gloriati non debuerunt: ergo Catholici eiusdem fidei vnitatem cum Catholicæ Ecclesiæ Patribus tenentes, & illis continua seriè succedentes, de huiusmodi Patribus gloriari, aut huiusmodi veræ Ecclesiæ vnitatem, consortium, titulum sibi venditare non debent. Huius ineptissimæ comparationis turpitudinem, in qua nihil simile, nihil affine, nihil quod comparari queat inuenitur, vel puero cuius perspicere facile & obuium est.

Caluini
compara-
tio insul-
sa.

Deinde in hac sua fictitia comparatione quàm multa futi-
liter effutiuit Calvinus! *Deum*, (inquit) *à verbo, Ecclesiam à*
fide, regnum celorum à Spiritu separant. Respondeo, Catho-
licos non Deum à verbo separare, sed Dei verbum in vera Dei
Ecclesia quærere; non Ecclesiam à fide seiungere, sed veram
fidem

Canilla
Caluini
futilia.

fidem in sola Ecclesia tenere, denique non regnum cælorum à Spiritu diuellere, sed per opera Spiritus, opera gratiæ, ad regnum cælorum contendere. Calvinus & Calanitiæ illi sunt qui Deum à verbo separant, quando verbū non à Deo & vbi Deus instituit, sed à suo cerebro suisq; aduentionibus exquirunt: qui Ecclesiam à fide seiuungunt, quia non in Ecclesia fidem addiscere, sed, contempta Ecclesia, fidei dogmata sibi-mer fabricare volunt: denique regnū cælorum à spiritu longissimè diuellunt, quia ad regnum cælorum consequendum opera diuini Spiritus nihil cōferre, solam diuinæ beneuolentiæ fiduciam & præsumptionem cum perpetua vitæ turpitudine coniunctam sufficere docent. Rursum hoc in hac comparatione maximè futile & infalsum est, quòd carnalem Iudæorum ab Abrahā propagationem, cum carnali quadam à Patribus Ecclesiasticis successione comparat. *Quamuis* (inquit de Catholicis) *secundum carnem spurij non sunt, sed plausibili Ecclesia titulo se venditent.* Ergo Ecclesiæ titulus per carnalem successione à Catholicis venditatur? An aliam à Patribus successione Catholici venditant quàm quòd eandem cum illis fidem tenent, & tradita ab illis de manu in manum Christianæ religionis dogmata concordēs obseruant? *Secundum carnem* (inquit) *spurij non sunt:* secundum carnem legitimi sunt. Ergo carnalis hęc statuitur propagatio? Sed sic oportuit eum loqui, vt aliqua fictitiæ comparationis similitudo appareret. Alioqui si propriè loquutus fuisset, tota eius comparatio vel à puero ridenda appareret. Si enim sic dixisset, *Quamuis secundum eandem cum Patribus fidem spurij non sunt, sed plausibili Ecclesia titulo se venditant, nihil minus tamen quàm filij Dei sunt, quia semen vitæ adulerarunt,* prius pugnancia, idèoque vel à puero ridenda dixisset. Si enim eandem fidem cum Patribus tenentes spurij non sunt, profectò semen vitæ, quod fides & vera doctrina est, non adulerarunt. Enimuerò ita se res habet. Idcirco nos Catholici Dei beneficio Ecclesiam tenemus vnā, sanctā, Catholicā, quia in tota fidei ac dogmatum professione totius hactenus Ecclesiæ Patribus successimus, & eandem cum illis fidem tenemus. Hęc collectio hac futile Caluini comparatione non infirmatur, sed firma ac valida semper erit, nisi aut nos eandem cum illis fidem non tenere, aut illorum fidem falsam ac vanam fuisse, id est, nullam hactenus in Christiano orbe Christianorum Ecclesiam extitisse demonstretur. Porro si idèò hęc collectio vana est, & pro mera iactantia arstimaanda, *Nos sanctis Patri*

Patribus successimus, ergo sumus Ecclesia, quia Iudæorum illa collectio vana erat, nec nisi mera iactantia, Pater noster Abraham est, ergo liberi sumus; eadem quoque ex causa & hæc collectio vana ac futilis erit, Nobis est vnus Deus, vna fides, vnū baptisma, vnum Deum colimus, vnum symbolum credimus, eadem Sacramenta tenemus, sub vno capite Christo, in vno Ecclesiæ corpore, eandem doctrinā, eundem cultum retinemus, ergo sumus vera Ecclesia, quia Iudæorum similis collectio vana erat, Nos vnum patrem habemus Deum, nec sumus ex fornicatione nati, aut ab idololatriæ progeniti, ergo sumus filij Dei. Cæterum vt tales Iudæorum collectiones veræ ac bonæ essent, si cum carnali illa propagatione ex Abraham, & cum externa illa professione cultus Dei verā etiā pietas coniuncta fuisset, si opera Abraham fecissent, si Deum Patrem verè dilexissent, eodem planè modo & istæ Christianorū hominum similes collectiones veræ tunc ac solidæ erunt, quando cum eiusdem orthodoxæ fidei vnitatem ac puritatem, & cum eiusdem puri cultus ac religionis societate, vera etiam vitæ puritas & innocētia coniuncta est, quando Patrum pietatem non secus quàm doctrinam sequuntur, quando Deum purè diligunt, sicut in eum sincerè credunt. Hoc quia non obseruauit odio & maleuolentia excæcatus Calvinus, quod nuda literæ inspectio eum docere potuit, collectiones Iudæorum à Christo reiectas in Christianos impiè contorquet, qui etsi similes propositiones vsurpant, non tamē similes collectiones faciunt. Hæc Caluini hoc loco impietas & impostura à lectore Calvinista ambabus vlnis recipitur, veluti validum & egregium telum contra successionis & unitatis Ecclesiasticæ argumentum, quia aut imposturam non aduertit, aut impietate delectatus aduertere non vult. Sed ea nunc vtraque refutata, cauere sibi à tali impostore potest Calvinista si velit, cauebit Catholicus quia vult.

¶ *Amen amen dico vobis: si quis sermonem meum seruauerit, non videbit mortem in æternum.*

Obseruandum hoc loco, & propter istius calamitosi temporis hæreticos magna diligentia obseruandum, promissionem vitæ æternæ non secus in his verbis mandatorum obseruationi à Christo fieri, idque cum magna asseuerantia (*Amen amen dico vobis*) quam aliis in locis similem promissionem, fidei in Christum fieri legimus. *Non videre mortem æternam, perinde esse ac videre & habere vitam æternam, nemi*

Mandatorum obseruationi vitæ æternæ promittitur.

nemini dubium esse potest; quando qui non videt mortem, necesse est vitam videat. *Sermones Dei seruare*, iuxta perpetuam Scripturæ phrasim nihil aliud esse quàm mandata Dei opere complete, nemo quoque dubitare poterit: quando & sermo mandatum significat, & non nisi per operis executionem mandata seruantur. Iam huic mandatorum obseruationi promittitur vita æterna. In aliis huius Euangelij locis di-

Ioan. 3. 36. Qui credit in filium Dei, habet vitam æternam:

Ioan. 5. 24. Qui credit ei qui misit me, habet vitam æternam: & rursum,

Ioan. 6. 47. Qui credit in me, habet vitam æternam: & adhuc semel, Om-

nis qui viuít & credit in me, non morietur in æternum, promiss-

ionem vitæ æternæ fidei, & quidem vni fidei, à Christo tribui obseruant diligenter hæretici. Atqui obseruare quoque eos oportuit, mandatorum obseruationi eandem à Christo promissionem statui, tum aliis in locis permultis, tum in isto.

*Doctrina
fidei.*

Caluinus vatrè hæc Christi verba ad doctrinam fidei transfert.

Christus (inquit) *discipulis suis vitam æternam promittit, sed*

illis qui doctrinam eius seruant non secus ac pretiosum thesau-

rum. Visuros mortem negat, quia ubi animam hominis fides

uiuificat, iam mors retuso aculeo, & veneno absterfo, lethale vul-

nus infligere non potest. Hæc ille: quem hæc impostura nihil

iuuabit. Nam vt demus ei de seruanda fidei doctrina veluti

pretioso thesauro Christum ista dixisse, nihil tamen iuxta

perpetuam Caluini doctrinam hic thesaurus seruatus ad vi-

tam æternam conferet. Fides enim quæ iuxta Caluinum vi-

tam æternam confert, quæ saluificat, quæ iustificat, non est

doctrina fidei, aut illa fides qua credimus vera esse quæ Deus

loquitur, iuxta veram Catholicæ fidei definitionem, sed est

illa quæ solas promissiones gratuitas apprehendit, & diuinæ

beneuolentiæ firma persuasio. Talis persuasio, talis fiducia

iuxta Caluinum animam hominis viuificat, vt mortis me-

tum ac vim retundit: vnde ad illa Christi verba. Qui credit in

me, etiamsi mortuus fuerit viuét. Praclarum (inquit Caluinus)

fidei elogium, quòd Christi vitam in nos transfundens à morte

liberat. Atqui doctrina fidei diligenter asseruata & credita

iuxta Caluinum nihil aliud est quàm historica quædam fides

quæ nihil ad iustitiam valet. Frustra igitur ad doctrinam fi-

dei hæc verba contorquet Caluinus. Deinde quum Christus

infrà hoc eodem capite dicit, Ego scio Patrem, & sermonem

eius seruo, an de doctrina fidei à Patre accepta loquitur? an

non potius dicit quòd Patris sui mādata in omnibus exequi-

tur? Rursum quum iterum dicit, Si quis diligit me, sermonem

meum

Fides viu-
ificanti
Caluini,
non est
doctrina
fidei.

Ad. cap.
Ioan. 11.
vers. 25.

Ioan. 14.
20. 13. &
24.

meum seruabit: & qui non diligit me, sermones meos non seruat, quid aliud dixisse intelligi potest, quàm quod eodem tempore dixit, Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me? Frustra ergo contra stimulum calcitrat Calvinus; & quod apertè de mandatorum obseruatione dictum est, ad fidei doctrinam contorquet.

13. *Nunquid tu maiores patre nostro Abraham qui mortuus est, & Prophetæ mortui sunt?*

Quia Iudæi increduli Christum vt purum hominem, nec nisi veteribus Prophetis meliorem, ipso verò patre suo Abraham inferiorem existimabant, propterea Christi verbis, *Non morietur in aeternum*, de morte temporali nunquam subeunda pessimè intellectis, offensi, illum ipsi Abraham & cæteris Prophetis præferri, quorum etiam sermones seruabantur, ac nihilominus tam illi mortui sunt quàm qui illa seruabant, ægrè tulerunt. Sic illi pro suo patre Abraham & pro suis Prophetis contra Christum zelabant. Nunc similem præposterum zelum pro Apostolis, Martyribus, aliisque Sanctis contra Christum in hominibus Christianis confingit Calvinus. An verò aut homines Christianos tantum in se nefas admittere, aut hoc illis scelus aliquem Scripturarum interpretem affingere cuiquam credibile est? Audiamus bellæ verba. *Alterum (inquit) Iudæorum vitium, quòd splendore Abraham & Sanctorum Christi gloriæ tenebras effundere conantur. Iniquè & præposterè faciunt quòd seruos opponunt Domino. Quinetiam Abraham & Prophetis iniuriæ sunt, dum illorum nomine abutuntur aduersus Christum. Verè ista & grauitè dicuntur. Nam, vt hîc ait Calvinus, non secus ac solis fulgor stellas omnes obscurat, ita præ immenso Christi fulgore, quicquid gloriæ est in Sanctis omnibus, euanescere oportet. Sed quid post hæc tam verè & grauitè dicta subiunget? Mel & lac apposuit: nunc sequitur venenum. Verùm hæc quoque prauitas omnibus ferè seculis grassata est, & adhuc hodie grassatur, vt impij lacerando Dei opera, ipsum sibi quasi contrarium faciant. Velitatio hæc artificiosa est; & in genere primum declamat, vt ad speciem post descendat. Audiamus. Illustrauit Deus nomen suum per Apostolos & Martyres: Papiæ idola sibi ex Apostolis & Martyribus confingunt, quæ Dei locum occupent. Criminationem audio, qua vix grauior in-stitui potest. Probationem exspecto. Annon hoc modo sibi ex-*

Caluini artificia.

Contra Sæctorum cultum clamosa Caluini criminatio.

Dei gratijs fabricant machinas ad diruendam eius virtutem?
 Hic adhuc nulla est probatio, sed veluti probati aut confes-
 si criminis exaggeratio. Videamus quod sequitur. *Quantu-
 lum enim restat Deo vel Christo, si habeant Sancti quod illis
 prodigè largiuntur Papistæ?* Nec hic villa probatio, aut obiecti
 in genere criminis vel confirmatio vel specificatio. Expecte-
 mus adhuc sequentia. *Proinde sciendum est confundi totum
 regni Dei ordinem, nisi longè infra Christum subsidant Prophe-
 ta, Apostoli, & quicquid est Sanctorum, ut solus ipse emineat.*
 Nihil quàm in genere declamat, vt criminis intentati graui-
 ratem amplificet. Sed crimen ipsum intentatum non speci-
 ficat, non probat. Dixit *Papistas idola sibi ex Sanctis confin-
 gere qua Dei locum occupent.* Sed nec hoc probat, nec quem
 diuinum honorem Sanctis Papistæ tribuant, ostendit, vt sic
 Sanctos Dei locum apud Papistas occupare lectori constet.
 Accusat nebulo in genere, & atrociter declamat: nihil pror-
 sus vel probat, vel in specie designat. An fortè adhuc in se-
 quentibus id faciet? Audiamus. *Nec sanè magis honorificè de
 Sanctis possumus loqui, quàm quum ipsos Christo submittimus.*
 Verum est, nec aliter Papistæ faciunt. Imò ait Calvinus. *Pa-
 pista autem, utcumq; fucum faciunt imperiti, probos se iactan-
 do Sanctorum cultores, Deo & illis pariter iniuriam faciunt.*
 Sed quare? quod illis in sublime euectis Christum cogunt in or-
 dinem? Aliquam causam attulisse videtur, sed illam adhuc
 non nisi in genere. Restat igitur, vt speciem facti designet, &
 quomodo, quibus verbis quibus factis, sic Sanctos in sublime
 euebant Papista, vt Christum cogant in ordinem, demonstret
 Calvinus. Sequitur. *Ac dupliciter quidem hic peccant, quod in
 doctrina Sanctos preferunt Christo: deinde quod illos vestien-
 tes Christi spolijs, eum propè sua virtute exinaniant.* Hic est
 accusationis eius finis. Duplex peccatum videtur designare,
 quum nullum designet, multò minus aliquid probet. Dicit
 peccare Papistas, quod in doctrina preferunt Sanctos Christo.
 Sed in quo capite doctrinæ, aut quem tandem Sanctum, aut
 quo tandem modo, aut vnum aliquem, aut plures, aut om-
 nes Sanctos, Christo Papistæ preferunt, nihil ait, nihil desi-
 gnat, nihil explicatè notat. Rursum dicit Papistas vestire
 Sanctos Christi spolijs, idque adeò, vt eum propè sua virtute
 exinaniant. Sed quæ sunt illa spolia, aut quomodo Sancti il-
 lis vestiantur, aut qua tandem ratione Christus per Sancto-
 rum honorem sua virtute exinabitur, nihil ait, nihil designat,
 nihil explicatè notat. Et vt illa omnia notarer, nihil probat.

Hic est Caluini ludus, quo suos miseros Calvinistas ludificat, & veluti fungos & stipites inanibus verbis oblectat. Vilis fuit Lectori Calvinistæ & Euangelico, Papistas hoc loco egregie excepisse, & atrocissimi criminis conuictos veluti summo odio dignos tradaxisse. Quam ob causam Marloratus totam hanc criminationem, duobus aut tribus vltimis membris exceptis, in suam expositionem (vt vocat) Ecclesiasticam retulit. Sed diligenter inspectus nihil nisi merum nebulonem & sycophantiam egisse deprehenditur. Atrociter enim & prolixè accilians, nec crimen aliquod in particulari designat, nec eius, quod in genere declamat, vllam vel vno verbo probationem adfert. Atqui hoc scribendi genere facilè cuius foret, quosuis seu innocenitissimos, seu eruditissimos, seu etiam illusterrimos viros, criminatione generali instituta, cuius nec probatio adfertur, nec species designatur, multis paginis traducere, accusare, & de quouis atroci flagitio, de qualibet crassa ignorantia, de quolibet ignobili & pudendo facinore suspectos reddere. Sed Caluini pruritus aliter leuari non potuit, nisi quoquo tandem modo in hanc Ecclesiæ petram porcus impetiginosus dorsum suum affricaret.

IN IOANNIS CAP. IX.

6. *Exspuit in terram, & fecit lutum ex spuito, & liniuit oculos eius, & dixit ei: Vade, laua in natatoria Siloë, quod interpretatur, missus.*

S Olet Caluinus, solentque alij hodie hæretici Sacramentorum nouæ legis effectus quem ex verbo Dei cum tota veteri Ecclesia in illis agnoscunt Catholici, hoc maxime nomine reprehendere ac reuicere, quod hac ratione nescio quam latentem virtutem in ipsis elementis & creaturis ponimus, & (vt scribit alibi Caluinus) *hac superstitione miseris hominum mentes alligamus, ut in spectaculo rei corporeæ potius quam in Deo ipso acquiescant.* Atqui idem Caluinus hoc tam illustri facto Christi admonitus, vbi tam variis adhibitis creaturis per eas maluit visum cæco dare, quam solo diuinæ suæ voluntatis verbo, aduertere potuit huiusmodi creaturarum vsum, nec superstitionis causam esse, nec à Deo homines abducere, sed contrà Dei potentiam maxime illustrare, & religionis incrementum subseruire. Sic enim ad hunc locum scribit. *Neq; in luto, neq; in aqua Siloem quicquam ad sanandos oculos fuisse*

Institut.
lib. 4. c. 14
num. 14.

Sacramen-
talium e-
levationis
virtus.

In Com-
ment. in
c. 9. Ioan.

virtutis certū est. Sed Christus liberè externis istis symbolis sua miracula non semel ornauit, siue vt fideles assuefaceret ad signorum vsum; siue vt ostenderet suo arbitrio subesse omnia, siue vt testatum faceret tantum esse potentia in singulis creaturis quantum ipse dare velit. Pulchrum & præclarum aduersus semetipsum testimonium dedit. Si enim in luto & aqua supernaturalem hanc virtutem visum cæco à natiuitate conferendi collocare Christus voluit, vt suos fideles ad signorum vsum assuefaceret; certè in variis sacramentis suis supernaturalem virtutem ponens, nō superstitione aliqua eorum mentes alligat; sed suos fideles ad signorum vsum, haud dubiè religiosam ac piū assuefacit. Rursum si hoc suo facto ostendere Christus voluit, suo arbitrio subesse omnia, & testatum facere tantum esse potentia in singulis creaturis, quantum ipse dare velit, profectò doctrina Ecclesiæ in Scripturis fundata & tot Patrum testimoniis roborata de Sacramentorum Christi virtute & efficacia, nec magnificentius quàm oportuit de Sacramentis loquitur, nec ad rei corporeæ spectaculum potius quàm ad Deum adducit, sed Dei gloriam amplificat, Dei arbitrio omnia subesse ostendit, & creaturarum spectaculo nihil, sed Dei potentia totum tribuit, testatum faciens tantum esse potentia in creaturis quantum ipse dare velit. Voluit Deus, si vera narrat Paulus per lauacrum regenerationis saluos nos facere. Credendum igitur, illi lauacri vim regenerandi inesse, tantum scilicet potentia quantum ipse dare voluit. Nempe sicut in hoc cæco lavando per lutum & aquam fecit Christus quantum facere voluit, & hoc lutū & aqua quasi instrumenta à Christo separata cum eius humanitate ac diuinitate cōcurrerant, sicut in scribendo scriptoris manus cum calamo concurrunt; sic in omnibus Sacramentis per illas creaturas quas pro earum materia assumere Christus voluit, facit in illis quantum facere vult, tantum illis potentia inesse testatur quatum dare voluit, & creature illæ, aquæ, olei, & cæterarum rerum sacramentalium, quasi instrumenta à Christo separata cum eius humanitate ac diuinitate ad effectus gratiæ cuique Sacramento proprios concurrunt. Sic in multis aliis operibus miraculosis facere Christus voluit, vt hæc frequenti creaturarum cooperatione ad Sacramentorum suorum vim intelligendam nos quasi manu duceret, & vt Calvinus dixit, ad signorum vsum fideles assuefaceret. Sic per simbriam & per corpus & per deitatem Christi mulier illa hæmorrhoißa sanata est. Nam ad tactum simbriæ, quæ erat instru-

men

Tit. 2.

Luc. 8.

mentalis causa separata, *exiit virtus* de Christi corpore vt instrumento coniuncto, sed de diuinitate vt principali ac propria causa. Sic in ciuitate Naim uicem matris filium tactu corporis sui resuscitauit. Sic digitis & spūto loquelam & auditum reddidit dæmoniacō. Sic Archifynagogæ filiā & manus contactu & uerbo ad vitam renouauit. In quibus omnibus, & rebus sacramentalibus, illud obseruare oportet, quod sicuti per se mota, vel ab alia quapiam creatura agitata, nullum supernaturalem effectum producere possunt; sic tam illæ quàm aliæ quæcunque creaturæ à Deo aut Christo motæ quemlibet effectū operari possunt, quæ per illas operari Deus uelit: idque adeò vt effectus naturali operationi suæ contrarios, Deo illas applicare, producant. Nam & in hoc cæco sanando lutum visu cōferendo maximè ex natura sua ineptum erat, sicut aliàs aqua lepræ sanandæ (qua tamen ablutus Naaman Syrus à lepra liberatus est,) & massa ficorum vlceri sanando (qua Ezechias Rex per Prophetam Dei sanitatem recuperauit) prorsus ex sese suaque vi non inepta tantum, sed & aduersa erant. Hæc igitur explicatio ad omnium hodie hæreticorum incredulitatem conuincendam sufficit; qua pertinaciter negant, ex Sacramentorum Christi perceptione ullam fidelibus spiritualem gratiam conferri: eaque ad nihil aliud instituta esse dementissimè asserunt, quàm vel ad testificationem quandam gratiæ cōferendæ, vt Lutheranis placet; vel ad oblationem gratiæ iam dudum collatæ, vt Caluino libuit; vel ad solam fidem roborandam & confirmandam, vt ferè omnes uolunt: de quibus alio in loco diximus.

31. *Scimus quia peccatores Deus non exaudit: sed, si quis cultor Dei est, & uoluntatem eius facit, hunc exaudit.*

Habet hîc locus difficultatem non modicam, sit ne uera an falsa hæc cæci restituti propositio: tum si uera, an generaliter uera, vel in certis casibus, & quibus tandem illis. D. August. hoc loco tract. 44. & contra Parm. lib. 2. cap. 8. & ante eum Orig. hom. 3. in Isaiam, aiunt hæc sententiam esse falsam, & ab homine nondum per fidem illuminato: quia si Deus peccatores non audiret, aut neminem audiret, quum omnes peccatores sint, aut ipsos impios qui per poenitentiam ad Deum recurrunt, nunquam audiret. Quare & D. Basilus Const. monast. cap. 2. docet peccatores in multis exaudiri à Deo, & exēpla in Scripturis sunt tam de bonis tēporalibus, vt

An peccatores Deus exaudiat.

Ionæ 1, vbi idololatræ Deum inuocantes à tempestate liberantur; quàm de spiritualibus, vt publicanus Luc. 18, & filius prodigus Luc. 15, & denique de ipsis miraculosis operibus (de quibus hic specialiter loquutum esse cæcum aliqui existimât) vt Matth. 7. *Domine, in nomine tuo eiecimus demonia.* Ex quibus verbis etiam ipsos hæreticos in operatione miraculorum à Deo exaudiri probat Iustinus Martyr in resp. 5. ad qq. Gentilium. August. quoque lib. 83. qq. q. 78. & Greg. lib. 9. epist. 38. & Moral. lib. 20. cap. 9. idem docent.

Peccatores
quomodo
Deus non
exaudit.

Vera nihilominus est hæc cæci sententia & magni momenti veritatem complectitur rectè intellecta Deus nūquam exaudit peccatores, vt ex eorum voluntate & petitione opera mirabilia faciant (quale hic Christus fecit) sed amicos tantum suos, iustos, ac sibi gratos. Quamuis enim mali multi, ipsique etiam hæretici interdum signa facere permittantur, tamen nunquam id obtinent aut simplici sua oratione ac petitione, aut vt ipsis seu doctrinæ seu pietatis ratione aliqua commendatio accedat, (hoc enim esset falsitati testimonium perhibere) sed id obtinent partim ex signo aliquo iustitiæ, vt signo crucis, inuocato nomine Iesu, &c. non opere aliquo aut signo proprio (vt docet Augustinus libro 83. qq. q. 79 partim ex eo quòd ad alicuius veritatis confirmationem id signum applicant; sicut ille qui à fide Christi alienus tamen *in nomine Christi eiecit demonia*, Marci cap. 9. quem Christus impediri noluit. Sic ergo ratiocinatus est hic cæcus: Deus peccatores non exaudit conantes suo aliquo opère aut sua virtute signa facere, idque in suam ipsorum commendationem. Hic autem homo sua voluntate suisque certis operibus facit signa à seculo non audita, idque in testimonium suæ doctrinæ. Necessè est ergo quòd hic sit à Deo, & non sit (vt vos dicitis) peccator. Deinde peccatorum oratio potest esse impetratoria, tamen nunquam meritoria. Loquitur autem hic cæcus de illorum oratione quam Deus ex iustitia exaudit. Illa non nisi iustorum est. Rursum peccatorem intelligit hic cæcus non quemlibet, sed impium aliquem, qualem Pharisei Christum esse blasphemabant, dicentes, *Scimus quia hic homo peccator est àmphtoros*; quo sensu de Magdalena dixit Lucas, *Fuit in ciuitate mulier peccatrix.* Habet igitur hæc sententia doctrinam illustrem: quam ipse in hunc locum, sed contra caput suum tradidit Calvinus. Sic enim scribit. *Peccator hic impium & sceleratum significat. Est autè hæc perpetua scriptura doctrina, quòd Deus non exaudit nisi à quibus vero & sincero corde*

Luc. 7.

voca

vocatur. Nam quum sola fides ianuam nobis ad Deum aperiat, certum est impios omnes ab accessu eius arceri. Imo testatur se abominari eorum preces, sicut ad eorum sacrificia nauseat. Singularem enim privilegio filios ad se inuitat, & solus est spiritus adoptionis qui in cordibus nostris clamat, Abba Pater. In summa, nemo ad Deum orandum ritè est comparatus, nisi qui cor fide purgatum habet. Impij verò sicuti in suis precibus sacrum Dei nomen profanant, ita potius huius sacrilegij pœnas dare merentur, quàm ut quicquam in salutem impetrent. Hæc ille, quæ omnia contra alia Caluini axiomata plurimum valent. Si enim peccator hinc impium & sceleratum hominem significat, & impij ac scelerati omnes à Deo arcentur, nec exaudit alios Deus quàm à quibus vero ac sincero corde vocatur, quia singulari privilegio filios adoptionis ad se inuitat, impiorum autem preces abominatur, & sacrificia nauseat; necesse nunc est ut agnoscat Calvinus, filios adoptionis & Deo gratos non esse in sese impios ac sceleratos, sed esse pios ac bonorum operum executores, habere quoque inhærentem animo puritatem ac iustitiam, quia vero & sincero corde, non hypocritico, impuro, ac sordido, Deum invocant. Repugnant ista ex diametro imputatiuæ iustitiæ, quæ hominem ex sese impium haberi pro iusto coram Deo statuit. Infarcit hic quidem Calvinus aliqua de fide, dicens, quòd sola fides ianuam nobis ad Deum aperit; & quòd ad orandum ritè comparatus nò est, qui cor fide purgatum non habet. Sed aut hæc fides omnem cordis impuritatem tollit; & qui eam tenent, puro ac sincero corde Deum colunt, à scelere & flagitio immunes, ut sic à Deo exaudiantur (atque ita manet repugnantia, quam diximus, cum aliis ipsius placitis) aut totam vitæ impuritatem hæc fides Calviniana compatitur, & sic sola fides ianuam ad Deum aperit, ut qui ea sola carent, impij & scelerati censeantur, atque ita egregium fucum lectori fecit; imò perpetuæ Scripturæ doctrinæ fucum fecit impius Calvinus: qui quod contra moribus impios ac sceleratos disputasse videtur fuerat, & quod perpetua Scripturæ doctrina contra moribus impios ac sceleratos apertè tradidit, tales ab accessu Dei arceri, nunc non nisi contra eos qui fide carent, totum dixerit. Atqui verba hæc, quæ non ex vulgi opinione, sed iuxta perpetuam Scripturæ doctrinam vera esse vult, non de sola fide aut de solis incredulis, sed de vitæ quoad mores puritate, & de impiis ac sceleratis loquuntur. Negat impios ac sceleratos à Deo exaudiri. Ait eos exaudiri, qui cultores Dei sunt quoad religionis veritatem,

Imputati-
 ua iustitia
 ex Calu-
 ni verbis
 euertitur

ac veram fidem, & qui faciunt voluntatem Dei, quoad virtutis studium, ac mandatorum Dei obseruationem. Denique opponit illis peccatores, non incredulos.

35. *Audiuit Iesus quia eiecerunt eum foras: & cum inuenisset eum, dixit ei: Tu credis in filium Dei?*

HOc cæci exemplum à Christo in Sabbato illuminati, illuminationem suam confitentis ac fortiter defendētis, eoque nomine à Synagoga eiecti, & per Phariseos excommunicati, posteaque à Christo quæsi, inuenti, & fidei lumine donati, existimauit Calvinus ad suam suorumque causam commendandam peregre facere, qui similiter ab Ecclesia excommunicati tunc primum nouo fidei fulgore à Christo illustrati sunt. Sic igitur scribit. *Si retentus fuisset in Synagoga, periculum erat ne paulatim à Christo alienatus in idem cum impiis exitium mergeretur. Quomodo igitur tam multi Iudæi in Christum crediderunt à Synagoga nunquam eiecti, quum hoc Phariseorum edictum, eiiciendum è Synagoga qui Christum confiteretur, non nisi in vltimum prædicationis Christi annum incidere, & in admodum paucos executioni mandatum legatur? Sed pergat in præclara sua disputatione Calvinus. Nunc extra templum vaganti Christus occurrit. Eiectum à Sacerdotibus excipit, & amplectitur, erigit prostratum, vitam offert ad mortem addicto. Quid ergo? An propter hoc exemplum expedit extra templum vagari, expedit excommunicari, vt sic vagantibus, eiectis, prostratis occurrat Christus & manum porrigat? Ergo iuxta Caluini pulchram disputationem id agant sedulo fideles, vt extra sua templa vagentur, vt à suis Præpositis, Pastoribus, Episcopis excommunicentur, vt consistorio à suis Senioribus eiiciantur, ne videlicet tanto bono priuentur, Christi que auxilio & fauore speciali careant, qui sic vagantes excipit, sic eiectos amplectitur, sic prostratos erigit, sic ad mortem addictis vitam offert. Aut igitur in exemplum perpetuum trahi non debet, cuius consequentia tam absurda est, aut distinguere prudenter oportet, quid sit è Synagoga Pharisæica iam abrogationi proxima propter Christi confessionem eiici, & quid ab Ecclesia Christi in perpetuum mansura propter nouitates hæreticas excommunicari; quid vera quid falsa decernit Ecclesia, quid iusta quid iniusta operatur excommunicatio. Calvinus tamen quasi ad omnem pedem vnus calceus aptari debeat, pulchre se ratiocinari existimat*

Excommunicatio hæreticorum à Caluino ridiculè defensa.

stimat à Synagoga Pharisæica ad Ecclesiam Christianam, & à confessione Christi ad abnegationem eius. Sic enim ad factum suum rem adaptat. *Hoc idem (inquit) & nostro tempore experti sumus. Nam quum Lutherus & alij similes initio crassiores Papa abusus reprehenderent, vix tenuem habebant puri Christianismi gustum: postquam in eos fulminavit Papa, ac terrificis bullis à Romana Synagoga eiecti sunt, manum illis porrexit Christus, ac penitus illis innotuit.* Hæc est præclara Calvini pro Luthero & aliis similibus, quin & pro seipso ratiocinatio, & pulchra collectio, quæ ex ipsis Calvini verbis statim subvertitur. Si enim Lutherus quum à Papa excommunicaretur, *nisi Lutherus tenuem habuit puri Christianismi gustum, & tamen antequam Calvini excommunicaretur, editis libris, de libertate Christiana, de captivitate Babylonica, & aliis, ex quibus articuli illi 40. quos Leo Papa dånauit, desumpti fuere, pro Magistro fidei se gefit, & de grauissimis in fide dogmatibus, quæ illi articuli complectuntur, suum iudiciũ interposuit, omnes aliter sentientes clara voce condemnans, absque vlllo dubio meritissimè excommunicatus fuit.* Quomodo enim verus lusus ac seductor nequam & impostor populi non erat, ideoque meritò damnatus, *qui nisi tenuem adhuc habens puri Christianismi gustum, vt Calvinus affirmat, de Christianæ fidei præcipuis articulis ram præsidenter & arroganter decernere ausus fuit? nec arroganter pãntum & temere, sed etiam ignoranter & mendaciter, nec minus etiam pertinaciter multa docere? Nam quum nisi tenuem gustum puri Christianismi tunc habuit Lutherus, vt Calvinus affirmat, huic tenuem gustum ille postea deponere nunquam voluit aut aliter docere quàm docuerat. Tenuem Christianismi gustum in Luthero vocat Calvinus, eò quòd in multis articulis, maximè de Cœna Domini, aliter sensit Lutherus quàm Calvinus, tam ante excommunicationem à Papa factam quàm rota vita post.* Vide nunc igitur collectionis Calvinianæ summam stupiditatem. Lutherus antequam excommunicaretur, *non nisi tenuem habuit puri Christianismigustum, quia in multis articulis nec dum totam tenuit veritatem, quam ad putum Christianismum pertinere iudicat Calvinus. Sed eundem gustum etiam post excommunicationem perpetuò tenuit, nec puritatem illam Zvvinglianam (quæ eadem penè Calviniana est) vnquam gustare potuit, acerrimè vsque ad mortem contra Zvvinglianos scribens & declamans: ergo post excommunicationem à Romana Ecclesia non porrexit illi manum Christus, nec illi penitus innotuit, vt*

iudicio merito excommunicatus

Calviniana collectiois alia stupiditas.

hic mendaciter Calvinus affirmat. Ita vel tota contruit Caluini comparatio, vel ipsi centè Caluino. Christus nunquam penitus innotuit, qui cum Lutheri placitis nunquã penitus conuenire voluit. Sed hac cæcitate & veragine merito feruntur, vt alios ferire volentes, seipsos grauissimè vulnerent, qui contra stimulum calcitrant, & in Ecclesiæ petram sua cornua frustra illidunt: vnde frangantur ipsi, illa manente illæsa, contra quam & portæ inferi non præualebunt.

IN IOANNIS CAP. X.

- I. *Amen amen dico vobis: Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, fur est & latro.*



VIA cæco restituto propter Christi confessionem è Synagoga eiecto, eo ipso facto Christum esse pseudopphetam, omnèsque illi adhzrentes seductos esse Pharisei publicè declarabant, ad hanc impiam & periculosam sententiam hominum animis eximendam (agebatur enim quasi de summa rei, vbi ipsa docetis Christi persona & autoritas in quæstionem vocabatur) docet diligenter & cum magna asseueratione, adeò seductorem se non esse aut pseudopphetam aliquem à nemine missum, vt ipse sit omnium Prophetarum caput, Pastorum princeps, & ostium ipsum totius ouilis, scilicet per cuius fidè intrare semper oportuit in ouile gregis Dominici, ideòque qui per ipsum non intrarunt, sed aliunde quàm per ipsum ascenderunt, vel seipsos ingerendò, vel in eum non credendo, illi demum fures sunt & latrones, qui vel ad spoliandum vel ad mactandum veniunt. Quibus verbis etiam ipsos Pharisæos perstringit, qui quum populi doctores essent, Christum repulerunt, per quem tam illi, quàm populus quem regebant, salutem consequi debebat: quod in illis verbis expressit: *Ego sum ostium: per me si quis introierit, saluabitur.*

Ex hac igitur Christi doctrina cœlesti & saluberrima, qualia & quæ venena exfluxerit Calvinus, vt ab Ecclesiæ vnitæ Christianos diuellat, verèque furem & latronem ipsemet agat, aduertere operapretium est. Multis enim verbis hanc causam tractat, veluti nefarij sui schismatis apologiam, & veluti omnibus lectoribus suis classicum canès, vt contra Ecclesiarum Pastores ac Præpositos audacter insurgant. Totam eius disputationem proferam, & breui annotatione singula refutabo quæ refutatione egent. *Quia (inquit) negotium Christo*

Christo erat cum Scribis & Sacerdotibus, qui habebantur Ecclesia Pastores; si vellet doctrinam suam recipi, necesse erat illos spoliare huius tituli honore. Errat Calvinus. Christi enim scopus erat, suam auctoritatem statuere, & quod ille esset ostium ouium docere; quæ erat doctrina omnibus temporibus necessaria; non Pharisæos suo honore spoliare, quos adhuc in cathedra Moysis sedere & passus & professus erat. Demas tamen hoc Christum quoque respexisse, & aliquo modo huc etiam collimasse, quod non est penitus improbabile. Poterat etiam (ait Calvinus) multum fidei derogare eius doctrina credentium paucitas. Nugæ. Nec de paucitate credentium in hoc capite quicquam disputat Christus, nec eius doctrinæ paucitas credentium derogare potuit, qui Ecclesiam nouam non collegit, sed eius per Apostolos colligendæ semina iecit. Contendit ergo non omnes in Pastorum vel ouium numero habendos, qui externum in Ecclesia locum usurpant, sed hac demum nota legitimos Pastores à reprobis, genuinas oues ab adulterinis discerni, si ipse vnus omnium scopus sit, principium, & finis. Hic impostorem agit Calvinus, & oscitantem lectorem in nassas suas facile pertrahit. De externo in Ecclesia loco nihil hîc contendit, nihil disputat Christus. Verum quidem est, legitimos Pastores & genuinas oues Christi, illum vnium pro scopo habere, in illum vnum credere, in illum amando tendere debere. Tales autem Pastores & tales oues profectò externum in Ecclesia locum tenent, & ipsammet constituunt Ecclesiam. De talibus ergo disputat Christus, docens se ostium ouium; sed de externo in Ecclesia loco nihil disputat, nec vel docet, vel vilo verbo insinuat, externum in Ecclesia locum, vel Pastores vel oues usurpare, qui tales nō sunt. Hoc sibi finxit nefarius impostor, vt ab externæ Ecclesiæ vnitatem homines diuellat, & Christum à suo corpore seiungat. Est igitur Christus & Pastoribus & ouibus, vnicus scopus, principium, & finis, sed in externa & visibili per totum orbem Ecclesia. Est Christus caput, sed corporis sui, quod est Ecclesia, & que externa aliqua, vt locum habere vox illa semper possit: Dic Ecclesia. In hac impostura tota reliqua fundatur Caluini disputatio, ideòque attentius perpendenda est. Hec (inquit) almonitio cum omnibus seculis utilis fuit, tum hodie præsertim necessaria est. Respondeo: Hæc impostura cum omnibus seculis aduertenda, & diligenter cauenda est, tum hodie præsertim necessariò aduerti & cauendi debet. Nulla est nocentior Ecclesia pestis, quàm dum lupi sub Pastorum larua grassantur.

*Apologia
schismatis
Caluiani
refellitur.*

Calvinus.

*Ephes. 1.
Matth 18.*

Calvinus.

Calvinus.

Opti

Calvinus.

Hæretico-
rum carni-
ficina de
deserta Ec-
clesia.

Calvinus.

Optima propositio: & idè nocentissima pestis Calvinus fuit, qui Genevæ sub Pastoris larua lupis tot annis grassatus est. Idè vt sub Pastoris larua caueatur lupus, externæ Ecclesiæ adhærendum est, in qua sola veri Pastores sunt à Christo dati, & perpetua ac legitima successione conspicui. Scimus etiam quàm durum offendiculum sit, quum spurij vel degeneres Israëlita se pro Ecclesiæ filiis venditant, & hoc prætextu insultant fidelibus. Si extra Ecclesiam non possunt esse fideles, meritò & optimo iure Ecclesiæ Catholicæ filij fidelibus Calvinistis insultant: qui se pro Ecclesiæ filiis, quum verè spurij ac degeneres sint; venditare non audent; idèoque desertæ Ecclesiæ sibi conscij durum meritò offendiculum, & magnam conscientia carnificinam sentiunt, quando se non Ecclesiæ membra, sed sarmenta præcisa esse, vel ab aliis audiunt, vel nemine loquente ipsimet sentiunt. Virique malo per continuos ferè atatum successus obnoxia fuit Ecclesia, sed hodie rudes & infirmos nihil magis perturbat quàm quum sanctuarium Dei vident à summis Euangelij hostibus occupari. Lupi sanè sub larua Pastorum, id est, hæretici magistri & pseudoprophetae, cum sectariis suis, qui se fideles nuncupabant, per omnes atatum successus fuere: sed hodie potissimum maximo numero grassantur. Si huiusmodi interdum aliquo scrupo turbantur, quòd vident se ab Ecclesiæ vnitare recessisse, & nefario schismate à Pastoribus suis sese separasse, ac debique à Christi corpore, quod est Ecclesia, alienos, in maximū salutis discrimen coniectos esse, non idè perturbantur quòd sanctuarium Dei ab Euangelij hostibus occupatur; sed idè stimulante conscientia vtuntur, quòd sanctuarium Dei ab Euangelij hostibus occupari non posse ex aliqua adhuc relicta fidei scintilla aduertunt, memores verborū Christi, *Contra Ecclesiam meam porta inferi non præualebunt*; & eius quod dixit Paulus, *Ecclesiam columnam & firmamentum esse veritatis*. Denique quòd sanctuarium Dei ab Euangelij hostibus occupetur, rem ita absurdam esse, vt implicet contradictionem in adiecto. Aut enim sanctuarium Dei est à quo recesserunt, & ab Euangelij hostibus occupari non potest; aut ab Euangelij hostibus occupatur, & sanctuarium Dei non est. Sed non est mirum si ipsa Ecclesiæ lux, quæ lux mundi est super montem posita, & abscondi non potest, sic in hæreticorum oculos aliquando incurrat, & suo fulgore ita percellat, vt quantumlibet improbi perturbentur interdum, & animo eruciantur, quòd à sanctuario Dei, ab Ecclesia Christi Catholica, recesserint. Neque enim

(ait

(ait Calvinus) facile in animum inducunt, Christi doctrinam esse, cui tam acriter ab Ecclesia Pastoribus resistitur. Merito id quidem, quando (Apostolo teste) Christus Ecclesie sue Apostolos, Pastores, & Doctores dedit ad consummationem sanctorum, ad corroborationem fidelium, ad edificationem, & collectionem corporis Christi, ut non circumferamur omni vento doctrina. Iustissimus hic & necessarius scrupus est. Aut enim Christi doctrina esse non potest, quam illi contra Ecclesie Pastores tenent, qui à Christo dati sunt ut veram doctrinam perpetuo traderent; aut illi qui sic acriter resistunt, & à quibus sibi metuunt, Ecclesie Pastores non sunt, ut ideo ab illis sibi metuere non sit opus. Sed quia nemo repente fit turpissimus, qui recenter ab Ecclesia recedunt, necdum in hæresi animum obfirmarunt (quos rudes & infirmos Calvinus vocat) hoc acerrimo stimulo pungi & scrupo percelli necesse est.

Videbimus statim quod huic morbo remedium Calvinus adferet. Interea quid adhuc speculetur audiamus. Deinde quia maior pars falsis doctrinis circumducitur per falsos errores, dum singuli alios respiciunt, & expectant, nemo ferè in rectam viam se patitur adduci. Hoc schismaticis ac hæreticis omnibus à Catholica Ecclesia egressis accidere facile crediderim. Tales enim, relicta semel regia & tota credendi via, omni vento doctrinae circumferuntur, modo huic modo illi sectæ se adducunt. Nunc hanc nunc illam sententiam tenent. Nunc huic nunc illi Magistro adhærent. Denique qui legitimos Pastores semel contemnere didicerunt, non ita facile aliis se subijcunt. Quod ergo horum malorum remedium? Ergo (inquit Calvinus) nisi lupis & furibus sponte nos exponere libet, ne in larvatis Pastoribus vel ouibus fallamur, imprimis cavendum est. Rectissime. Sed quæ cavendi ratio? Magnificum (inquit) est Ecclesie nomen, & merito. In ea igitur manendum; & (ut ait Augustinus) eius Ecclesie gremio nos condere sine vlla dubitatione debemus, quæ usque ad confessionem generis humani ab Apostolica sede per successiones Episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus, & partim ipsius plebis iudicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiã miraculorum maiestate damnatis, culmen authoritatis obtinuit. Cuius molle primas partes dant, vel summa profecto impietatis est, vel præcipitis arrogantia. Est igitur in Ecclesia manendum, eaque Catholica & Apostolica, per successiones Episcoporum, seriè continua propagata. Sed (inquit Calvinus) quo plus reuerentia meretur Ecclesia, eò magis sollicitè ad notandum vera vel falsa Ecclesia discrimen

In libro de
utilit. cre-
dendi, cap.
17.

intentos nos esse docet. Verum quoque & illud, atque imprimis necessarium. *Habent enim & vespa alucaria sua, habent Marcionita Ecclesias suas*, ait Tertullianus. Nunc an istud discrimen notare Calvinus queat, attendamus. *Apertè* (inquit) *hic negat Christus pro Pastoribus habendos, qui tales se iactant, vel censendos esse in omnibus quicumque externis insignibus gloriantur.* At ubi, quæso, vel in quibus verbis hoc negat Christus? Fallit lectorem, mentitur. Deinde si non sunt pro Pastoribus habendi qui tales se iactant, ergo & veri Pastores repudiandi sunt. Nam & illi haud dubiè Pastorum nomen, titulum, auctoritatem meritò sibi venditant. Obserua quàm vafre loquitur Calvinus. *Non sunt* (inquit) *pro Pastoribus habendi qui tales se iactant* id est, qui toto orbe Christiano pro talibus habentur. Hoc unum tacitè yrget, & clam premit: ut qui in Catholica Ecclesia Pastores habentur, ab omnibus repudientur. Et quia tales Pastorum nomen necessariò sibi venditant, ait negare Christum tales pro Pastoribus habendos. Unde sanè sequeretur, ipsum Calvinum, & alios omnes tam Calvinicos quàm Lutheranos quàm cuiuscunque sectæ ministros, hoc eodem nomine reitici oportere. Cui enim dubium, quin illi omnes & singuli pro Pastoribus se iactent, Pastorum nomen sibi venditent, veluti Pastores audiri à suis omnibus velint? Sed impostor, si verè ac propriè loqui vellet, hoc dicere debuit: Non esse *omnes* pro Pastoribus habendos qui tales se iactant. Hæc enim vera est propositio, ramer si à Christo hoc loco non affirmata. Sed si ita loqueretur, facile vidit propositum suum huiusmodi verbis nihil iuvari, & lectorem statim intellecturum, generatim illam propositionem nihil probare, sed probandum superesse, qui tandem veri Pastores censendi forent, ex illis *omnibus* hoc sibi nomen venditantibus. Nunc aurem quia non veritati, sed imposturæ studuit, ita loqui voluit, ut Catholicæ Ecclesiæ Pastores qui apud vulgus Christianorum tales habentur, & pro talibus se meritò venditant, non pro huiusmodi habendos esse lectori persuadeat, idque quia Christus hoc negat, atque adeò apertè hoc loco negat. *Apertè* (inquit) *hic negat Christus*, ubi ter mentitur. Nam nunquam hoc negat Christus, multo minus hoc loco negat, & omnium maxime apertè id negat. Hoc verò quod diximus Calvinum propositum in sequentibus suadere contendit. *De Iudaica* (inquit) *Ecclesia sermonem habet.* Falsum est istud. Christus de nulla Ecclesia in verbis citatis sermonem habet: sed id vnam ostendit

Calvini
salvanda-
cium.

Impostu-
ta.

Ergentis
ridiculum.

Calvini
mentis
plex.

Aliud mō-
dum.

per parabolam pastoris rustici, se esse & ostium totius ovilis, ut in eum credere debeant qui in ovili seruari volunt (*Ego sum ostium, si quis per me introierit, saluabitur*) & bonum Pastorem: qui autem ante eum venerunt, seu Iudæos illos plethodopphetas intelligas, Iudam, Theodam, qui, quod Christo erat proprium, sibi arrogarunt, seu alios quoscunque humana philosophiæ magistros, qui ad summum bonum discipulos suos adducere tentabant, fures fuisse & latrones. De Iudaica autem Ecclesia, de Synagoga non loquitur, quasi quocumque ante Christum Synagoga præessent, vel in Synagoga docuissent, fures fuerint ac latrones: quo nihil absurdius dici potest. Profsus igitur falsum ac futile est, de Ecclesia Iudaica Christum hic loqui. Audiamus tamen adhuc quid ex eo inferre velit. *Nostre* (inquit) *Ecclesia in hac parte non dissimilis est ratio.* Ac hoc non minus falsum & absurdum est. In more quidem est Caluino aliisque hæreticis, Ecclesiam Christianam, Synagoga Iudaicæ; Catholicæ Ecclesiæ Episcopos ac Pastores, Pharisaïs & Sacerdotibus qui Christi tempore Synagoga præerant, accomparare. Sed illa comparatio, quàm absurda, insana, & impia sit, iam aliis in locis huius operis nostri satis luculenter ostendimus, ut nihil hic vel repetere vel addere opus sit. In his igitur duabus propositionibus, præterquam quod falsæ sunt & absurde, aduertat lector nihil attulisse Caluinum, cur pro Pastoribus haberi non debeant qui vulgò tales habentur.

Iam aliam viam aggreditur. *Spectandus* (inquit) *est consilius Christi finis quam dixi, ne scilicet terreantur vel labascant infirma conscientia, quum Euangelio infestos vel contrarios tenuerit qui Pastorum loco regnant in Ecclesia: ne à fide propterea resiliant quod paucos ex vulgo Christianorum in auuenda Christi doctrina condiscipulos habeant.* Rursum mentitur, fingendo sibi consilij Christi finem, qui in textu Euangelico non comparat. In more hoc Caluino est, audacter fingere: ut callidè decipiat. Hoc ipsum quoque quod *consilium Christi esse* homo audax confingit, consilio Christi vero in Scripturis reuelato, & per Paulum asserto (verbis ad Ephes. 4. *quæ sitis*) ex diametro repugnare, nec fieri posse ut Pastorum loco in Ecclesia regnent qui Euangelio sint infesti & contrarij, superioribus ostensum est. Sed nec de paucitate credentium aliquid Christus in hoc capite agit. Promissiones à Christo Ecclesiæ suæ factæ multitudinem credentium sonant, & de propaganda toto orbe Euangelij doctrina loquuntur

Act. 1.

Ad Matt. cap. 21. & ad Ioan. cap. 7.

Caluinus audacter fingit, ut callidè decipiat.

(vt

De principiis
fidei
lib. 2.

(vt alibi ex Scripturis ostendimus) non de huiusmodi credentibus, qui ex vulgo Christianorum paucos habeant in doctrina Christi condiscipulos, quales hic suos Calvinus describit, & quæ propria est Partis nota, Catholica Ecclesia, quæ totum sonat, proisus contraria. Habere paucos condiscipulos ex vulgo Christianorum in audienda Christi doctrina, est omnino tenere partem Calvini, partem Lutheri, sicuti tenebant olim alij partem Nouati, vt scripsit Cyprianus; & partem Donati, vt scripsit August. Hactenus ergo non nisi sectarium se esse, & veræ Ecclesiæ hostem, veluti suo se sortis indicio, Calvinus prodidit.

Videamus adhuc alia eius commenta, quibus nititur à Catholicæ Ecclesiæ vnitatem lectores suos abducere, Euāgelicam hoc loco Scripturam deprauans. *Quum* (inquit) *Ecclesiam Christus faciat similem ouili, in quo Deus omnes suos aggregat; se comparat ostio, quia non alius quam per ipsum in Ecclesiam pateat ingressus. Hinc sequitur, eos demum probos esse Pastores, qui recta ad Christum ducunt; eos in Dei ouile verè colligi, vt censeantur in eius grege, qui se vni Christo addicunt. Caterum hoc totum ad doctrinam refertur. Nam quum in Christo absconditi sunt omnes sapientia & scientia thesauri; qui inde alio deflectit, neque viam tenet, neque per ostium ingreditur. Sunt hæc omnia verissima. Quid ex istis inferet Calvinus? Nunc* (inquit) *quisquis monitorem Christum non aspernabitur, facile se ab ea dubitatione expediet (quæ tam multos perplexos tenet) quanam sit Ecclesia, & quinam sint Pastorū loco audiendi. Quomodo aut quæ tandem via? Attende, Lector, an rem tantam dexterè & aptè doceat. Nam* (inquit) *si nos à Christo abducere tentant qui Pastores vocantur, fugiendi sunt Christi iussu non secus ac lupi vel fures. Istud adhuc non docet quæ sit vera Ecclesia, sed aliqua ex parte docet quæ non sit vera Ecclesia. An non verò longè aliud est scire, hanc urbem non esse Romam, quàm esse Romam? Qui Mediolanum demonstrat, dicens: Hæc non est Roma, an adhuc me docuit, quæ aut vbi sit Roma? Sic Calvinus proposita dubitatione quæ sit vera Ecclesia (qua nulla dubitatio maior est, & quæ meritò tam multos, vt ipse faretur, perplexos tenet) respondet, Hæc non est vera Ecclesia, quæ à Christo nos abducit. Sed an propterea scire possum vbi vel penes quos sit vera Ecclesia? Iam quidem didici ibi non esse veram Ecclesiam, vbi in Christum nō creditur, ideóque neque apud Mahometem, nec apud paganos quærendam esse Ecclesiam. Sed adhuc nō audio vbi vel apud*

Calvini doctrina de vera Ecclesia inuenienda.

quos illa quæri possit. Sic hactenus nihil dicit, nihil docet. Videamus quod sequitur. *Nec cum alio grege ineunda vel colenda societas, quàm qui in pura Euangelij fide conspirant.* Hic aliquid dicere & docere videtur, vt sciam non solum quæ non sit, sed etiam quæ sit vera Ecclesia. Sed hoc aliquid nihil est. Si enim omnes qui Euangelium profitentur, in pura Euangelij fide conspirarent, aut si hoc ipsum, *In pura Euangelij fide conspirare*, res esset per se nota, omnibus clara & perspicua, rectè ex eo intelligerem quæ sit vera Ecclesia, & cum quo grege ineunda ac colenda societas esset. Nunc autem quum Euangelium profiteantur, & in Euangelij pura fide conspirare se dicant, contendant, affirmant, non solum sectæ reliquæ omnes haud secus quàm Caluinica secta, sed imprimis ipsa Catholica Ecclesia, illique toto orbe Pastores qui vulgo Christianorum præstant; quis non videt, ambiguam, fallacem, incertam, ac nullam hanc notam esse quam Calvinus designat? illamque dubitationem de vera Ecclesia, quæ tam multos perplexos tenet, necdum esse sublatam, sed auctam potius, & in maiorem creuisse? Multò enim difficilius est quærenti veram Ecclesiam, & veros Pastores, iudicare ac discernere qui tandem in Euangelij pura doctrina conspirent (maximè in tot hodie sectis adeò non conspirantibus, vt in qualibet secta ipsi inter se sectarij digladiantur) quàm talem Ecclesiam cognoscere, qualem in Scripturis Christus promisit, nempe toto orbe diffusam, & perpetuò in terris existentem.

Cæterum hanc suam notam & probare Calvinus vult, & non difficilem ostendere. Expendamus an id efficere queat. Probare eam vult à Christi authoritate sanè maxima. *Hac (inquit) ratione hortatur Christus suos discipulos, vt se ab incredula totius gentis multitudine separent, ne impijs Sacerdotibus regendos se permittant, nec sibi fucum ex vanis & ventosis nominibus fieri sinant.* Vbi aut quibus verbis hoc hortatur? Aduerte perpetuam audacis hæerici impietatem. Christo affingit quicquid à Christo dici vellet. Sui cerebri commentum pro Dei verbo obtrudit. Et vide quàm artificiosè fingat. *Hortatur (inquit) Christus discipulos suos, vt se ab incredula totius gentis multitudine separent.* Tu iam intellige, non dissimiliter à tota Papistarum multitudine, vtcunque non vnam sed multas gentes occupet, separari te debere. *Hortatur ne impijs sacerdotibus regendos se permittant.* Tu iam intellige, nec Ecclesiæ Catholicæ Sacerdotibus ac Episcopis regendum te permittere. *Hortatur ne ex vanis & ventosis nominibus fucum*

Nota Ecclesia Caluiniana peritua incerta.

Calvinus Christo affingit quod à Christo dici vellet.

sibi fieri sinant. Tu iam intellige, cauendam tibi ne vlla Pastorum, Episcoporum, Conciliorum vocabula te moueant. Sed tota hæc triplex adhortatio in fumum eumque foetidum & male olentem euanescit; quia ad hæc omnia nõ Christus sed Caluinus hortatur: nec Redemptoris nostri sed execrabilis impostoris hæc verba sunt. Dæficit igitur probatio, & non nisi turpem infamiam impostoris, impij & mendacis Magistri, ex ea consequutus Caluinus est. Nunc vt notam, quam designauit facilem esse doceat, aduertamus.

Tractans illa Christi verba, *Oues illum sequuntur, quia sequuntur vocem eius:* Notanda est (inquit) ratio cur dicantur oves sequi: quia scilicet Pastores à lupis discernere poterunt ipsa voce. Hic est spiritus discretionis quo electi Dei veritatem à falsis hominum figmentis diiudicant. Ergo in Christi ouibus præcedit veri notitia: deinde accedit seruum obsequendi studium, vt non modo intelligant quid verum sit, sed etiam ex cordis affectu recipiant. Hæc est resolutio Caluiniana, planè ab-

De Prin-
cipi. fid.
lib. 5. &
contra
Vohita-
kerum lib.
3. cap. 15.
sect. 17.

Gal. 1.
2. Ioan. 1.

Heb. 3.
Luc. 12.
1. Cor. 3.

Heb. 13.

1. Cor. 12.

Rom. 16.

furda & impia, vt aliis in locis demonstrauius. Sed hic pauca. *Oues sequuntur pastorem, quia nouerunt vocem eius,* à communi & recepta fide, quam dudum didicerunt, & quam in eius voce agnoscunt. Non enim hic de ouibus in caulas colligendis Christus disputat, sed de iam collectis ouibus & sub Pastore in ouili constitutis. Isti cognoscunt vocem Pastoris à communi doctrina, sicuti non cognoscunt vocem alienorum à doctrina aliena & peregrina. Quando audiunt docentem aliter quàm acceperunt, anathema dicunt. Quando audiunt non afferentem doctrinam illis traditam, nec Aue illi dicunt, sed fugiunt ab eo. Hic est spiritus non discretionis, quo solivalent Pastores & Doctores, qui exercitatos habent sensus in Scripturis, qui sunt prudentes patres familias, scientes dare triticum in mensura, qui quum spirituales sint, diiudicant omnia; sed hic est spiritus obedientiæ, quo Prepositis suis obediunt & subiacent; est spiritus fidei, quo electi donati, non ipsi veritatem à falsitate diiudicant, quasi omnes Prophetæ, omnes Doctores essent, sed obsequenter credant, quod Pastores docent; scientes Christum in Pastoribus suis loqui, & se Christum audire quando Pastores audiunt. Non ergo in Christi ouibus præcedit veri notitia, ac deinde accedit obsequendi studium (vt mentitur Caluinus) sed contra in Christi ouibus præcedit obedientia, vt sic veri notitiam consequantur. Fides enim ex auditu prædicatis Ecclesiæ, (quomodo enim credent sine predicante?) vt postquam audiendo Ecclesiam

credunt, tum demum veri notitiam consequantur. *Fides enim
 procedere debet intellectum* (ait Augustinus) *ut intellectus sit De verbis
 fides premium.* Ita omnia inuenit Calvinus: & quia ad hære- *Dominus
 serm. 5.*
 sim non fidem, ad sectas non ad vnā verā Catholicā
 Ecclesiam, lectorem trahit, ideo ea via procedit qua fiunt
 heretici, non qua iuxta ordinem à Christo institutum fiunt
 credentes & veri discipuli Christi. Ordo Christi hic est, vt à
 Pastoribus accipiatur doctrina, & ex Pastorum iudicio pen-
 deant oues. Calvinus contrā ex doctrina vult cognosci à po-
 pulo Pastores, vt ex ouium iudicio ac veri notitia quam ex
 proprio discretionis spiritu quisque habet, tota Pastorum
 authoritas & tota veræ Ecclesie notitia dependeat. Sic ab
 vnitāte Ecclesie lectores diuelli hoc loco satagit.

16. Et fiet vnum ouile, & vnus Pastor.

Veniente in mundum Christo, duo erant ouilia gregis
 Domini: vnum speciale & notissimum, Synagoga Iu-
 daica; speciale, quia de venturo Messia expressam fidem ha-
 bebāt, præcepta quoque ceremonialia & iudicialia à Deo tra-
 dita, & eloquia Dei illi concredita; notissimum, propter reli-
 gionis amplitudinem & perfectionem, vnde *notus in Iudæa psal. 76.
 Deus, & in Israel magnum nomen eius, & propter accepta Dei
 beneficia peculium Dei (non enim fecit taliter omni nationi. & Psal. 147.
 iudicia sua non manifestauit eis,)* alterum Ecclesia Gentium
 toto orbe dispersa, quæ propter raritatem & paucitatem ou-
 ilis, *mulier sterilis & deserta* in Scripturis vocatur: vbi tamen *Esai. 54.*
 aliqui erant ad ouile Dei pertinentes, vt Iethro Madianita,
 Iob cum tota familia sua, Sibyllæ, & huiusmodi, qui in vnus
 Dei fide & in mandatorum moralium obseruatione cum Sy-
 nagoga conueniebant, sed ad externum cultum quod atti-
 net, iuxta legem naturæ certis & indefinitis sacrificiis (vt
 patet in Iob) Deo seruiebant. Qua de re vide latè disputan- *De Ciuit.
 Dei lib.
 18. cap. 47.
 & de præd.
 Janct. c. 9.
 Ioan. 11.
 Ephes. 2.*
 tem August. Nunc autem dicit Christus quod hæc duo
 ouilia vnum fient ouile; quod postea aliis verbis Euāgelista
 dixit, *Christum moriturum non solum pro gente Iudaica, sed vt
 filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum; & Paulus
 significauit dicens de Christo: Qui fecit utraque vnum, vt
 duos condāt in semetipso in vnum nouum hominem, euangeli-
 zans pacem ijs qui longè fuerunt, & ijs qui propè.* Addit porro
 Christus non solum fore vnū ouile, sed & fore vnum Pasto- *vnum su-
 premium
 Pastor in
 Ecclesia.*

Rom. 2. in qua non erit *distinctio Iudæi & Græci*, non solum vnum populum, vnâ fidem, vnicam religionem, eadem Sacramenta, vnum sacrificium (hæc enim constituunt vnum ouile) sed etiam vnum caput religionis, & vnicum supremum gubernatorem, visibilem & præsentem, qui visibilem & militantem Ecclesiam regat. Sicut enim de ouili visibili & militante Christus hîc loquitur; sic & de vno Pastore seu capite visibili ac militante perpetuò futuro, non de se ad Patrem redituro ac in cælis triumphante loqui necessariò intelligendus est. Hac de causa post resurrectionem suam, quo tempore hoc ouile colligi debuit per Apostolorum prædicationem in vniuerso mundo, eodem tempore vnum pastorem omnibus præfecit, dicens Petro singulariter, *Pasce oues meas*. Sic in alia Scriptura, vbi hæc vnus ouilis collectio manifestè prædicatur his verbis, *Assumam filios Israel de medio nationum ad quas abierunt, & congregabo eos undique, & adducam eos ad humum suam, & faciam eos in gentem vnâ in terra in montibus Israel* (quæ verba Theodoretus his Christi verbis, quæ nunc tractamus, eruditè & verè applicat, nam & alioqui decem tribus cum aliis duabus nunquam iterum sub vno Rege coaluerunt) addit quoque Propheta, *Et Rex vnus erit omnibus imperans*. Hic est vnus Pastor visibilis ac supremus, non ipse Deus, qui manente diuisione Synagoga & Ecclesiæ Gentium, vnus semper vtrique imperabat, quatenus vnus Dei fidem & mandata vtrumque ouile obseruabat. Sic huius contextus litera bene & diligenter perpensa, non secus vnum totius Ecclesiæ caput visibile quàm vnum corpus visibile efficaciter probat.

Atqui non id admittit Calvinus. *Obserua* (inquit) *modum quo græx Dei colligitur. Nempe quum vnus est omnium Pastor, & vox eius auditur. Quæ verba significant, vbi subest vni Christo Ecclesia, eius imperio paret, doctrinâq; auscultat, tunc demum ritè compositum eius esse statum*. Sed non esse hunc totum & plenum verborum Christi sensum, præcedentia monstrarunt. Agit Christus de vno Pastore qui vnâ ouile regat, sicut antea duo ouilia varios habebant Pastores; Synagoga vnum certum summum Pontificem (quæ in hoc quoque Ecclesiam Gentium excellebat) Ecclesia Gentium toto orbe dispersa varios & incertos fidei magistris. Denique visibilis Ecclesiæ tam Indæorum quàm Gentium in vnum visibile ouile colligendæ vnum fore visibilem Pastorem docet. Ezechiel Propheta de eodem vno super totum ouile visibili

Pastore

Pastore prædixit. Christus vnum huiusmodi Petrum constituit. Tum de eo quod futurum est Christus loquitur, *Fiet vnum ouile, & fiet vnus Pastor.* At ante Christum incarnatum Christus, vt Deus, fuit caput totius Ecclesiæ, & vtrumque ouile habuit semper vnum Pastorem Deum, in quem vtrumque credebatur, & cuius mandatis vtrumque obtemperabat. Tandem Christus est vnus Pastor omnium, voxque eius auditur, quatenus per visibiles Pastores Ecclesiæ suæ datos pascit, & in illis auditur. *Qui vos audit, me audit. Tu es Petrus, & super hanc* Luc. 10.
petram edificabo Ecclesiam meam. Pasce oues meas. Nunc Cal- Matth 16.
uinus, cum cæteris hæreticis, Christi vocem audire volunt Ioan. 21.
non per eos loquentem per quos loqui & se audiri voluit, sed in scripto verbo prout illi volunt intellectu loquentem: hoc est, ita loquentem sicut illi eum loqui volunt. Quum enim non nisi in scripto verbo loquentem Christum audiunt, hoc autem scriptum verbum ita illis sonabit sicut ipsimet pro suo quisque cerebro variè, differenter, ac repugnanter exponunt, sequitur vt non Christum sed seipsos audiant; & sub Hæreticè seipsos audiunt.
prætextu audiendi vnum Christum, Ecclesiæ vocem artificiosè reiiciant, per quam solam Christus loquitur, quæ sola verbum scriptum & totam vocem sponsi sui optimè nouit atque intelligit. Tunc igitur ouilis Dominici status ritè erit cõpositus, quando vni quidem Christo subest Ecclesia, id est, populus credentium, sed per eos in Ecclesia loquenti quos posuit Spiritus S. regere Ecclesiã suam, eiusque sic loquentis imperio parer, doctrinæque auscultat: non quando reiecta voce vnus supremi Pastoris & aliorum in Ecclesia Pastorum vni Christo in verbo scripto loquenti subest, parer, & auscultat. Sic enim non Christo obeditur, sed variis opinionum idolis, quæ ex verbo scripto quisque sibi hæreticus fabricat. Ex vno illo verbo, *Hoc est corpus meum*, ferè centum idola horum temporum hæretici sibi finxerunt: nec ibi subesse Christo volunt, aut vocem eius audire, sed in mille formas verba eius torquere, lacerare, dilaniare, & quiduis potius credere, quàm quod vox illa Christi disertissimè sonat. Imò *ne Christi verbis supersticiosè affixi simus*, omnibus modis contendit impostor Caluinus, vt suprâ accepimus. Eadem & hic vsus impostura, ad vnus Christi vocem specioso & fallaci prætextu lectorem pellicit. Quo blandimento hypocritico vsus, quasi nihil sanctius dici posset, ita mox contra nos inuehitur. *Si quid tale apud se nobis Papiсте obtendant, fruantur quotant opere superciunt Ecclesia titulo. Si verò illic silet Christus,* Ad Matt. cap. 26.

Schisma
in Calu-
niani de-
fensio rei-
citur.

pedibus calcatur eius maiestas, ludibrio habentur sacra eius instituta, quid aliud est eorum unitas quam diabolica conspiratio, quae omni dissipatione peior est ac magis execranda? Proinde meminerimus semper à capite sumendum esse exordium. Hæc in genere declamatio facile eisdem verbis in Calvinum ac suos retorquetur. Si quid tale Calvinistæ obtenderent, si loquentem per Ecclesiæ vocem Christum agnoscerent, non iniuria vni Christo se subesse, eiusque vocem se audire profiterentur. Si verò illic silet Christus, auditur Calvinus auditur Bucerus, Lutherus, & alij quos tacere oportuit ab Christi corpore precipuos; si pedibus conculcatur Christi maiestas, eiusque sacratissima verba indignissimum in modum lacerantur, torquentur, eculeo subiiciuntur; si ludibrio habentur sacra eius instituta, imprimis venerabilis Eucharistia ad prophanam cenulam redacta; quid aliud est tota hæc Calvini hypocritica professio, vni Christo subesse Ecclesiam, eius unius vocem audiendam, ei vni parendum & auscultandum, quam hominum rebellium nefaria conspiratio, qui sub prætextu obedientiæ vni Regi præstandæ, locales suos magistratus è gradu deiiciunt; & eorum excusso iugo, in eundem se locum intrudunt, vociferantes se Regis causam agere, se vni Regi parere. Proinde meminerimus sic à capite sumendum exordium, vt nec in civilibus Regi subordinati duces sua autoritate excidant, nec in sacris Pastores à Christo capite instituti legitimi sua potestate priuentur: sed tunc demum siue Regi in civilibus, siue Christo capiti in tota sacra doctrina, sacrisque eius institutis nos verè subesse, parere, auscultare, quando tum ducibus à Rege missis, tum Pastoribus, Doctoribus, & vni maximè Petro à Christo ad pascendam & regendam Ecclesiam suam datis, subesse non recusamus, quando eorum vocem audimus, illis paremus & auscultamus.

Subiungit adhuc aliquid de veteris testamenti Prophetis, vt figmentum suum probabile efficiat. Vnde & Propheta (inquit), quum Ecclesia instaurationem describunt, semper Dauidem Regem adiungunt Deo: ac si dicerent, neque Ecclesiam esse vbi non regnat Deus, neque extare regnum Dei, nisi vbi Pastoris honos Christo defertur. Quòd Propheta semper Dauidem Regem adiungunt Deo, id contra Calvinum luculenter probat, in causa religionis semper esse Ecclesiam adiungendam Christo, quia neque auditur Christus nisi per Ecclesiam, neque extare regnum Christi potest nisi vbi illis honos defertur, quos ille in honore esse voluit, nisi vbi illi audiuntur,

Ecclesia
vox & au-
thoritas
necessaria.

quos

quos ille audiri iussit, nisi ubi illis obeditur, quibus ille obedire suos voluit. Calvinus artificiosè totum aut inuertit aut obscurat. Inuertit dicens, *non esse Ecclesiam ubi non regnat Deus*, quum contrà dici debeat, non regnare Deum ubi non est Ecclesia, in qua & per quam, quo ad doctrinæ magisterium, Deus regnat. Per Ecclesiam quippe Deus cognoscitur, & Christus eius, & quicquid ad fidem pertinet: non autem per Deum immediatè & per se loquentem cognoscitur Ecclesia, aut aliquid aliud de fide. Non cognoscitur, inquam, ordinatio cognoscendi modo, quem Christus instituit. Rursum obscurat veritatem Calvinus, dicens, *non extare regnum Dei nisi ubi Pastoris honos Christo defertur*. Obscurat, inquam, veritatem, quia totum non dicit. Ut enim regnum Dei extet, non satis est Pastoris honorem Christo deferri, tametsi Princeps Pastorum sit, imò quia princeps Pastorum est, & alios Ecclesiæ suæ Pastores dedit, idque *ut regant Ecclesiam Christi sanguine acquisitam, quibus etiã obedire & subiacere oportet*, debet præterea & aliis quoque Pastoribus honor deferri, quod qui facere detrectat, Christo iniuriam irrogat, dicenti, *Qui vos spernit, me spernit*. Quod autem de Prophetis Ecclesiam instaurantibus, quibus se ac suos similes esse Calvinus vult, iterum hoc loco suggerit Calvinus, in alio loco explicatum & refutatum dedimus. Manet ergo sana ac firma Christi sententia, *Vnum fore ouile, & unum Pastorem*, propter vnum primatium in pascendo vicarium, qui pariter cum aliis à Christo datis Pastoribus vnum istud ouile perpetuò pascat ac regat.

Act. 20.

Heb. 13.

Luc. 10.

Suprà ad

Ioan. cap.

7. ver. 48.

26. *Vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis.*

Horum verborum intelligentia quam tradidit S. August. *tract. 48. in hunc locum, videlicet, idcirco hos Iudeos non credidisse, quia de numero electorum non erant, nisi dexterè accommodetur, erroris causam dare, & hæresi Calvinianæ patrocinari videbitur. Docet enim Calvinus solos electos fidèi donum accipere, & reprobos nunquam credere, ac nec posse credere, non solùm quia efficaciter non vocantur, sed quia nec vocantur à Deo. Sic vniuersalem vocationem negat Si (inquit) diceret Scriptura Euangelium malignè & perversè contemni, quia audire pertinaciter multi recusant, valeret fortè hic color de vniuersali vocatione. Negat ergo Calvinus causam contempti Euangelij esse hominum pertinaciam credere*

Institut.

lib. 3. c. 2.

num. 10.

nolentium, & causam esse vult, quia Deus eos non vocat, sed
 solos electos. Hanc suam sententiam ex his Christi verbis eo-
 dem loco confirmat. Ceterum quum passim Scripturæ de-
 monstrant innumeros vocari à Deo qui non conuertuntur
 (quod multis exemplis ipse Calvinus alibi demonstrat lib.
 eodem cap. 24. num. 13.) nec minus constet multos efficaciter
 à Deo vocari, conuerti, & credere, qui tamen electi non fue-
 runt, sed à gratia postea exciderunt (quam vnā ob causam
 ad perseuerantiam tot hortantur Scripturæ, nec credentibus
 simpliciter, sed perseuerantibus in fide vitam æternam promit-
 tunt) neque vniuersalis vocatio propter discretionem spe-
 cialis gratiæ neganda est, nec ipsa specialis gratia vocationis
 efficacis ad solos electos restringenda est. Vnde etiam con-
 stat, causam adæquatam, plenam, & propriā, cur Iudæi Chri-
 sto non crediderint, hanc esse non posse, quia de electis Chri-
 sti ouibus non erant, sed propriam causam fuisse, quia vocem
 Christi audire noluerunt. Sic enim Christus probat illos non
 fuisse de ouibus suis, *quia oues* (inquit) *mea vocem meam au-*
diunt, pulsanti mihi aperiunt, præuenienti gratiæ meæ obse-
quuntur, hoc vos non facitis. Sic non esse vos oues meas ipsi
 vestra incredulitate ostenditis. Est ergo Christi demonstra-
 tio à posteriori, siue ab effectu Ab ipsa videlicet eorum incre-
 dulitate iam per experientiam diuturna & notabili, non ab
 ipsa reprobatione, probat eos non esse de ouibus suis. Sic alibi
 D Ioannes. *In hoc cognoscimus Spiritum veritatis & spiritum*
erroris: quod ille audit nos, hic non audit. Hæc igitur Christi
 verba nec ad omnes non credentes diriguntur (quasi hæc
 consequentia esset semper firma, Isti non credunt, ergo sunt
 reprobati, poterunt quippe adhuc postea credere, sicut Saul diu
 Christo incredulus, adeoque credentium persecutor, postea
 tamen credidit) sed ad solos obstinatos Iudæos eorumque
 similes dirigitur, nec quamlibet incredulitatem notant, sed
 singularem, & cum magna ac diuturna pertinacia coniu-
 ctam. Et sic post longam & infructuosam prædicationem po-
 terit non improbabiler de incredulis dici, Isti non credunt,
 quia non sunt de ouibus Christi: id est, ostendunt sua pertina-
 ci incredulitate quia non sunt de numero ouium Christi. Ta-
 les enim audiunt vocem Christi, & obsequuntur Ecclesiæ do-
 centi, quam qui audit, Christum audit.

Illud quoque in hac sententia tenendum est, Christum non
 excludere à numero ouium suarum nisi eos qui sua propria
 culpa & malitia oues Christi esse nolant. Quod ipse Calvinus
 hoc

hoc loco sibiipſi in loco citato contrarius diſſimulare non potuit. Ait enim *cauſam incredulitatis non reſidere in Deo, quia homines non niſi voluntaria malitia gratiam reiſciunt*. Sic illa conſequentia reiſcienda eſt, Ille non credit, quia non eſt prædeſtinatus: & vera conſequentia hæc eſt, Ille non credit, quia non vult credere, ſed Dei gratiam voluntaria malitia reiſcit. In his igitur verbis, *Quia non eſtis de ouibus meis*, intelligendum neceſſariò, quia veſtra culpa & proprio demerito non eſtis de ouibus meis. Hoc ſuprà aliis verbis apertius expreſſit: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis*, id eſt, Dei voluntatem non facitis, ſed diaboli, vnde prius dixerat: *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere*. Vtro- bique docet Chriſtus ideo Iudæos non credidiſſe, quia homines impij & pertinaces erant, ex patre diabolo non ex Deo, ideòque non ex ouibus eius ſed ex hædis & diaboli grege. Hic eſt horum verborum germanus, plenus, & orthodoxus intellectus.

Cap. 8.

18. *Ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum: & non rapiet eas quiſquam de manu mea.*

Colligit ex hoc loco Caluinus, ſemel Chriſto per fidem incorporatos, à ſalute excidere non poſſe. *Incomparabilis* (inquit) *fructus hic fidei eſt, quòd certos ac ſecuros eſſe nos iubet Chriſtus, quòd fide in ſuum ouile ſumus aggregati, & paulò poſt: Inſignis locus, quo docemur non minus certam eſſe electorum ſalutem, quàm inuicta eſt Dei potentia*. Inter has duas Caluini propoſitiones magnum diſcrimen eſt. Poſterior quippe propoſitio vera omnino eſt, & illa ipſa quam Chriſtus hic docet; *de ouibus ſuis*, id eſt, de electis ſuis loquens, *quæ audiunt vocem eius, & ille cognoscit eas, ipſæ quoque ſequuntur eum*. Tales oues, tales electos, nemo rapiet de manu Chriſti. Quia nimirum perpetuus eorum cuſtos, adiutor ac defenſor Chriſtus eſt. *In- ſorum enim anima in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormẽtum mortis. Viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace*. Habet quidem diabolus varias nocendi artes, habet & mundus: ab vna quidem parte tyrannos armatos, præfectos, iudices, tribunalia, carceres, catenas, virgas, ſecures, eculeos, exilia, mortes (quæ omnia & ſingula tormenta experti ſunt hodie Sancti in perfecutione Anglicana) & quicquid præterea conſtantibus animis terrorem ſolet immittere. Habet ab altera parte voluptates, honores, dignitates, & quicquid animos

Cõtra certitudinem gratia ex ſola fide.

Sap. 3.

Esai. 38.
In Psal.
Moral.

Rom. 11.

De doct.
Christ. lib.
3. cap. 6.

Calvinus
in auto co-
tradicit.

quamlibet incorruptos solet corrumpere. De qua mundi corruptela ait quædam Scriptura: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima*: quod alibi latius exposuimus. Sed contra hæc omnia, & alia quæcunque electorum saluti insidiantia, stat *turris fortissima, nomen Domini*, & quod Christus hic dicit, *Nemo rapiet eas de manu mea*. Itaque posterior Calvini propositio verissima est, & præsentis Evangelio conformis. Sed verò prior Calvini propositio nec cum Christi hoc loco verbis, nec cum tota Evangelica doctrina aliquid commune habet. Nec Christus hic docet, nec vlla Scriptura affirmat, fidei hunc fructum esse, quod semel Christo per fidem aggregati certi ac securi esse iubeantur. Imò vna illa Scriptura Apostolica manifestè contrarium docet, qua Paulus Gentiles credentes alloquens dicit: *Tu fide stas: noli altum sapere, sed time*. Si timere debet qui fide stat, certè cum illa sua fide, qua stat, securus & certus esse non potest. Quid enim securitati magis repugnat quàm timor? Sed quare timere debet? Audiamus Apostolum. *Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat*. id est, Si Deus populo Iudaico, qui semel stetit, & propter carnalem propagationem de semine credentis Abraham, quædamque fidei principia, & eloquia Dei apud illos deposita, in propinqua potentia ad firmiter standum, Christoque venienti credendum erat (vt sapienter differit August.) tamen propter incredulitatem non pepercit, vide ne & tibi, utcumque iam *insestus in oliuam es* per fidem, & *socius radicis ac pinguedinis factus*, id est, omnis diuinæ gratiæ particeps quæ Christo per fidem incorporatis dari solet, propter tuam quoque incredulitatem, si in eam incideris, Deus quoque non parcat. Si enim illi propter incredulitatem fracti sunt, tu, qui iam fide stas, *noli altum sapere, noli tibi hoc nomine placere, noli aliis iacentibus insultare, sed time*, id est, iterum atque iterum caue, ne & tu excidas à fide, ac propter incredulitatem frangaris. Vide ergo (ait Paulus hanc causam studiosissimè persequens) *bonitatem & severitatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, severitatem, in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate: alioquin & tu excideris*. Quid clarius, quid disertius contra Calvini hoc loco paradoxum, omniumque hodie hæreticorum communem cum eo in hac parte dementiam, dici aut disputari potuit? Dicit Calvinus: *Qui fide in Christi ovile aggregatus est, certum ac securum esse iubet Christus*. Dicit Paulus: *Qui fide stat, (quod plus est, quàm fide aggregatum esse) timeat ne & ille excidatur*. An Paulus Christo contrarius est? An facilius

lius non est Calvinum mentiri, quàm Paulum Christo contrarium esse?

Atqui Christus dicit de ouibus suis: *Nemo rapiet eas de manu mea.* Dicit hoc quidem Christus, sed de illis ouibus suis quæ per electionem & prædestinationem æternam tales sunt: non de omnibus Christi ouibus qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt, qui fide stant, & adhuc à fide excidere possunt. Sunt oues Christi, veri credentes, veri coram Deo iusti, & iustificati, & sanctificati, qui postea desinunt esse tales. Non credit quidem hoc Calvinus, & quia certitudinem gratiæ & salutis, quæ ex fide talis sit, ponere vult, talis autem certitudo constare nobis in hac vita non potest, nisi ex fide semel accepta constet (fides enim Calvinica & firma persuasio diuinæ beneuolentiæ ita concipi potest, vt de ea concepta constare videatur) vult omnino hanc fidem semel acceptam excidere non posse, sed ex ea eiusque beneficio certos ac securos nos esse debere. Sed contradicit illi Apostolus, qui iubet timere; & hoc ipsum timere, *ne excidaris*; & propter hoc ipsum timere, quia fidem deserre aut abiicere quilibet potest. Ait enim: *Si permanseris in bonitate.* Ex quo verbo duo sequuntur. Primum quòd bonus erat cui loquitur, deinde quòd ab ea bonitate excidere potuit. Neque enim permanet in bonitate nisi qui prius bonus fuit: neque dici alicui nisi admodum ridiculè potest, *Si permanseris*, qui cadere omnino non potest. An dici iam Sanctis in cælo regnantibus nisi admodum ridiculè potest, Videte in vobis bonitatem Dei, si permanseritis in bonitate, alioquin & vos excidemini? Calvinus enim & tota secta Calviniana tantam in illis, qui semel fidem acceperunt, salutis certitudinem ponunt, vt de ea accepta nunquam excidere queant, non magis sanè quàm beati in cælo de accepta beatitudine. Voluit enim hanc certitudinem de fide esse. Fidei verò tanta certitudo est, vt non solum fallum illi non subit, sed nec subesse possit; non solum non fallat, sed nec fallere queat: idèoque de quo ex fide certi sumus, tam certi & securi de eo sumus, quàm de sua beatitudine beati in cælo. Hoc suum insanum paradoxum Calvinus, quod in Institutione sua longa disputatione stabilire conatur (quam olim ex parte refutauimus) ex his Christi verbis confirmare voluit: *Oues meas nemo rapiet de manu mea*: quæ verba de solis electis intelligenda sunt, non de quibuscunque & omnibus Christi ouibus: inter quas multæ sunt quæ ex propria incredulitate, excidentés à prima fide

verborum Christi et applicatig. Matth. 8.

De iustificat. lib. 8. cap. 24. & seqq.

in qua stabant, rapti se à diabolo passæ sunt, vt iam ex Apostolo ostendimus.

Ques electæ unde constare possunt.
Matt. 24.

1. Cor. 10.
Philip. 4.

Hebr. 4.

2. Petr. 1.

Matt. 22.

Qui autem oues electæ sint, qui nō sint, non ex fide semel accepta iudicari debere, sed ex fidei perseverantia constare oportere, tum Apostolus in verbis citatis, tum Christus aperte docuit, dicens: *Qui perseverauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Hæc autem perseverantia vsque ad cursum consummatum omnes latet, tam electos quàm reprobos. Propter hoc dicitur. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Propter hoc ait etiam ipsis electis Apostolus. *Cum timore & tremore salutem vestram operamini.* Quis enim dubitat, quin inter Philippenses, ad quos scribit, aliqui electi fuerint? Propter hoc rursum ad Hebræos idem ait Apostolus. *Timeamus ne fortè relicta pollicitatione introeundi in requiem eius, existimetur aliquis ex nobis deesse.* Hortatur ne quum Iudæi per incredulitatem perierint in deserto, nec in terram promissionis introire potuerint, vt nos quoque timeamus & solliciti simus (quod Calvinianæ securitati ex diametro contrarium est) ne relicta, id est, neglecta & obliuioni tradita vitæ cælestis promissione, existimetur aliquis deesse, id est, ita se gerat vt videatur deficere aut defecturus in via. Hanc enim ob causam dixit B. Petrus eodem Spiritu quo Paulus: *Cui presto non sunt hæc, id est, qui cum fide & cognitione Christi varias illas virtutes non habet quas ibi enumerauerat, cæcus est, & manu tentans, id est, verè adhuc Christum nescit, per incerta & vaga seu mundi seu carnis desideria ambulans, obliuionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum, id est, accepti in baptismo beneficij, & hæreditatis cælestis, in quam ibi adoptatus fuit, penitus oblitus.* Quapropter, fratres, magis satagite, id est, in hoc imprimis & diligenter incumbite, vt per bona opera, fidei & vocationi vestræ adiuncta, certam vestram vocationem & electionem faciatis, id est, vobis ipsis & aliis quasi certum & firmum appareat, vos à Deo ad fidem vocatos, & ad gloriam electos esse. Nam & inter multos verè vocatos pauci electi, & ipsa aliquando vocatio non nisi ficta & hypocritica fuit. Sed bonorum operam studium fidei adiunctum verique certitudinem adfert: studium, inquam, perseveranter adhibitum, vt aliæ scripturæ docent. De qua perseverantia quum nemo adhuc in cursu suo certus ac securus esse possit, impiè affirmant hæretici, & hoc loco Calvinus, *solius fidei hunc fructum esse, vt illa nos certos ac securos reddat.*

Subiungit paulò pòit, non tam contra Catholicos hodie, quàm

quàm contra doctrinam Apostolicam iam prolata, & ait: *Hinc etiam colligimus, quàm insana sit, Papistarum fiducia, quæ in liberum arbitrium, in virtutem propriam, & operum merita recumbit. Vocat nefarius impostor liberum arbitrium, & virtutem propriam, quæ nec liberi arbitrij solius nec virtutis propriæ opera, sed liberi arbitrij diuina gratia adiuti, & virtutis non humanæ, sed diuinæ opera sunt. Talia bona opera, & talium operum merita ponunt Catholici. Nec tamen sic ponunt, ut in illa recumbant, quod iterum impostor mendax affirmat, sed vt iuxta D. Petrum per bona opera certam suam uocationem & electionem faciant. Non confidunt in metitis Catholici, sed in Domino cõfidunt, qui operatur in illis & velle & operari pro bona ipsius voluntate, sancto que beneplacito.* Insanam illam fiduciam qua in solam fidem recubuit Caluinus; & quam ex hoc Euangelio, veluti ex dulci flore venenũ, haurire voluit, Scripturæ a nobis citatæ luculenter refutarũt.

Imò si rectè aduertimus, in hoc quoque Euangelio Christus illam refutat. Ait enim de ouibus suis: *Oues mee vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me.* Audire Christum hoc loco est ei credere & obedire. Alioqui audiebant illi externo auditu, qui oues eius non erant. Has oues cognoscit Christus, id est, amat & gratos habet. Istæ quoque oues sequuntur Christum, id est, mandatis eius obediunt. *Qui enim sequitur me* (ait alibi Christus) *non ambulat in tenebris, id est, non facit opera tenebrarum, quæ sunt opera diaboli principis tenebrarũ.* Aliud enim est, esse in tenebris, quod illorum est qui Deum ignorat, & fide certa carent: aliud ambulare in tenebris, quod operatione significat malam & impiam. *Qui enim malè agit, odit lucem; amat tenebras, & ambulat in tenebris. Qui autem oues Christi sunt, & sequuntur illum, tanquam filij lucis ambulant in dilectione: fructus enim lucis est in omni bonitate & iustitia & veritate. Abijciunt opera tenebrarum, & induunt arma lucis, sicut in die honestè ambulantes.* Oues igitur Christi & sequentes illũ optimè sciunt, non ex sola fide certos & securos de salute se esse posse, sed totius vitæ puritatem præterea etiam amplectendam, vt si corum eos non reprehenderit, habeant fiduciam apud Deum. Non satis habent fide fuisse aggregatos ad Christum, vt securi sint de salute, sed ad tantam fiduciam concipiendam, sequi se Christum debere, opera tenebrarum fugere, cor irreprehensibile habere, *ambulare in iustificationibus Domini sine querela,* optimè norunt. Neque ita tamen certos & securos de fide,

Impostor mendax & duplex.

2. Petr. 1.

Philip. 2.

Ioan. 8.

Ioan. 3.

Ephes. 5.

Rom. 14.

1. Ioan. 3.

Luc. 2.

Hebr. 3.

Istis. lib.

3. cap. 2.

num. 26.

1. Petr. 1.

Certitudi-
nu Calui-
niana im-
pietatis
cap. 4.
sect. 20.Beza do-
ctrina ex-
crabiliter
impia.

fide, sed fiduciam bona spe plenam concipere se posse ex Scripturis didicerunt. *Domus Christi sumus nos* (ait Paulus) id est, ad Christi ouile pertinemus, si *fiduciam & gloriam spei usque ad finem firmam retineamus*. Sed hæc fiducia & gloria spei in quo fundetur, paulò post aperit dicēs: *Participes Christi effecti sumus, si tamen initium substantia eius usque ad finem firmum retineamus*. Neque verò hæc eò tantum dicta sunt, ut tanquam boni filij Deum patrem non offendamus, nosque non ingratos acceptis beneficiis demonstramus, per quã riam elabi conatur Calvinus; sed præterea, ne Deum patrem offendentes à salute promissa vel etiã dari cœpta excidamus. Quod his verbis D. Petrus docet, *Si Patrem inuocatis Deum, qui sine acceptione personarum iudicat secundum vniuscuiusque opus, in timore incolatus vestri tempore conuersamini*. Docet Deum Patrem non secus filios castigare quàm seruos, & à prima vocatione relapsos sine acceptione personarum iudicare, ideòque cum timore diuini iudicij in hac peregrinatione nostra viuendum esse. Hæc omnia fiduciam Calvinianam, quam ex hoc Euangelio stabilire voluit, penitus subuertunt.

Et videte quàm hæc Calviniana doctrina scelerata & impia est. Theodorus Beza, Caluini Geneuæ successor, in sua fidei confessione, quam vocat, ita scribit: *Affirmo eum qui vel semel tota sua vita senserit certum veræ fidei testimonium, securum esse debere de ea non modò permanente, sed etiam permansura ad finem usque, tum quoque quum ea tempora incidant, quibus abesse penitus veræ fidei testimoniũ videatur*. Hæc ille. Veræ fidei testimonium vocat, bona opera sanctificationis nostræ per Spiritus sancti effectus. Hoc testimonium penitus abesse censet, quando in horrenda peccata incidunt electi, sicut Dauid adulterium atque homicidium perpetrans, ac Petrus Christum negans, quos pro exemplo in medium adfert, & ait illos, *quum sic fœdissimè lapsi essent, incubuisse veluti anchora illi testimonio quod Spiritus sanctus testabatur ipsorum spiritui: eos nimirum quamuis fœdissimè lapsos, tamen in numero filiorum Dei censerì, ac proinde remissa esse illis peccata*. Hæc ille ibidem. Hæc est ergo fides & fiducia Calviniana; ut certus & securus sis te ouem esse Christi, & ex numero electorum, quos nemo rapiet de manu eius, satis esse, si semel in tota vita veræ fidei testimonium, videlicet bonum aliquod opus & sanctificationis effectum in teipso sentias; talis enim vera fides, qua sola iustificaris, ad finem usque permanebit;

nebit; etiam tūm quando scēdissimē lapsus fueris. Adhuc enī m-
 testabitur tuo spiritui Spiritus sanctus, quia semel hoc testa-
 tus est, te esse filium Dei, & proinde remissa tibi esse pecca-
 ta. An vlla esse potest magis epicurea, magis impia, & athea-
 sententia quā hęc est? Si enim vel semel in tota vita cum
 recta in Christum fide, eiusque erga te. beneficia ac promisse-
 siones suaviter recolens, aliquod opus bonum ac sanctum
 prastiteris, putā semel orationem Dominicam deuotē reci-
 tuaueris, aut vnam pauperi elemosynam propter amorem
 Christi erogaueris, omnia tibi salua ac tota sunt, nisi salua
 esse possunt. Tametsi cum Davide adulteres, aut cum Petro
 Christum neges, aut cum Beza Candidam simul & Audeber-
 tulum in tuo sinu foneas, certus es de salute, certus es de re-
 missis tibi peccatis, certus es te esse filium Dei, & hoc Spiritus
 sanctus tuo spiritui restatur. Te adulterum Spiritus sanctus
 filium Dei esse dicit. Te Christum negantem Spiritus san-
 ctus filium Dei esse dicit. Nec gemitus Davidis, nec lacry-
 mę Petri necessarię tibi sunt. Semel fuisti filius Dei per fi-
 dem & Spiritum sanctificantem. Dubitare non debes, quia
 huiusmodi semper permanes, etiam scēdissimē lapsus. Hoc
 certē iam nō mysterium iniquitatis est, sed voces illius sunt
 qui hoc mysterium operatur, qui *homo peccati & filius perdi-* *2. Thess. 2.*
tionis ab Apostolo vocatur, voces Antichristi sunt. Quid
 enim ille homo peccati ad peccati regnum stabiliendum ap-
 titus & accommodatus adferre poterit, quā hęc doctrina
 adfert? Quid filius ille perditionis ad perdendas animas ef-
 ficacius proferet, quā quod iste Caluinista protulit?

Bellis tamen vt sibi videtur similibus doctrinę suę turpi-
 tudinem fucare, & imprudentis lectoris oculos perstringere
 conatur. *Qui colligunt* (inquit) *falsam esse fidem nostram, quia* *Vbi supra.*
certo tempore eius effectus non apparent, perinde argumentan-
tur, ac si quis colligeret nullum esse verum ignem, ubicunque
nulla flamma collucet; vel hyeme non viuere arbores, quoniam
nec folia, nec fructus edunt. Atqui non hęc agitur de effectis
 fidei aliquando non apparentibus, sed de effectibus verę fi-
 dei in sensu Bezæ, id est, fidei cum vitę sanctitate coniu-
 ctę planē contrariis, eamque penitus tollentibus. Ignis ar-
 dere potest sine flamma, sed non ardet extinctus. Arbor in
 hyeme viuit sine foliis & fructu, sed non viueret si stirpitis
 causa iaceret. Adulter, homicida, abnegans fidem, dum hos
 actus exercet, Spiritum S. in se penitus extinxit. *Neque enim Sapient. 2.*
habitat in corpore subdito peccatis: est arbor radicitus euulsa,
 quia

1. Cor. 13.

quia charitatem non habens, quæ radix salutis est, apud Deum nihil est, dicente Apostolo: *Si charitatem non habuero, nihil sum.* Deinde non de momentaneo bonorū operum defectu, aut etiam in græve crimen prolapsu: hic agitur, sed de perpetua (vnico tantum per totam vitam excepto pietatis actu) flagitiosæ vitæ impuritate. Cum illa enim stare salutē posse ac certò stare Beza vult.

Alia adhibet similia non minus inepta, vel insana potius. Nam post illa fœdissima verba primo loco à me citata subiungit. *Neque enim infans recens natus idcirco non est præditus animæ rationis particeps, quòd nullum eius usum, experitur: neque ebrium hominem dicimus ratione & intelligentia spoliatum, etiamsi neque mens neque pes in eo officium facit: neque vitalis omnis facultas eum deseruit, qui est ad tempus mortuo quàm viuo similior.* Hæc ille, quasi de eo fideli ageretur, qui ab opere bono interdum cessaret, nullum interea crimen perpetrans: in quem tamen nec ista similia per omnia quadrarent, quòd latius hic explicare extra propositum esset. Atqui Beza suum electum fidelem qui semel tantum in vita veræ fidei testimonium in se senserit, nec vt infantem sine usu rationis fingit, nec vt hominem ebriū ponit, qui ad tempus nescit quid faciat, nec vt aliquem qui apoplexia tactus mortuo similior quàm viuo ad tempus appareat, describit (nec enim in tota vita tanto stupore suos electos affici dicere volet) sed in suo fideli & electo ponit fœdissimos lapsus, quales David & Petrus perpetrarunt, qui bene vigiles sui que compotes ea commiserunt, & quales tota vita homines scelerati committunt, nec veluti ebrii, nec veluti infantes, nec veluti mortui, sed ad actiones impias, quas proferunt, vigilantissimi, astuti, seduli, viuaces. Nec in eis ad tempus, sed per totam vitam (vnico excepto pietatis actu) persistere ponit.

Caluinista
quales filij
Dei.

Nempe volunt Calvinistæ electi Dei, quum eos rapere, furari, sacrilegia, rapinas committere videmus, quum scortari, inebriari, occidere, mentiri, fallere, omnem denique siue in Deum impietatem, siue in homines iniustitiam exercere cernimus, vt toto illo tempore eos pro filiis Dei iustis & sanctis coram Deo nihilominus habeamus; ea verò quæ perpetrant, quasi somno cuidam, & apoplexiæ qua correpti interea sunt tribuamus. Lepidi homines dum opera diaboli faciunt, filij Dei esse volunt. Vnum adhuc simile profert Beza quòd dissimulandum non est. *Sciunt (inquit) isti qui hanc doctrinam oppugnant, quasi aditum patefaciat ad peccandi licentiam, se*

non.

non aliter id colligere, quam si dicerent homines instrui ad abstinendum à cibo & potu, vel ad otium institui, quum certum esse ac præfixum vita nostra terminum affirmamus, qui præteriri non poterit. At verò quàm ista collectio alteri sit dissimilis, statim apparebit. Qui dicit certum esse cuique vitæ suæ terminum à Deo præstitutum, non docet eum à cibo & potu abstinere, quia media illa nota & necessaria, quum hoc dicit, non tollit. Imò quia terminus cuique talis vita est, nec sine cibo & potu transigi vita potest, certum & indubitatum est, eum, qui vitæ terminum præscripsit, pariter facturum ut vsque ad illum terminum alimentum victuro non deficiat. Sic dicunt sanè Catholici, omnes saluandos, ad ipsam salutem ab ipso Deo infallibiliter prædestinari. Sed dum hoc dicunt, pariter docent huius diuinæ prædestinationis effectum non solum vitam æternam, sed ipsa quoque media esse quibus ad eam peruenitur: nempe fidem, charitatem, aliâque pietatis opera, sine quibus vita æterna adultis, & operandi tempus habentibus, non datur. Docent quoque impios in impietate finaliter perseuerantes de numero huiusmodi prædestinatorum esse non posse. Et ad hanc quidem sanam & orthodoxam doctrinam similitudo à Beza allata optimè quadrat: neque ad peccandi licentiam illa aditum patefacit, sed totius pietatis ac sanctitatis necessitatem in omnibus prædestinatis ponit. At verò Bezana doctrina à simili proposito longissimè abest: & ut in eadem materia maneamus, hæc eius recta & genuina similitudo est. Quemadmodum qui alicui diceret; Charissime, vitæ tuæ terminus à Deo præscriptus est, qui præteriri non poterit; quare siue cibo & potu continuo utaris, siue non utaris (modò semel in vita illis usus fueris) ad illum vitæ terminum certissime peruenies; iste haud dubiè eum ab abstinentia cibi & potus reuocasse, & interitus corporis, qui inde necessario sequeretur, causa fuisse, meritò iudicaretur: sic omnino Theodorus Beza & tota schola Calviniana, quæ sic Christianum alloquitur; Dilecte frater, si vel semel in tota vita tua senseris te vita gratiæ viuere, & veræ fidei testimonium habere, opera videlicet bona, & sanctificationis tuæ fructus, certus sis & securus te illam fidem perpetuò habituram vsque ad finem vitæ, ideòque saluandum, vtcunque illius fidei fructus & testimonia per reliquam vitam non appareant; per hanc impiam doctrinam ad peccandi licentiam aditum patefaciunt, & electorum suorum peccata nihil illis ad salutem obesse, quia vel statim remittuntur, vel non nisi quasi dor-

*Epicurea
Beza doctrina ad
oculū demonstratur.*

mientes illa perpetrarunt, impiè docent: ideoque illis, qui hanc eorum doctrinam amplectuntur, æternæ perditionis causam dedisse merito censendi sunt.

Et ad hoc quidem certissimum æternæ perditionis præcipitium Calviniana ac Bezana præsumptio necessariò trahit. Cuius tamen apertam temeritatem, ipsius Calvini alia disputatio manifestam facit. Disputans ille contra fiduciam specialis auxiliij diuini in his qui castitatem vouent (quos idè ait temere vouere, quia de dono illo certi & securi esse non possunt) sic scribit. *Non est quod causentur se non nisi gratia Dei fretos votum hoc nuncupare. Quum enim Deus non omnibus dare pronuntiet, (hoc enim ex eo consequi putat quod Christus dixit, Non omnes capiunt verbum hoc) fiduciam specialis doni concipere nostrum non est.* Atqui eodem modo multòque verius contra hanc certitudinem peculiaris electionis, quam statuit Calvinus, nos arguimus. Non est quòd causetur Calvinus, Beza, aut alius quiuvis illorù pessimo fermento deprauatus, se non nisi diuinæ beneuolentiæ promissionibus fretos, *indubitatam salutis expectationem præsumere* (sunt verba Calvini) & hanc electionis suæ particularis certitudinem audacter sibi vendicare, vt Beza loquitur. Quum enim disertè dixerit Christus, *non omnes vocatos esse electos, nec omnes ingredi angustam portam que ducit ad vitam*, imò contra paucos tales esse; hanc indubitatam salutis expectationem præsumere, aut hanc particularis electionis fiduciam animo concipere, nec concipere tantùm, sed & firmissimè sibi persuadere, profectò multo minus nostrum est. Hæc, vt dixi, Calvini disputatio certitudinem hanc, quam ponit, manifestè subuertit.

Calviniana certitudo ex ipso Calvino refutatur. Institut. lib. 4. c. 13. num. 17.

Institut. lib. 2. c. 1. num. 15. Matth. 10. c. 7.

Castitatis donum non vanè præsumitur.

Est tamen longè alia ratio in concipiendo fiduciam doni castitatis, quam in præsumendo donum electionis particularis. Ratio enim cur omnes non capiunt donum castitatis, ex bona parte in nobis ipsis est, quia nolimus hoc donum habere; non adimus Dominum precibus vt illud nobis largiatur, non alia mediâ adhibemus, quibus illud vel impetrari vel conseruari potest; vt ad illa Christi verba alibi contra Calvinum disputauimus. Ratio cur non omnes electi sint, in solo Deo est, qui pro suo beneplacito elegit quos ipse voluit ante constitutionem mundi; nec in nostra potestate vllò modo est, vt de numero electorum simus, si ex eo numero in diuina electione non sumus, tametsi vt inter electos eius deputemur, & cum electis ab eo coronemur, nostrum omnino sit omnem operam

operam legitimè certando dare, & nostrā electionem per bona
 opera certam facere, certam dico non Deo, sed nobis: quia
 certum ex diuinis Scripturis est, eos qui mala agunt, regnum
 Dei non possidere, & nisi qui legitimè certauerit, neminem coro-
 nari. Quæ tamen tota certitudo nostra, spei est, nō fidei. Glo-
 riamur in spe gloria filiorum Dei: quæ gloriatio tunc firma &
 certa est, quando id quod sequitur in nobis locum habet. Non
 solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus. Si enim com-
 patimur, & cōglorificabimur. Sed nullas cōditiones admittunt
 heretici. Certi & securi esse volunt. Non est illis satis ancho-
 ram spei firmam tenere, quam Deus proposuit timentibus
 eum. Nouos sibi certitudinis fidei funes fabricauere: sed qui-
 bus suffocantur, non sustentantur; & qui laqueus ad ruinam
 fiat, non solatia ad salutem. Diuinæ electionis certitudinem
 & nullam esse in hac vita, & optimis ex causis nullam esse de-
 bere, sapienter docet his verbis S. Augustinus. *Quis ex multi-
 tudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate uiuitur, in nume-
 ro predestinatorum se esse presumat? quia id occultari opus est
 in hoc loco, ubi sic cauenda est elatio, ut etiam per Satana an-
 gelum, ne extolleretur, tantum colaphizaretur Apostolus. Hinc in hac vi-
 ta nulla,*
 & Apostolis dicebatur, Si manseritis in me, dicente illo qui uti-
 que illos sciebat esse mansuros. Et per Prophetam, Si volueritis
 & audieritis me, cum sciret ipse in quibus operaretur & velle.
 Et similia multa dicuntur propter huius utilitatem secreti, ne
 forte qui extollatur, sed omnes etiā qui bene currunt timeant,
 dum occultum est quò perueniant. Propter huius ergo utilita-
 tem secreti credendum est, quosdam de filiis perditionis, non ac-
 cepto dono perseuerandi vsque ad finem, in fide qua per dile-
 ctionem operatur, incipere viuere, & aliquandiu fideliter ac-
 iuste viuere, & postea cadere, neque de hac vita, priusquam hoc
 eis contingat, auferri. Quorum si nemini cōtigisset, tam diu ha-
 berent homines istum saluberrimum timorem, quo vitium ela-
 tionis opprimitur, donec ad Christi gratiam, qua piè uiuitur,
 peruenirent: deinceps iam securi nunquam se ab illa casuros.
 Quæ presumptio in isto tentationum loco non expedit, ubi tan-
 ta est infirmitas, ut superbiam possit generare securitas. Hæc
 Augustinus. Quæ omnia contra Calvinianam præsumptio-
 nem plurimum valent. Tamen enim Calviniana securitas
 superbiam non generat, de qua Augustinus loquitur, nempe
 de vitæ puritate & sanctitate, quam Calvinus non requirit,
 tamen aliam superbiam generat multo deteriorem, nempe
 qua præsumit homo totus impius se esse filium Dei propter

2. Pet. 2.

Gal. 5.

2. Tim. 2.

Rom. 5.

Rom. 8.

Salutis cō-
ditiones
nullas ad-
mittunt
heretici.De cor-
rept. &
grat. c. 13.Electio-
nũ
certitudo
ta nulla.

Solam fiduciam diuinæ benevolentiae. Si enim ad elationis vitium opprimendum necessarius est perpetuus timor, & peculiaris electionis ignoratio; quanto magis ad tam impiam præsumptionem opprimendam idem necessarium erit! Si quod certò constabat Christo electos esse, eosdem ad perseverantiã fidei & charitatis hortatur Christus, (hoc est enim *manere in Christo*) quanto magis quos ex nulla revelatione constat electos esse, seipso perpetuò hortari, & sollicitè contendere debent, ut maneat in Christo, non fide tantum & fiducia, sed charitate, & faciendo voluntatem eius! Sed contra hanc execrandam securitatem & certitudinem electionis particularis, quam ex hoc Euangelio stabilitè Calvinus voluit, propter illa Christi verba, *Nemo rapiet oves meas de manu mea*, quum alia innumera utiliter dici & adferri possent, his paucis contentus ero: tum quia hæc pauca præsentis instituto sufficiunt, tum quia de hoc argumento latius alibi disputauimus.

In opere de
Iustificat.
lib. 9.

30. Ego & Pater vnum sumus.

Ariana
heresi re-
suscitanda
fenestram
Calvinus
aperuit.

Ioã. 10. 38.

Quum hæc verba tum ex ipsa contextus consequentia, tum ex doctissimorum & vetustissimorum Patrum expositionibus, vnitatè substantiæ & existentiæ diuinæ in Christo cum Deo Patre luculenter doceant; impius Calvinus & rem ipsam hoc loco negat, & veteres Patres disertè reprehendit. Sic enim in hunc locum scribit. *Abusi sunt hoc loco veteres, ut probarent Christum esse Patri consubstantialem. Neque enim Christus de vnitatis substantiæ disputat, sed de consensu quem cum Patre habet: quicquid scilicet geritur à Christo, Patris virtute confirmatum iri.* Sic iterum quum Iudæi propter hæc Christi verba melius intellecta quam intelligere voluit Calvinus, dicerent eum blasphemare, quia cum homo esset, faceret seipsum Deum, Christus eorum intelligentiam non corrigeret aut reprehenderet, sed comprobaret & confirmaret dicens, *Si mihi nõ vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis & credatis quia Pater in me est, & ego in Patre,* (ad quæ verba statim quærebant eum apprehendere, quasi iterum repentem se Patri æqualè esse) hæc rursus verba luculentissima in fauorem Arianae hæresis, iterum deprauat Calvinus dicens. *Idem repetit Christus quod supra alijs verbis dixerat: Ego & Pater vnum sumus. Pater (inquit) in me est, hoc est, diuina virtus se in me profert: Et ego in Patre sum, hoc est,*

est, nihil ago nisi auspicijs Dei: ita ut mutua sit inter me & Patrem coniunctio. Neq; enim hic de essentia unitate sermo habetur, sed de manifestatione diuina potentia in Christi persona, unde constabat diuinitus missum esse. Hæc ibi. Eodem adhuc modo, eadēque impietate, eadē Christi verba in postremo ante passionē sermone studiosè reperita, ut discipuli cum id crederent esse quod erat, Deum verum Deo Patri æqualem, deprauat iterum Calvinus. Dicenti enim Philippo, Domine, *Ioan. 14.6* ostende nobis Patrem, & sufficit nobis, respōdit ei Iesus: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum. Non credis quod ego in Patre & Pater in me est? & rursum: Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est? Alioquin propter ipsa opera credite. Hæc verba (ait Calvinus) non ad diuinam Christi essentiam refero, sed ad modum reuelationis. Nec simpliciter disputat Christus quid sit in se, sed qualis debeat agnosci à nobis. Virtutis potius quàm essentia elogium est.* Hæc ille ibi. Luculentissima diuinæ Scripturæ verba, quibus Christus verus Deus, & Patri, quoad substantiam, æqualis probatur, & contra impios Arianos à doctissimis Patribus probari semper solet, homo procax & superbus, vel ut Arianæ hæresi fenestram aperiret nouam, vel ut præter ac supra veteres eruditissimos ac sanctissimos Patres aliquid singulariter sapere videretur, penitus deprauat.

Et primùm quidem ex ipso contextu, de unitate substantiæ, & non voluntatis, Christum dixisse, *Ego & Pater unum sumus*, ipsa causa dicendi manifestè docet. Quū enim electos vocasset *oues suas*, & se eis vitam æternam dare affirmasset, addens quoque *quod nemo raperet eas de manu eius*, quia hæc omnia diuinæ solius potestatis essent, ideòque Iudæis hæc à Christo nimis arroganter dicta videri possent, duplici argumento potestatem suam confirmat. Primùm, quia ut homo à Deo Patre summam potestatem ipsamque diuinitatem naturæ suæ humanæ hypostaticè coniunctam accepit, *Pater meus*, inquit, *quod dedit mihi, maius omnibus est: & nemo potest rapere de manu Patris: vbi intelligitur conclusio, Ergo nec de mea.* Alterum argumentum est, quia ipsemer Deus quoque est, & eiusdem cum Deo naturæ ac potestatis: propter quod dicit, *Ego & Pater unum sumus*. Sic hunc locum tractat D. Basil. lib. 1. contra Eunomium. Eodem modo interpretatur Ambrosius lib. 3. cap. 18. de Spiritu S. & de fide lib. 1. cap. 1. Chrysostomus quoque homil. 60. in Ioannem, vbi notat optimè inferri. *Si unus sunt*

Arianismus Calvinus refutatur.

potentia & virtutis, esse etiam unius & eiusdem substantia. Quare hunc imprimis locum opposuerunt Patres Arianis, vt Filium Patri nec *ὁμοῖον*, nec *συσῶιον*, sed *ὁμοῖον*: id est, nec similis tantum naturæ (vt olim Eunomius) nec simul habentem essentiam, quasi radicalem ac primitiuam à seipso, vt hodie Calvinus) sed consubstantialem, siue eiusdem planè substantiæ cum Patre, id est, à Patre, non à seipso, quia Dei filius est. Sic Athanasius serm. 4. contra Arianos, & aliis multis in locis, & Hieronymus ad Esa. cap. 6. Glossa autè Calvinus, quòd de consensu voluntatis, non de vnitæ essentiæ Christus illa verba dixit, ipsissima fuit Arianorum euasio, vt refert S. Augustinus, eamque refellit contra Maximinū Arianorum Episcopum lib. 2. ca. 12. & lib. 3. cap. 12. Hæc sanè ob causam noui hodie Ariani in Transilvania & Polonia, in publica disputatione cum ipsis Lutheranis & Calvinistis habita, circa huius loci sententiam Calvinum iudicem appellarunt, & ab ipso Caluino Arianam se accepisse doctrinam professi sunt. Quare in Transilvania sicuti ex Catholicis fiunt Lutherani, ex Lutheranis Calvinistæ, sic ex Calvinistis fiunt noui Ariani: & sicut Calvinistæ multa à Luthero se accepisse ostendunt, propter quæ deserto Luthero sua singularia dogmata ipse Zvinglius ac Calvinus orbi obtruserunt; sic Ariani multa se tam à Luthero quàm à Caluino accepisse profitentur, propter quæ desertis vtrisque Ariani esse malunt quàm Catholici Christiani. Inter cætera autem hic vnus locus & alia à me citata tanto studio à Caluino deprauata, hanc audacibus & impiis hominibus occasionem dedere. Quo nomine rectè & meritò Calvinistas accusat primarius quidam Lutheranus, Iacobus Andreas Smidelinus, Tubingensis Academix, vt seipsum scribit, Doctor & Cancellarius. *Minimè (inquit) mirandum est, ex Calvinianis in Polonia, Transilvania, & Hungaria, aliisque in locis, quamplurimos ad Arianismum, quosdam etiam ad Mahometismum accessisse, quorum impietati hæc Calviniana doctrina viam parat.* Hæc ille, citatis quibusdam Calvinus in Christum blasphemis, & diuinæ Scripturæ deprauationibus. Vix enim apud Ioannem (qui diuinitatem Christi maximè astruebat, propter ipsum Cerinthum qui eam negabat) vilius locus est qui Christum esse Deum doceat, quem suo fermento Calvinus non corrumpat. Præter loca superius citata pauca adhuc adiciam. Ad illa Christi verba, *Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei quæ ipse facit*, Patres reprehendit, qui ex his verbis Christi diuinitatem astruunt. Dicitur enim

Caluini
Glossa Arianorum
euasio.

Vide Antonii Posseuius de
atheismo
haeretico-
rum.

In Prefat.
refutat.
blasphemia
Apolog.
Danai.
an. 1583.

Ioan. 5.

enim Pater demonstrare Filio omnia quæ facit, quia cognitionem quam habet Filius, Pater dat. Communicat enim Pater Filio scientiam cum essentia. hoc est demonstrare: sicut Filium discere à Patre, seu videre facientem Patrem, est accipere cognitionem à Patre sicut & naturam. Sic hæc verba exponit doctissimi Patres, Cyril. Alexand. & S. August. in suis ad hunc locum commentariis. Sed hic bonus Calvinus, magis Arianis fauens quam doctissimis Patribus deferens, ait: *Quam dura sit & coacta veterum expositio, nemo non videt. Quod autem illic adfert, ita durum & coactum est, ut Christi disputationem, qui se hic Deo æqualem ostendere voluit, prorsus inanem faciat. Simili arrogantia & impietate utitur in illis Christi verbis: Hunc enim Pater signavit Deus. Causam illic reddit Christus non solum cur filius hominis cibum vitæ æternæ dare possit, sed etiam cur cato ista secundum quam erat filius hominis, cibus possit esse vitæ æternæ: quod utriusque in præcedentibus dixerat. Nempe quia hunc Pater signavit Deus: id est, huic homini Pater velut sigillo diuinitatem impressit & vniuit. Sic hunc locum exponunt S. Augustinus, S. Hilarius, & S. Cyrillus Alexandrinus, omnes hæreticorum sui temporis antagonista fortissimi, & Scripturarum interpretes diligentissimi. Sed horum sententiam in fauorem Arianorum rursus taxat Calvinus. Perperam hunc locum veteres ad diuinam Christi essentiam torserunt, quasi signatus dicitur, quia character est & expressa imago Patris. Hæc est rursus hominis arrogantia, qua Patres taxat, & impietas qua Catholicos contra Arianos exarmat, & fortissima diuinatum Scripturarum tela è manibus eripit. Sed non est hic impietatis eius finis aut arrogantia modus. Quum illa Christi verba, Non possum ego à meipso facere quicquam, studiosè admodum exponant SS. Patres, ut diuinæ eius naturæ nihil præiudicent, idèoque tam secundum diuinam naturam quam secundum humanam illa intelligi posse doceant; secundum diuinam quidem, quia sicut essentiam sic omnem operationem à Patre accipit, cuius filius naturalis est, (in quem modum Ambrosius, Augustinus, Chryostomus, & Cyrillus hæc verba interpretantur,) secundum humanam verò, quia iuxta illam à Deo totum accepit quod habuit, sicut & nos, ut idem Cyrillus & D. Hieron. lib. 2. aduersus Pelagianos accipi posse iudicant, totam hæc SS. Patrum diligentiam & iudicium Calvinus pro more suo flocci faciens, magisque Arianis patrocinari, quam doctissimis Ecclesie luminibus subscribere*

Cyril. lib.

cap. 137.

in Ioan.

August.

tract. 21.

in Ioan.

Ioan. 6.

August.

tract. 25.

in Ioan.

Hilar. lib.

3. de Tri-

nitate.

Cyril. lib.

cap. 29.

in Ioan.

Ioan. 5.

Serm. 20.

in Psalm.

13.

Tract. 21.

in Ioann.

Hamil. 33.

in Ioan.

lib. 2. cap.

Ioan.

volens, ad eundem locum ita garrit. *Supernacuum foret hic subtiliter disputare, à seipſone an aliunde possit filius Dei, quod ad aeternam eius diuinitatem spectat. Neque enim talibus argutiis nos occupare voluit. Proinde nulla erat causa cur se tam anxie torquerent veteres in repellenda Arij calumnia.* Hæc idcirco homo impius facit, ut suam peculiarem & nouam auctori-

Caluini
propria hæ-
resis circa
filium Dei.

In Dialo-
gis contra
174. hære-
ses Caluini

Ioan. 14.

tata in filio Dei, qua vult filium Dei à seipſo Deum esse, non à Patre, aliquo modo stabiliat. Quam eius nefariam hæresim, ut & alias permultas, circa Beatiss. Trinitatis ac Christi diuinitatis mysteria, ex ipsius Caluini scriptis diligenter collegit, doctæque refutauit, Franciscus Feuarentius Gallus, vir de fide Catholica præclare meritus.

Vnum adhuc exemplum adiciam, quo Caluini impietas luculentior appareat. Celebris est ille sermo quo Christus dixit, *Pater maior me est*, nec in ore Arianorum aliquid frequentius. *Illi enim* (ait ad hæc verba Caluinus) *ut Christum probarent quendam esse secundarium Deum* (sic ille Arianorum sententiam refert, quasi ideo hæresis damnati essent, quod filium Dei à Patre, & ex Patre esse, ac ratione originis secundam in diuinis personam dicerent, quod reuera Caluinus negat, ut modò dictum est; quum potius ideò hæretici fuerint, quia Christum esse Deum omnino negabant, & creaturam esse, quamuis non sicut cæteras creaturas, impiè assererent) *objiciebant minorem esse Patre. Patres orthodoxi, ut tali calumnie ansam præciderent, dicebant hæc verba debere ad humanam naturam referri. Atqui ut impiè* (nempe in sensu Caluini iam explicato) *hoc testimonio abusi sunt Ariani, ita nec recta nec consentanea fuit Patrum solutio. Hic enim neque de humana Christi natura, neque de aeterna eius diuinitate sermo habetur.* Hæc ille impius: quasi Christus hoc loco disertissimè de sua exaltatione non sit loquutus. *Vado* (inquit) *ad Patrem, quia Pater maior me est*, id est, vado exaltandus & glorificandus, deposita iam exinanitione ac humilitate mea, completa dispensatione quam suscepi. Patres tamen diligentissimè hæc verba expendunt ac trutinant, & vel ratione originis Patrem se ut Deo maiorem vocasse Christum exponunt (ut aliquando Athanasius, Basilus, Nazianzenus, Hilarius, Origenes) vel ratione humanitatis, quod clarum ac perspicuum est, ut idem Hilarius lib. 9. & D. Augustinus tract. 78. & Leo Magnus sermone 3. de Pentec. idem quoque Athanas. in disputatione contra Arianos in Conc. Nicæno, & coram Probo Iudice, ac demum Cyillus in Ioan. lib. 10. cap. 9. Neutrum tamen ad-

Orat. 2.
cõ. Arianos.
Lib. 4. cõ-
tra Euno-
mium.
Orat. 4.
Theolog.
Lib. 9. &
11. de Tri-
nitate.
Homil. 2.
indiuersos.

mittit

mittit Calvinus, magis eligens Arianorum causam in medio relinquere, quasi necdum satis refutatam, quam grauissimum Patrum iudicium sese accommodare. Minus nunc mirerur quisquam si in dogmatibus hodie controuersis tam procaciter Calvinus cum suis vniuersæ Antiquitatis testimonia ac iudicium reiiciat, postquam in eo dogmate quod nobiscum amplecti videri vult, Patrum tamen expositiones penitus negligit atque contemnit. Sic nempe nouis Arianis latissimam fenestram aperire Calvinus voluit. Idem in Iudæorum gratiã quàm diligenter præstiterit, ex multis diuinæ Scripturæ testimoniis insigniter è Caluino deprauatis luculenter ostendit Aegidius Hunnius in Academia VVitebergensi Professor.

In libello,
Caluinus
Iudaizans
an. 1593.

IN IOANNIS CAP. XI.

Infremuit spiritu, & turbauit semetipsum.

D O C E T aperte hic locus, docentque doctissimi Patres, turbationem hanc, quam Christus hic ostendit, non fuisse in eo, sicut in nobis frequenter est, inuoluntariam, sed liberam, liberèque pro tempore & loco à seipso certa deliberatione assumptam. Dicit enim textus: *turbauit seipsum*. Non dicit, turbatus est. Sic instante passione, *cœpit contristari & mœstus esse*: id est, quando voluit, & ante vllam iniectam necessitatem, liberè suos affectus ad tristitiam & dolorem voluntarium, proposito sibi imminentis passionis obiecto, excitauit. Quare D. Hieronymus ad illum locum. *Aliud est contristari, aliud incipere contristari: quia propassio in Domino erat, passio humana non erat*. Sic D. Augustinus in hunc ipsum locum. *Turbaris tu nolens, turbatus est Christus quia voluit: Esuriuit Iesus, sed quia voluit: Dormiuit, sed quia voluit: Contristatus est, sed quia voluit. Mortuus est, sed quia voluit. In illius potestate erat, sic vel sic affici vel non affici. Anima & caro Christi cum verbo Dei vna persona est, vnus Christus est. Ac per hoc ubi summa potestas est, ibi secundum voluntatis nutum tractatur infirmitas: hoc est, turbauit semetipsum*. Hæc Augustinus. Et adhuc alio in loco. *Ipse Dominus Iesus in forma serui agere vitam dignatus humanam, sed nullum habens omnino peccatum, affectiones humanas adhibuit, ubi adhibendas esse iudicauit. Neque enim in quo verum erat hominis corpus, & verus hominis animus, falsus erat humanus affectus. Cum*

Christus
humanos
affectus li-
berè susce-
pit.

Matt. 26.

In Com. ad
cap. 26.
Matth.
Tract. 49.
in Ioan.

De Ciuitate
Dei li. 14.
cap. 9.

ergo eius in Euangelio ista referuntur, quod supra duriciam cordis Iudaorum cum ira contristatus sit, quod dixerit, Gaudeo propter vos ut credatis, quod Lazarum suscitaturus etiam lacrymas fuderit, quod concupuerit cum discipulis suis manducare pascha, quod propinquante passione tristis fuerit, non falso utique referuntur. Verum ille hos motus certa dispensationis gratia, ita, quem voluit, suscepit animo humano, ut, cum voluit, factus est homo. Et paulò post. Habemus nos humanas istas affectiones ex humana conditionis infirmitate. Non autem ita Dominus Iesus, cuius & infirmitas fuit ex potestate, id est, ex libera illarum assumptione quoties voluit, sicut ex libera naturæ nostræ assumptione factus est homo quando voluit. In hac quoque sententiâ scribit D. Gregorius. Non sicut nos qui puri homines sumus, irruente saepe tentatione concutimur, ita Redemptoris nostri anima tentationis est necessitate turbata. Qui & si quando turbatus spiritu infremuisse dicitur, ipse tamen diuinitus disponebat, quantum ipse humanitus turbaretur. Docet cum Augustino, ubi summa potestas erat, ibi secundum naturam voluntatis tractari infirmitatem: ut videlicet affectiones in Christo tametsi humanæ & veræ essent, non tamen inuoluntariæ & propterea per modum naturæ sicut in nobis frequenter, sed semper liberæ & ex certa ac deliberata dispositione fieret.

Totam hanc SS. Patrum doctrinam, verbis huius Euangelij, Turbauit semetipsum, conformè vellicat & impugnat Calvinus. Absurdum (inquit) quibusdam videtur, si Christum dicamus tanquam unum aliquem ex hominum numero fuisse humanis passionibus subiectum. Nec aliter existimant vel doluisse vel gauisum esse, nisi quia affectus istos, quoties visum est, arcana quadam dispensatione in se recepit. In hanc sententiâ Augustinus, ab Euangelista dictum putat quod turbauerit seipsum, quia alios rapiat sui affectus. Sensus ergo esse putat, quod Christus alioque sedatus, & ab omni passione immunis, fremitum & dolorem ultrò accersuerit. Hæc ille. Hæc planè Augustini, hæc Hieronymi, hæc Gregorij, hæc aliorum Patrum & omnium Theologorum de Christo sententia est, ipso Christo digna. Quid ad hæc Calvinus? Atqui (inquit) meo iudicio magis consonantia erit Scripturae hac simplicitas, si dicamus filium Dei, qui in carnem nostram induit, sponte etiam humanos simul affectus induisse, ut nihil à fratribus, excepto peccato, differret. Atqui hoc & Augustinus docuit, alique Patres docuerunt. Sed humanos affectus non eodem modo induit, quo nos eos aut habemus aut exerceamus. Habet eosdem affectus, sed

Moral. in
Iob. lib. 3.
cap. 16.

Calvinus
propter
iudicium
contra Pa-
tres.

sed liberos, & cum plena deliberatione, liberâque dispositione elicitos, quos nos frequenter planè inuoluntarios patimur magis quàm exercemus: ideòque in nobis passiones sunt vitiosæ (vt loco postèrius citato docet Augustinus) in Christo non sunt passiones inuoluntariæ, sed affectiones liberæ, sicuti Christi gloriæ & puritati conueniebat. Imò (ait Calvinus) *hoc modo nihil derogatur Christi gloria, quum voluntaria tantum dicitur fuisse submissio, qua factum est vt in anima affectibus nobis similis esset. Caterùm postquam ab initio se submisit, non putandum est ab illis vacuum fuisse aut immunem.* Idem Patres docent, quòd humanæ infirmitatis affectibus ab initio conceptionis suæ voluntariè se submisit, sed non inordinatis aut inuoluntariis, verum quos liberè exerceret, nò quos contra voluntatem pateretur, vt nos illos patimur. Quia, vt sapièter dixit doctissimus Augustinus, *Vbi summa potestas erat, ibi secundum nutù voluntatis tractari infirmitas debuit.* Hunc liberum in Christo voluntatis nutum, & hos liberos affectus negat contra Patres procaciter Calvinus, sed vno verbo non refutat; satis habens suam singularem & arrogantem opinionem, quam simplicitatis vocabulo vestit, absque vllò argumento aut ratione opponere. Quare quod in sequentibus addit Calvinus, *passiones in Christo vitiosas non fuisse sicut nostræ sunt, eò quòd neque intemperanter ferebantur & ultra modum, neque absque iusta & legitima causa in illo oriebantur,* hoc totum nec Patrum sententiam refutat de libera affectuum nostrorum susceptione Christo propria, neque Christi puritatem & gloriam satis defendunt. Vitiosæ quippe passiones sunt, non solùm quæ modum excedunt, & sine iusta causa exercentur; sed etiam quæ inuitis nobis erumpunt, quæ sæpe, quum nolumus, insurgunt, & sæpe, quum volumus, deficiunt: quæ tota vitiositas originalis peccati corruptio est: à qua quum Christus prorsus immunis fuerit, non potest puritati eius congruere, huiusmodi passionibus subiectum fuisse. Ita Calvinus absque vlla ratione, causa, argumento, solùm vt singulariter sapere videatur, doctissimorum Patrum consentienti iudicio arroganter & petulanter contradicit: ac sententiam sustinet, non solùm Christi gloria indignam, sed & eius puritati repugnantem.

Sed quid ad Scripturam præsentem huius Euangelij respondet, quæ dicit: *Turbauit semetipsum,* vnde colligit Augustinus quòd liberè & voluntariè hanc turbationem in se admisit? Ad hanc Scripturam hoc solùm respondet. *Turbauit qui*

Passiones vitiosæ quot modis fiunt.

Scriptura quidem seipsum Christus, & vehementer commotus fuit, sed ita
verba elu- ut se continuerit sub Patris voluntate. Hoc quidem verum
dit Calui- est, sed hoc nihil contra S. Augustini & aliorum Patrum ex-
nu. positionem facit: hoc etiam non explicat, cur dixerit Euan-
 gelista, *Turbauit seipsum*, non autem dixerit, turbatus fuit.
 Nam ut homines boni ac prudentes omnes tamen turbentur
 interdum ex improviso, & inuoluntariè, per motus obre-
 pitios vitiosos, frequenter tamen sub Dei voluntate se con-
 tinent, & motus illos ad pietatis & rationis nutum refrenant.
 Nec tamen de huiusmodi dici possit, *Turbauerunt seipsum*.
Caluini Petulans ergo iste & audax hæreticus nec Scripturarum sen-
arrogantia sum à Patribus vult discere, nec quod Patres docent potest re-
& imperi- futare. Ita & doctissimos Patres arroganter contemnit, & di-
tin. uinas Scripturas legitimè non exponit. Hæc eius temeritas
 & arrogantia & inscitia (quam in aliis locis quàm plurimis
 etiam circa dogmata non controuersa exercet, nouasque in-
 terpretationes indefinenter affectat) obseruatione digna est,
 ut à tali impostore quàm diligentissimè sibi omnes caueant,
 verasque & orthodoxas Sanctorum Patrum expositiones, pro-
 pter eius singulare iudicium, nulla ratione, nullo argumento
 communitum, nequaquam reiiciant.

44. Dixit eis Iesus: Soluite eum, & finite abire.

Est hinc sanctorum Patrum pia & legitima applicatio à
 Caluini cauillis exinenda & asserenda. Sic enim in hæc
 verba garrit. *Ter ridiculi* (inquit) *sunt Papista*, qui auricular-
 rem confessionem inde eliciunt. *Christus*, inquit, postquam
Lazarum uite reddiderat, à discipulis suis solui voluit: Ergo
 non satis est reconciliari nos, nisi Ecclesia quoque peccata nobis
 remittat. Hæc ille. Nam quum Papitas propter hanc appli-
 cationem de absolutione per Ecclesiam necessaria (ad pecca-
 torum quippe confessionem auricularem hæc verba Catho-
 lici non applicant, mendacium id Caluini est) ter ridiculos
 vocat, antiquos & doctissimos Patres hac foeda labe adspersit,
 & per Catholicorum hodie latera illos transfuerberat. Sic
 enim in hunc locum scribit S. Augustinus. *Processit Lazarus,*
& adhuc ligatus est, adhuc inuolutus, tamen iam foras processit.
Quid significat? Quando contemnis, mortuus iaces: quando
confiteris, procedis. Quid est enim procedere, nisi ab occultis
velut exeundo te manifestare? Sed ut confitearis, Deus facit,
magna voce clamando, id est, magna gratia vocando. Ideo cum

processisset mortuus adhuc ligatus, confitens & adhuc reus, ut soluerentur peccata eius, ministris hoc dixit Dominus: Soluite illum, & finite abire. Quid est, Soluite, & finite abire? Qua solueritis in terra, soluta erunt & in celo. Hæc hæctenus Augustinus. Non ausus est Calvinus Augustinum ter ridiculum vocare: vocauit Papistas. Vnde aut Augustinum inter Papistas numerat, aut, quod hodie Papistæ docent, ab Augustino eos accepisse ignorauit. Similem applicationem videre est apud Cyrillum Alexandrinum lib. 7. in Ioan. cap. ultimo. Sed & Gregorius ille magnus Pontifex, & Doctor Ecclesiæ celeberrimus, in huius Euangelij verba ita scribit. *Cause pensanda sunt, & tunc ligandi atque soluendi potestas exercenda. Quod bene quatruiduani mortui illa resuscitatio significat, qua videlicet demonstrat, quia prius mortuum Dominus vocauit & uiuificauit, dicens: Lazare, veni foras: & postmodum is qui uiuus egressus fuerat, à discipulis est solutus: sicut scriptum est: Cum egressus esset qui fuerat ligatus in stratis, tunc dixit discipulis: Soluite eum, & finite abire. Ecce illum discipuli iam uiuentem soluunt, quem Magister resuscitauerat mortuum. Si enim discipuli Lazarum mortuum soluerent, factorem magis ostenderent quam virtutem. Ex qua consideratione intuendum est, quod illos nos debemus per Pastoralem auctoritatem soluere, quos auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam uiuificare.* Hæc Gregor. Et hunc doctissimum Pontificem ac vitum sanctissimum ter ridiculum vocare Calvinus non verebitur. Sed moriatur anima mea morte horum iustorum, & sit pars & hæreditas nostra in terra uiuentium, in consortio Sanctorum in cælo regnantium. Lupus Calvinus abducatur discipulos post se quos potest: ut cæcus cæcum ducat, & ambo in fontem cadant. Verè enim post se abducit discipulos, qui suum proprium iudicium sequutus, sanctos Patres non solum non audit, sed & ter ridiculos vocat. Verè cæcus est & nihil videns, sed in media luce palpans, qui lumina Ecclesiæ, quos *Lucem mundi* Christus vocat, veteris Ecclesiæ Pastores celeberrimos penitus despiciens, suam propriam lucem, id est, tenebras deprauati cerebri sui, in omni Scripturarum interpretatione sequitur.

*Homil. 26.
in Euang.*

*Math. 15.
Act. 20.*

51. *Hoc autem à semetipso non dixit; sed cum esset Pontifex anni illius, prophetauit.*

Solent hodie hæretici more veterum omnium, ut Catholicam doctrinam in odium atque inuidiam vocent, in eius

*Pontificum
vitia eb-
seruāt hæ-
retici.*

mini

ministros ac doctores quæcunque vel fingere vel amplificare
 libet, crimina conicere. *Non nisi hominum crimina* (ait Au-
 gustinus de sui temporis hæreticis) colligere affectant: & ea
 ipsa plura falsissimè iactant: ut quia ipsam diuina Scriptura ve-
 ritatem, qua ubique diffusa Christi Ecclesia commendatur, cri-
 minari & obscurare non possunt, homines, per quos predicatur,
 adducant in odium, de quibus & fingere, quicquid in mentem
 venerit, possunt. In hunc finem colligunt & corradunt sum-
 ma diligentia hæretici hodie, quicquid de malorum Pontifi-
 cum ac Sacerdotum vita, seu verum seu falsum, vel à poste-
 riorum temporum historicis memoriæ traditum, vel incerta
 & mendaci fama relatum inuenerunt. Nec ad populum se-
 ducendum, qui illorum primarius scopus est, validiora affe-
 runt argumenta quàm quæ ab huiusmodi criminationibus
 perunt. Cæterùm nec paucorum crimina, orbis Christiani cri-
 mina sunt, cui nos communicamus (ut eisdem hæreticis respõ-
 det Augustinus) & ad quosdam illa crimina pertinent, non ad
 uniuersum orbem Christianum; nec in quibus illa vera sunt,
 autoritate propterea legitima, aut veritatem Euangelicam
 docendi firmitate exciderunt. An fortè inter illos magis im-
 pius quisquam fuit quàm Caiphas iste Iudæorum Pontifex,
 qui vnus consilium dedit perdendi Christum, idque non ob
 doctrinæ vitium quam docuit, sed ne venirent Romani, & tol-
 lerent locum eorum & gentem? Per os tamè huius impij Pon-
 tificis prophetare, maximumque fidei mysterium pronun-
 ciare Spiritus sanctus voluit. Prophetauit (ait D. Euangelista)
 quòd Iesus erat moriturus pro gente, scilicet Iudaica, & non
 tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, in unum
 congregaret. An non hoc maximum fidei nostræ ac diuinissim-
 um mysterium est, totius mundi redemptorem esse Iesum
 Christum? illum esse pacem nostram, qui fecit utraque unum,
 ut mediū parietem maceria soluens, duos condat in semetipso
 in unum nouum hominem, faciens pacem, ut reconciliet ambos
 in vno corpore Deo. per crucem interficiens inimicitias in se-
 metipso? At hoc totum prophetauit Caiphas. Dicente quip-
 pe illo, mori pro populo, Iudaici populi salutem per Christi
 mortem Spiritus sanctus insinuauit: addente, ne tota gens
 pereat, Pontifex impiissimus & prophetauit, & prophetiam
 diuinissimam ore licèt impuro eructauit. Sed quare hoc ille,
 & non alius quàm ille homo totus politicus & impius? Quis
 erat Pontifex anni illius, ait Euangelista. Vides (ait Chryso-
 stomus) quanta sit Pontificalis potestatis virtus? Os tantum

De unita.
Eccles. c. 2.

Pontifex im-
piissimus
de summo
fidei my-
sterio pro-
phetauit.

Ephes. 2.

Hami. 6. 4.
in Ioum.

gratia, non etiam scelestum cor attingit. Hoc quippe (ait D. Aug. ^{contra Eut.} ^{lib. 15.} ^{cap. 11.} ^{Tract. 29.} ^{in Ioan.} ^{Impsal. 39.} ^{Homil. 85.} ^{in Ioan.} ^{Philip. 10.} ^{Caluini} ^{arguer-} ^{rationes} ^{refutatur.}) in eo egit propheticum chrisma ut prophetaret, hoc ^{contra Eut.} ^{lib. 15.} ^{cap. 11.} ^{Tract. 29.} ^{in Ioan.} ^{Impsal. 39.} ^{Homil. 85.} ^{in Ioan.} ^{Philip. 10.} ^{Caluini} ^{arguer-} ^{rationes} ^{refutatur.} impia vita ut nesciens prophetaret. Et in hunc ipsum locum. Quod prophetavit impius Caiphas, diuino sacramento tribuit. ^{contra Eut.} ^{lib. 15.} ^{cap. 11.} ^{Tract. 29.} ^{in Ioan.} ^{Impsal. 39.} ^{Homil. 85.} ^{in Ioan.} ^{Philip. 10.} ^{Caluini} ^{arguer-} ^{rationes} ^{refutatur.} Euangelista, quia Pontifex fuit. Aliud quippe dixit & sensit. ^{contra Eut.} ^{lib. 15.} ^{cap. 11.} ^{Tract. 29.} ^{in Ioan.} ^{Impsal. 39.} ^{Homil. 85.} ^{in Ioan.} ^{Philip. 10.} ^{Caluini} ^{arguer-} ^{rationes} ^{refutatur.} Caiphas, aliud per illum dicere & docere voluit Spiritus sanctus. Et quare hoc aut quomodo? Rationem reddit D. Ambr. ^{contra Eut.} ^{lib. 15.} ^{cap. 11.} ^{Tract. 29.} ^{in Ioan.} ^{Impsal. 39.} ^{Homil. 85.} ^{in Ioan.} ^{Philip. 10.} ^{Caluini} ^{arguer-} ^{rationes} ^{refutatur.} *Alia sunt verba delictorum, alia sacramenta salutis. Non prædicant verba virtuti. Suis viribus substantia diuina fulcitur. Homo auditur, Deus in operibus agnoscitur. Idem docet D. Chrysostomus. Quicquid conceditum habet Sacerdos, solius Dei donum est; & ubi humanam exercet sapientiam, minor illi gratia apparet. Deus omnia facit, Sacerdos linguam & manus præbet. An verò illi quos Paulus dixit per occasionem & per inuidiam adeoq; per contentionem Christum prædicasse, existimantes se pressuram suscitare vinculis eius, impij plane & scelerati homines non erant? De eorum tamen prædicatione ait Paulus, In hoc gaudeo, sed & gaudebo: non sanè gaudurus, sed quantum in ipso erat modis omnibus restiturus, si homines impios veritatis Euangelicæ ministros esse non posse iudicasset. Hominum ergo crimina, Pontificū & Sacerdotum vitam interdum parum laudabilem, vitiosam, cõtaminatam, contra ipsius, quam prædicant, doctrinæ veritatem frustra & inaniter ventilant hæretici. Aduertere debuerunt, Deum, qui per Ecclesiam docentem loquitur, non solùm per bonos, sed etiam per malos ministros, non quæ ipsorū, sed quæ sua sunt loqui, nec propter illos (quorum ibi causa nõ agitur) sed propter fidelem populum, quorum saluti aliorū ministerio Deus prospicere voluit, veritatis doctrinam tradere. Facile hoc vident & aduertunt hæretici, quum sui ministri dignitatem tueri volunt: idque sibi pernecessariū agnoscunt, quum ipsorum hodie ministris nihil iam sit ferè fœdus, nihil in omni viciorū genere cõtaminatius. Sed in Catholicæ veritatis doctoribus hoc aduertere nolunt, videre & agnoscere detrectāt.*

Reluatur hoc loco Calvinus defensionem nostræ, quam in suis non minus libenter quàm necessariò admittit. *Plusquam ridiculi (inquit) sunt Papista, qui ex hoc Caipha exemplo colligunt habendum esse pro oraculo quicquid Romano Pontifici effutire libuerit. Sanè plusquam ridiculus est Calvinus, qui talem Papistis sententiam affingit. Non id ex hoc loco colligunt Catholici, Pontifici Romano aut cuilibet Episcopo seu Pastori credendum esse, quicquid effutire libuerit.* Putida hæc

hæc Caluini calumnia est, quam illi plusquam ridiculè effu-
 tire hoc loco libuit. Quod Catholici ex hoc loco colligunt,
 istud est: Nec Romani Pontificis nec cuiuslibet alterius Epi-
 scopi aut Sacerdotis vitam impuram impedire, quo minus
 cathedram & potestatem docendi legitimè occupans, veram
 doctrinam tradat, Christumque verè & vtiliter prædicet.
 Nunc totam inuertit caullator Caluinus, vt putidæ calum-
 niæ locum faciat. Addit huic putidæ calumniæ argumen-
 tationem insulsam. *Primum* (inquit) *vt illis demus Prophetam*
semper esse quisquis est summus Sacerdos, probare tamè necesse
habebunt Romanum Pontificem Dei mandato creari. Nam Sa-
cerdotium vnus hominis Christi aduentu abolitum fuit; neque
vsquam legimus diuinitus præscriptum fuisse, vt vnus quispiam
toti Ecclesia præset. In hac insulsa argumētatione tam mul-
 ta propemodum sunt vitia quot verba. Primum, summum sa-
 cerdotem Prophetam semper esse (quod ille se nobis dare
 dicit) nemo Catholicus à Caluino sibi dari postulat, quia &
 nemo Catholicus hoc asserit. Summum Ecclesiæ Christianæ
 Sacerdotem in doctrina fidei non errare asserimus; Prophe-
 tam semper esse, vt videlicet quicquid libuerit affirmet (quo-
 modo Caluinus loquitur) non dicimus. Nec ipse Caiphas,
 quamuis vt Pontifex prophetauit, Propheta tamen fuit, vt
 semper vera diceret, qui, nisi hoc fortassè temporis articulo,
 prophetauit nunquam. Deinde *Romanū Pontificem Dei man-*
dato creari probare necesse non habemus, nisi apud hæreti-
 cos: apud quos etiam Christum esse verum Deum probare
 necesse est, quando negare id volent, vt olim Ariani, hodie in
 Transsiluania Francisci Davidis & Georgij Blandratæ mini-
 stri faciunt. Addit Caluinus *sacerdotium vnus hominis Chri-*
sti aduentu abolitum fuisse. De legali sacerdotio, & quoad
 munus propriè sacrificale, verum est. Non enim vnus iam, sed
 omnes Sacerdotes idem diuini sacrificij munus equaliter per-
 agunt. De Ecclesiastica prælatura, quam nisi Sacerdotes exer-
 cent, falsum est. Imò ait Caluinus, *nusquam legimus diuini-*
tus præscriptum fuisse, vt vnus quispiam toti Ecclesia præset.
 Opinor sanè Caluinum hoc nusquam legisse; quia quod le-
 gerat, intelligere noluit. Eutyches in Scripturis duas Christi
 naturas se nunquam legisse Concilio Chalcedonensi respon-
 dit. *In qua* (inquit) *Scriptura iacent duæ nature?* Alij omnes
 hæretici nunquam id in Scripturis legunt, quod credere in
 Scripturis nolunt. Nos verò Catholici hoc perspicuè in Scri-
 pturis legimus, Sanctique ante nos Patres legerunt, dicente
 Chi

Caluini-
 na argu-
 mentatio-
 nis vitia.

1.

2.

3.

4.

Concil.
 Chalced.
 Act. 3.

Christo ad Petrum, & ad solum Petrum, presentibus aliis Apostolis, & ad illum de maiori sua dilectione ter interrogatum: *Pasce agnos meos, Rege oves meas, Pasce oves meas.*

ἰσχυρὴ τὰ ἀρνία μὲν. ποιμαίνε τὰ πρόβατα μὲν. βοῶνα τὰ πρόβατα μὲν.

Quæ verba tam variè & distinctè à Christo prolata quantum valeant, infrà discutiemus. Sed Calvinus ista non legit, quia

quum legeret, ineptissimè maluit ex priuato suo sensu contra illa cauillari (vt eodem in loco ostendimus) quàm apertam & dilucidam Christi mentem cum Catholice Ecclesiæ sensu & consensu amplecti. Pergit adhuc ineptire hoc loco Calvinus. *Ut hoc quoque secundo illis demus, ius & honorem Pontificis ad Rom. Episcopum translatum esse, videndum quid Sacerdotibus profuerit quòd Caïpha vaticinium amplexi sunt. Vt subscribant illius sententia, conspirant in mortem Christi. Procal vero à nobis faceffit talis obedientia, quæ nos ad horribilem apostasiam, filium Dei abnegando, impellat. Eadem voce blasphematur & simul prophetatur Caïphas. Qui eius dicto obsequuntur, contempta prophetia blasphemiam arripiunt. Idem ne cõtingat nobis cauendum, si Romanum Caïpham audierimus: alioqui similitudo claudicaret. Totam impostoris sententiã posui, vt ad eius tandem conclusionem peruenirem. Hæc quippe conclusio totam præcedentem disputationẽ vanam & frivolum cõuincit. Alioqui (inquit) similitudo claudicaret: hoc est, nisi hæc absurda, quæ colligo, in re præsentis locum habeant, similitudo claudicaret. Atquæ similitudinem claudicate quid, quæso, absurdi est? aut quid necesse est, vt exemplo prophetantis Caïphæ, mali ministri doctrinã vera approbetur, ministri doctrinã prophetiæ Caïphæ per omnia similem esse? Ex hoc exemplo nihil aliud aut amplius colligimus quàm quod collegit Euãgelista *Prophetavit homo impius, quia Pontifex erat.* Colligitur inde. Vera docere possunt homines impij, quia Pontifices sunt, quia ministerij Ecclesiastici locum tenent: quia (vt ipse Calvinus hoc loco affirmat) *Deus Sacerdotium à se institutum potius respicit quàm hominis personam.* In hoc tenet similitudo, in hoc non claudicat, sed in causa ministerij Ecclesiastici non secus valet, quàm in veteri illo Sacerdotio ymbratili valuisse videmus. Cætera in factò Caïphæ aduentitia nec in exemplum trahuntur, nec ad similitudinem tam ab ipsis hæreticis quàm à nobis collectam vllò modo pertinent. Dicit hoc loco Calvinus. *Eodem modo per os Balaam, quem spiritu prophetia Deus denauerat, populo suo benedicere voluit.* An vult Calvinus vt hæc similitudo per*

Ad Ioan.
cap. 21.

5.

Calvinus
ex seipso
refutatur.

Num. 23.
2. Petr. 2.
Apocal. 2.
Iuda 11.

omnia teneat, nec in villo claudicat? An vult vt cum ipso Balaam idola colamus, vt vitulos & arietes super aras immolemus, vt mercedem iniquitatis amemus, vt filios Dei peccare doceamus? Hæc omnia fecit iste Balaam, etiam cum populo Dei benediceret. Sed sicut Balaam homo impius populo Dei benedicens, exemplum sanè est eorum in Ecclesia ministrorum Dei, qui impiè viuentes vera docent; ad alia tamen quæ ille fecit ac docuit, quæque ex eius pessima doctrina cõsecuta sunt, similitudo non valet: sic Caiphaz homo impius beneficium mortis Christi prophetans, exemplum quoque eiusdem rei est; ad alia tamen quæ vel ille impiè sensit, vel ex eius impio consilio sequuta sunt, similitudo trahenda non est. Nempe prophetavit vt Pontifex consilium interficiendi Christum, quod ceteri sequuti sunt; non dedit vt Pontifex, sed vt homo impius. Atque hîc Calviniana collectio non claudicat tantùm, sed & penitus deiecta iacet.

Calvinus
iterum ex
seipso re-
futatur.

Addit adhuc Calvinus modis omnibus satagens, vt hoc exemplum infirmer, hoc est, vt Euangelistæ annotationem inanem ac friuolam esse doceat. *Quæro præterea* (inquit) *an quia semel prophetavit Caiphaz, singula Pontificis verba totidem semper sint prophetia. Atqui paulo post summum ac præcipuum fidei nostræ caput blasphemiæ damnauit. Vnde colligimus quod nunc Euangelista refert, extraordinarium fuisse, ac præposterè in exemplum trahi. Hæc ille. Quæro & ego à Caluino, an prophetia Balaam, qua benedixit populo Dei, non fuerit extraordinaria? Sanè ita extraordinaria fuit, vt ille nec Propheta, nec Sacerdos Dei, nec etiam de populo Dei, sed idololatra & ariolus fuerit. Si ergo hoc factum tam extraordinarium, in exemplum tamen trahitur, quo docemur Deum per impios ministros loqui (nam & ipse Calvinus hoc loco, eodem modo, inquit, per os Balaam, quem spiritu prophetiæ donauerat, populo suo benedicere voluit Deus) quanto magis Caiphaz prophetia, quantumuis esset extraordinaria, in simile exemplum trahitur! Ille enim & de populo Dei, & summus Sacerdos fuit, nec extraordinario aliquo spiritu prophetiæ donatus, sicut Balaam, sed, vt ipse Euangelista affirmat, quia Pontifex erat anni illius, id est, propter ordinariam pontificalis gratiæ virtutem prophetavit. Quare hæc eius prophetia non fuit, vt Calvinus vult, extraordinaria, vel extra ordinem & præter rationem vocationis & muneris eius: sed quod postea fecit, quodque Calvinus allegat, quum præcipuum fidei nostræ caput blasphemiæ damnauit, videlicet de venturo*

turo Christo in maiestate sua ad iudicium, hoc planè extraordinarium fuit, & præter ordinem ac dignitatem illius Sacerdotij, ideòque singulariter à Prophetis veteribus prædictum. Quum enim ordinaria veteris Synagogæ institutio hæc esset, *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius: & iterum. Qui non obedierit summo Sacerdoti, qui pro tempore fuerit, morte moriatur: aliaque in veteri Scriptura per multa, quæ Christus ipse in Evangelio confirmat, dicens. Super cathedram Moysis sederunt Scribae & Pharisei: quaecunq; ergo dicunt, facite: tandem vero veniente Messia, quum translatio legis & sacerdotij veteris abolitio immineret, & ipsa Synagoga suo merito reprobanda esset, Prophetæ hoc ipsum quasi rem præter ordinem, & ut minus credituri Iudæi scandalizarentur, prædixere: idque verbis ordinariæ constitutioni diuinæ contrariis. *Lex peribit à Sacerdote, & consilium à Senioribus: Et iterum. In illa die peribit cor Regis, & cor principum, & obstupescunt Sacerdotes. Et adhuc alius Prophetæ. Nox vobis pro visione erit, & tenebra vobis pro diuinatione.* Hæc omnia valde extraordinaria erant, & præter primam sacerdotij legalis institutionem. Denique mysterium hoc vocat Paulus, quod cecitas ex parte in Israel contigit, ut plenitudo Gentium intraret. Vide nunc ergo impiam & præposteram Caluini disputationem, cui applaudunt Calvinistæ omnes. Caiphæ prophetiam & doctrinam veritatis ordinariam, quia Pontifex erat anni illius, tamen si impius ipse erat, nec quod prophetaret intelligeret, ad exemplum trahi Caluinus non paritur, quò ostendatur impios Pontifices ac Sacerdotes veram nihilominus doctrinam tradere, quia cathedram veritatis tenent. Eiusdem autem Caiphæ blasphemiam extraordinariam, & Sacerdotum Synagogæ (cadente iam illo statu, ut melior exurgeret) lapsum ac errorem, in exemplum trahi homo impius vult, ut totius Ecclesiæ Catholicæ per aliquot iam secula apostasiam ac ruinam conuenis & sodalibus suis persuadeat. Hoc enim studiose facit in Institutione sua innumeris mendaciis, paralogismis, blasphemis referta, quod alio loco protulimus, & refutarum reliquimus. Atque hæc de his Evangelij verbis, impiæque & vana Caluini tergiversatione hætenus.*

Malach. 2.

Deut. 17.

Matth. 24

Ezech. 6. 7.

Hierem. 4.

Mich. 3.

Rom. 11.

Præpostera

Caluini

disputatio.

Lib. 4. c.

9. num. 7.

De Prin-

cip. fidei

lib. 2. c. 12.

IN IOANNIS CAP. XII.

Maria accepit libram unguenti nardi pistici, & unxit pedes Iesu, & exersit pedes eius capillis suis.

Templora
& altaria
cultus at-
que orna-
tus defen-
ditur.

Matt. 26.
Marco. 14.

Matt. 26.

NON incommodè docet hic locus placere Deo sumptuosos cultus & ornatum splendidum, quum in Dei honorem & cultum illa impenduntur, siue in templorum ornatu & magnificentia, siue in Sacramentorum administratione solemnè. Hoc enim pretiosum unguentum corpori humilitatis suæ impensum ita probavit Christus, ut apud Matthæum & Marcum contra murmurantem Iudam dixerit, *Opus bonum operata est in me.* Si opus bonum erat, corpus Christi mortale, & quatenus mortale, videlicet propter sepulturam significandam (dixit enim Christus, *Ad sepeliendum me fecit.* id est, meam imminentem mortem ac sepulturam hoc facto significavit tamen nesciens) pretioso unguento inungere; quis dubitare potest, opus bonum Deoque gratum illos operari, qui, optimè scientes quid & in quem finem agunt, vel templa quæ domus Dei in Scripturis vocantur, & in quibus Deus præcipuè colitur, sumptu pretioso edificant, vel altaria ornamentis splendidis exornant, ubi corpus Christi verum in passionis suæ sacrosanctæ cõmemorationem & consecratur & administratur? Voluit Christus in *coenaculo strato grandi*, id est, in loco amplo, & ornatissimo, Cœnã illam suam celebrare, in qua sacrosancta corporis & sanguinis sui mysteria primum dispensavit. An non satis insinuavit in loco semper decentissimo id fieri se velle, de quo tunc dixit, *Hoc facite in meam cõmemorationem?* Sed ut ad nostri Evangelij textum redeamus, placuit Christo & laudatur à Christo cultus corporis sui morituri & sepeliendi. Quanto magis placebit cultus corporis sui iam glorificati, & in gloriosæ suæ passionis memoriã, nostramque perpetuam salutem, verè nobis & realiter, tamen sacramentali modo, administrati! Non obstitit forma serui, & status externus humilis, quo minus hoc pretioso unguento ungeretur. Nec obstarè debent species sacramentales, res vulgaris, quo minus Christum in eis velatum verèque cõtentum omni cultu & veneratione prosequamur. Maria ungens nesciebat se ad sepeliendum Christum hoc facere, id est, futuram eius brevi sepulturam hoc suo facto significare, & officium illud atque obsequium prævenire quod post mortem frustra tentatura esset; volens enim iam sepultum ungere, eum surrexisse inuenerat. Laudatur nihilo-

minis à Christo, quia ex alia intentione bona hoc fecit, cum videlicet, ut magnum Propheram & hospitem, omni honore dignum existimans. Quanto magis populus hodie fidelis, optimè sciens quem honorat, & in quem finem honorat, à Christo laudabitur, quum locum illum splendide exornat, in quo Christum accepturi sunt, non ut hospitem externis & corporalibus officiis excipiendum, sed ut animarum suarum hospitem dulcissimum, qui carne & sanguine suo illos pascet? itane verò Christum in mensa recubentem pretioso unguento honorare Maria potuit, & laudatur? Christum in mensa sacra nobis apponendum fidelis populus si preciosi loci ornatu honorat, viruperabitur? Sed hæc est hodie hæreticorum stupida & crassa inscitia, ut quia interno cultu Deus præcipue colitur, idcirco externum omnem ab ipso respui & condemnari existiment. Quod perinde est ac si dicerent. Præcipuus honor, qui parenti à filio debetur, est amor & affectus filio dignus: ergo externa aliqua reuerentia parentem prosequi necessarium non est.

Inter alios hæreticos sic in hunc locum garrit Calvinus. *Vnctio quam Iudas culpabat, hoc nomine defenditur, quod sit sepulchralis. Ergo non probat Christus quasi ordinarium cultum, & cuius communis in Ecclesia esse debeat usus.* Primum *Calvini castilla diluuntur.* non hoc solo nomine hanc vnctionem probavit Christus quod esset sepulchralis, sed hanc huius vnctionis mysticam significationem esse docuit. Sanè si nulla alia ex causa eam probasset, Mariæ ungentis (quæ illam significationem non intellexit) nulla laus esset, aut certè non tanta, ut quaqua- *Matt. 26.* versum Evangelij prædicatio innotesceret, *diceretur quod hoc fecit in memoriam eius: sicuti Christus futurum dixit.* Nam eandem fuisse vnctionem, quam in hoc Evangelio Ioannes, & Matthæus, ac Marcus commemorant, ipsemet Calvinus diligenter hoc loco astruit. Laudat autem Christus pietatem Mariæ, & honorem illi exhibitum. Sic enim post murmur discipulorum eam defendit Christus. *Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me.* Hoc opus ex parte mulieris bonum non fuisset, nec illa bonum operata esset, nisi bonam aliquam in hoc opere intentionem habuisset. Aliam verò illam habuisse quàm ut Christum honoraret (nam & ungere capita Iudæi solebant quum hilariùs excipi volebant. Vnde Simoni Pharisæo hospiti suo exprobrauit Christus, *Oleo non unxisti caput meum*) intelligi non *Luc. 7.* potest. Deinde illatio Calvinii futilis est. Quis enim vnctione

similem quasi ordinarium cultum aut Christo adhibitum fuisse dicit, aut nunc adhibet, aut eius in Ecclesia usum quis vnquam vidit? Quare & id quod aduertit prorsus ridiculum est. Nam si quotidie tale sibi officium præstari vellet, quiduis potius dixisset, quàm hoc sepulturae suae datum. Tale nunc officium nec quotidie, nec vnquam, Christo præstatur; nec soli sepulturae datum fuit, vt iam dictum est.

Pergit ineptite Caluinus. *Et certè Deus externas pompas non moratur.* Cultus ergo diuini ignarus erat Dauid, quum diceret: *Domine dilexi decorem domus tuae, & locum habitationis gloriae tuae.* Sed & tota illa splendissima tabernaculi in deserto, posteaque templi in loco quem elegerat Dominus, extructio præter Dei voluntatem facta erat. Sanè ita, si plus mendaci Caluino quàm Scripturis diuinis credimus. Addit adhuc quasi bellum Deo indicens. *Imò quum nimis procliuè ad carnales ritus hominis ingenium esse videat, subinde nos in illis parcos & sobrios esse iubet.* Rectissimè fecisset Caluinus, si, vbi & quando Deus hoc iusserit, alicunde ostèdisset. Nunc iubere Deum Caluinus dicit, quod non Deus iubet, sed Caluinus suadet. Hæc est proteruia hæretica, suis placitis Dei nomen affingere. Deinde vt ad carnales ritus procliuè est hominis ingenium, ita absque ritibus & ceremoniis friget hominis in Deū pietas, quod ex ipso Caluino supra accepimus. Adde quòd ritus & ceremoniæ Christianorum carnales ritus non sint, quum neque ad carnis iustitiam, neque ad vmbra-tillem significationem, vt olim Iudæorum, sed ad Dei gloriam, eiusque nominis honorem, & ad pietatis flammam magis accendendas (quod ipsa pios experientia docet) instituantur. Concludit tandem Caluinus. *Quare præposteri sunt interpretes qui ex Christi responso inferunt placere Deo sumptuosos & magnificos cultus: quum potius Mariam excuset, eò quòd extraordinarium sibi officium præstiterit, quod ad perpetuam colendi Dei normam exigi non docebat.* Non esse præposteros sed legitimos interpretes qui ex Christi responso inferunt placere Deo sumptuosos & magnificos cultus, disputatio nostra præcedens demonstrauit. Nec Mariam Christus excusat de officio extraordinario sibi præstito; sed postquam eius opus bonum, quatenus ipsa operata erat, laudasset, extraordinariam eius significationem explicauit; vt eò magis Discipulorum murmur comprimeret, & de instanti sua passione doctrinam inculcaret.

Absterfa nunc & diluta tota Caluini in hunc locum cauillatione:

Externi
cultus Deo
grati.
Psal. 23.
Exod. 35.
& seqq.
3. Reg. 6.

Ad Ioh. 4.
v. 23.

lacione, non nisi inanibus paralogismis (qualia eius sunt omnia) referta, de re ipsa quam hoc exemplo astruimus, de templorum magnificentia, & eorum quæ ad externum cultum pertinent splendore in Ecclesia Catholica perpetuò approbatis contra nouatores istos pauca in medium antiquitatis testimonia proferemus. Sanè vt creuit ac floruit magis Christiana religio, ita templorum decor & magnificentia. Tempore Constantini Magni, qui primus Christianam religionem publicè professus est, oratoria Christianorum à tyrannis destructa clariora & celsiora resurgebant, & pro humilibus conuenticulis excelsa templa eleuata sunt, idque cum maxima Christianorum lætitiâ, vt narrat Eusebius testis oculatus. Quo in genere Constantij eiusdem Constantini filij pietatem laudat Athanasius, de extructa Alexandriæ ram ingenti Basilica, vt ea sola capere posset populum, quæ aliæ omnes prius capere non poterant. Quum autem eodem tempore à Gallo & Iuliano Basilica S. Martyri Mama maximis sumptibus extrui cœpisset, Greg. Nazianzenus scribit, *munus id Galli* (nam Iulianus non nisi hypocriticè & politicè ad idem opus concurrebat) *Deo acceptissimum fuisse, vt quondam fuit sacrificium Abel.* Eodem tempore Gregorius Nyssenus templum S. Theodori Martyris magnificentissimum, variisque picturis & sculpturis ornatissimum describens, apertè laudat hoc genus pietatis in erigendis magnificis templis. Sed & Reginas Theodosij iunioris matrem & coniugem hoc nomine eximie prædicat Cyrillus Alexandrinus, quod sumptuosissima Christo templa erigerent, & hoc illarum animabus à Deo concessum gratulatur. Sed & alter Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus de Regum sui temporis pietate ita scribit. *Isti qui nunc sunt Reges pietatis ergo argento induentes & auro sanctam hæc Ecclesiam Resurrectionis, in qua nunc sumus, extruxerunt, & argenteis monumentis splendidam effecerunt.* Porro de Apostolorum templis & Martyrum Basilicis magnificentissimis ita meminit S. Chrysostomus. *Seruatorum Crucifixi sepulchra regis aulis sunt clariora, non magnitudine & pulchritudine edificiorum (nam & in hoc superant) sed, quod multo maius est, conuenientium studio.* De ipsis fortasse Antiochenis templis (nam Antiochiæ ista dicebat) loquitur, quorum sacra vasa Iuliani apostatæ quæstor olim diripiens, eorum magnificentiam conspicatus dixit, *Ecce quam sumptuosus vasis filio Mariæ ministratur.* Tantundem cum suis Hugonotis, qui Ecclesias Gallicanas diripuerunt, dicturus haud dubiè Calvinus erat,

Templorum cultus antiquitate testimonio comprobatur.

Histor. Eccles. lib. 9. cap. 10.

In Apol. ad Constantinum.

Orat. 1. in Iulianum.

Orat. in S. Theodori.

In lib. de recta fide ad Reginas, in principio.

Catech. 14.

Ham. 66. ad pop. Antioch.

Theodoret. lib. 3. cap. 12.

qui contra sumptuosos & magnificos Dei cultus tam accurate disputavit. Hæc pauca, sed summa antiquitatis & doctissimorum Patrum testimonia, contra prophanam hoc loco Calvini sententiam sufficere possunt. Vnum adiciam D. Augustini, cuius eruditionem & pietatem præ cæteris venerari solet Calvinus. Disputans ex instituto Augustinus contra simulachra Gentium, & ornatum eorum, quo in loco externam istam in templis Christianorum pompam reprehendere & culpæ potius debebat quàm laudare, si aliquid reprehensione dignum in illis esset, de illa externa & sumptuosa pompa, à cultu carnali diligenter eam distinguens, ita scribit. *Simulachra Gentium argentum & aurum: sed Deus fecit argentum & aurum. Ipsa tamen simulachra opera manuum hominum. Hoc enim venerantur homines quod ipsi ex auro argentoque fecerunt. Sed enim & nos pleraque instrumenta & vasa ex eiusmodi materia vel metallo habemus in usum celebrandorum Sacramentorum, quæ ipso ministerio consecrata, Sancta dicuntur, in eius honorem cui pro salute nostra inde servitur. Et sunt profecto etiam ista instrumenta vel vasa quid aliud quàm opera manuum hominum. Veruntamen nunquid eos habent, & non loquentur? Nunquid oculos habent, & non videbunt? Nunquid eis supplicamus, quia per ea supplicamus Deo? Hæc Augustinus, quem fidelissimum vetustatis interpretem vocare Calvinus solet. Docet & testatur ex more Christianorum esse, ut in templis suis habeant instrumenta & vasa aurea atque argentea. Non ad usum prophanum, sed ad usum celebrandorum Sacramentorum, baptismi imprimis & venerabilis Eucharistiæ. Non nisi enim hæc duo ab Augustino pro Sacramentis haberi, dicere solent hæretici. Et certè illa frequentissimè commemorat, de aliis tamen aliquando etiam mentionem faciens. Sed ad horum maximè usum vasa & instrumenta aurea atque argentea (quæ quid aliud esse possunt quàm ad baptismi quidem usum baptisterium ipsum, aut peluis aliqua, vel viceoli, ad venerabilis autem Eucharistiæ celebrationem calices, altaria, candelabra, patinæ, viceoli, thuribula, & similia) in templis haberi affirmat. Docet hæc ipso ministerio consecrata Sancta vocari, nempe ab hominibus laicis non contingenda, ut magnus ille theologus Gregorius Nazianzenus scribit; nec nisi in summa Ecclesia necessitate profananda, quod Ambrosius piè se fecisse commemorat, & extra necessitatem factum Patres Arelatenses anathemate notant. Docet porro Augustinus, in Dei honorem, cui pro salute nostra*

Enar. in
Psal. 113.
Conc. 2.

Inorat. ad
Arianos,
& de seipso:
& in Apologético.
Ambros. offic. lib. 2. cap. 28.
Concil. Arelat. 1. cap. 13.

inde

inde seruitur, hæc in Ecclesiis haberi: ac denique nos per illa Deo supplicare. Non dissimiliter de vasis & ornamentis Ecclesiasticis splendidis ac sumptuosis, scribunt alij Patres: S. Basilius in regulis brevioribus, Patres Concilij Laodicensis, Opratus libro sexto contra Parmenianum, Theophylactus in caput 14. Marci, vbi & Iudæ similes eos esse docet, qui, vt sacra Ecclesiæ vasa viliora sint, pauperum curam prætexunt; Prudentius in hymno de Sancto Laurentio, vt in hoc opere ad ipsum diem Sancti Laurentij recitauimus. Quæ omnia antiquitatis testimonia ad prophanam hodie hæreticorum adusum refutandam sufficiunt: qui nudis parietibus & sellis ligneis Deum suum colunt, quasi aut non maiori honore dignus ille foret, aut ad honorem domus Dei externus decor & apparatus nihil faceret. Quem animi sensum tota hæc hactenus Christi Ecclesia, vt excitatis testimoniis vetustissimis, que adhuc extantibus templis patet, penitus condemnauit. Ita quantum distat cælum à terra, tantum Ecclesiæ hactenus Christianæ cogitationes à cogitationibus hæreticorum hodie distant.

Ad quæst.
310. c. 21.

8. *Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.*

Abutuntur his verbis hæretici, vt Christi iam in cælos assumpti non aliam in terris præsentiam quam spiritua-
lem, qua Spiritus sui gratia credentibus adest, probent: & consequenter in Sacramento corporis & sanguinis sui, quod instituit, cum realiter & verè præsentem esse non posse confirmant. Nec ab hoc stupore vel ineptia ipse Calvinus abstinere. Sic enim in præclara sua Institutione scribit. *Diserte exprimit Christus se cum discipulis non semper fore in mundo. Vbi notatur in margine, Matth. 26. b. 11. Cuius loci hæc sunt verba quæ tractamus. Affingit autem statim solutionem quam conuellat, & dicit. Hoc autem dictum pulchre sibi diluere videmur, quasi neget Christus se pauperem & miserum semper fore, vel necessitatibus caduca vitæ obnoxium. Atqui non est hæc plena & integra Catholicorum solutio. Respondent Catholici Christum hæc verba dixisse de corporali sua præsentia in corporali & visibili forma, qua tunc conuersatus cum discipulis fuit, quæ humanæ vitæ necessitatibus obnoxia foret, & illis officiis humanitatis ac honoris indigeret. Nunc quid Calvinus replicet videamus. Atqui (inquit) circumstantia*

Christi
præsentia
realis in
Venerab.
Sacramen-
to defendi-
tur.
Lib. 4. c.
17. nu. 26.

Cathol. 75.
Spons. man-
eam alle-
gat.

loci palam reclamant: quando non agitur de egestate & inopia, vel misero terrena vita statu, sed de cultu & honore. Vnclio Discipulis non placebat, quod putarent superuacuum & inuilem esse sumptum, & luxuria affinem: ideoque in pauperes impensum maluissent pretium. Respondet Christus, se non semper fore presentem, ut tali honore colatur. Hac ille, non soluens sed firmans quod Catholici responderunt. Agitur enim sanè hic de cultu & honore quem sibi deinceps exhibendum Christus negat, sed agitur (vt Calvinus contra seipsum benè conclusit) de tali honore, quo videlicet corpus eius visibile pretioso aliquo vnguento amplius vngatur. Negat igitur Christus cum sui presentiam tum honorem & cultum. Sed sicuti negat presentiam non omnem, verum in visibili & mortali forma; sic negat honorem & cultum sibi deinceps impendendum, non omnem, sed qualis visibili & mortali corpori impendi solet. Quare hæc verba nec sacramentalem Christi presentiam excludunt, nec honorem tam venerabili Sacramento debitum remouent. Solutionem tamen suam ex D. Augustino confirmat Calvinus, qui hæc eadem verba tractans ita scribit. *Quum diceret Christus, Me non semper habebitis vobiscum, loquebatur de presentia corporis. Et paulò post, Secundum presentiam maiestatis semper habemus Christum, secundum presentiam carnis rectè dictum est, Me autem non semper habebitis. Habuit eum Ecclesia secundum presentiam carnis paucis diebus, modo fide tenet, oculis non videt. Quæ postrema Augustini ab ipso Caluino citata, docere Caluinum poterant quo sensu Augustinus corporis & carnis Christi presentiam his verbis negari doceat. Negari docet illam presentiam carnis quam paucis diebus Ecclesia habuit, visibilem videlicet & mortalem, vt Catholici respondent. Rursum negat iam oculis videri carnem Christi: quia videlicet sub visibili specie amplius non conspicitur. Ocularem carnem presentiam negat, non sacramentalem; quæ etsi vera & realis & corporalis sit, non tamen modus existendi est corporalis, sed spiritualis; ideoque fide non oculis etiam in hoc Sacramento tenet Christum Ecclesia. His igitur Christi verbis contra veram & realem Christi in Sacramento presentiam frustra Calvinus in sua Institutione abusus est, frustra abutuntur & alij horum temporum hæretici.*

Calvinus
ex seipso
refutatur.

Tract. 50.
in Ioan.

Augustinus
a Caluino
citatur
Caluinum
refutat.

Calvinus
ex seipso
refutatur.

Quod ita verum est, vt ipsemet Calvinus, vel suorum mendaciorum parum memor vel mutata in melius sententia, hæc ipsa verba hoc nunc loco exponens, contra Christi presentiam

in Sacramento illa non valere disertè doceat. Sic enim scribit in hunc locum. *Quod se negat Christus cum discipulis semper fore, ad genus præsentiæ referri debet cui carnalis cultus & sumptuosus hōnor conveniat. Nam quod Spiritus sui gratia & virtute nobis adest, quod habitat in nobis, quod nos etiam carne & sanguine suo pascit, nihil ad corporeos cultus. Hæc ille. Fateretur illam sui præsentiæ à Christo hoc loco negatam non ob stare quo minus carne & sanguine suo nos pascat. Non obstat ergo quo minus in illo venerabili Sacramento, in quo solo nos ita pascit, sacramentali modo præsens sit, vt pascat. Sic autem præsens quum sit, corporeo cultu & externa omni veneratione Christum esse prosequendum, honorādum, adorandum (quod & Lutherani contra Calvinistas rectissime sentiunt) in Promptuario nostro Catholico ostendimus. Bene ergo se res habet. Ridiculum Calvinii argumentum, ex his Evangelij verbis desumptum, ipsemet Calvinus refutavit.*

In festo venerabili Eucharistia.

13. *Benedictus qui venit in nomine Domine.*

Admonet nos ipse Calvinus valere hunc locum contra hæreticos omnes & pseudoministros verbi, qui nō veniunt in nomine Domini, sed in nomine suo. *In nomine Domini venit* (ait in hæc verba Calvinus) *qui non temere se ingerit, neque honorem falso usurpat, sed ritè vocatus Deum habet actionum suarum ducem & authorem. Competit elogium hoc in omnes legitimos Dei ministros. Et paulò post. Iam quia pseudopropheta superbè nomen Dei iactant, & fallaci hoc pre-textu se venditant, quum tamè diaboli impulsu ad perdendam Ecclesiam ferantur, subaudienda est antithesis, ut Dominus eos dissipet, ac in nihilum redigat. Probè sanè hæc omnia, & in caput suum egregiè Calvinus disputavit. Quis enim Calvinum misit vt Genevæ Dei nomine doceret, & pro legitimo Dei ministro se vendicaret? Cui Episcopo successit? Aut quis illi Episcopus manus imposuit? Cuius ille cathedram, nisi vnius Farelli, tenuit? Ipse Farellus cui successit? Nōne eiecto eodem die & Episcopo civitatis illius, & Principe loci legitimo Sabaudia dūce, tam in cathedram Episcopalem Farellus se ingressit, quàm in loci principatū rebellis populus se intrusit? Quàm pulchre igitur Calvinus & seipsum & alios omnes huius ætatis hæreticos, qui legitimam vocationem suam hæctenus probare nunquam potuerunt, hac sua annotatione maledictos, à Deo dissipandos, & in nihilum redigendos,*

Hæretici veniunt in nomine suo.

Calvinus ex seipso refutatur.

In festo S. Andrea & S. Marci, & fer. 3. Pentec.

docuit! Hanc enim antithesin subaudiri vult. Iam dudum in Promptuario nostro Catholico luculenter ostendimus, hæreticos horum temporū vocationem suam legitimam probare non posse; eorum missionem non nisi imaginariam esse; eos non intrasse per ostium, sed aliunde. Cur igitur hoc loco crimen illud taxare & exaggerare voluit Calvinus, quo ipse maximè tenetur reus? An ut de illo minimè suspectus haberetur? Sanè hic textus nullam huiusmodi suspicandi materiam suppeditabat, qui ita proprie ad Christum pertinet, ut ad alium transferri nequeat. Clamabat enim populus: *Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israël*; quod soli Christo competit. Cæterùm quia illa sententia ex Psalmo desumpta Regis Israël mentionem non facit, ideòque ad alios Prophetas, Pastores, Reges à Deo missos accommodari potest; Calvinus suæ sibi usurpationis conscius, propter antithesin quam includi videbat, iuxta eundem illum, sed verum versiculum, *Consciens ipse sibi de se putat omnia dici*, ex aliorum accusatione hanc à se amoliri suspensionem voluit. Nec eo contentus, etiam in alios idem crimen contorquet. Addit enim præcedentibus verbis. *Ita benedicere Christo non possumus, quin maledicamus Papæ, & sacrilega tyrannidi quam adversus Christum erexit. Sua quidem anathemata, nõ secus ac fulmina, magno impetu in nos vibrat, sed quæ securè contemnere velut inanes ampullas licet. Ex adverso autem Spiritus sanctus horribile anathema hic nobis dictat, quo usque ad ultimos inferos cum toto suo splendore & pompa mergatur.* Hæc Calvinus. Quis hic Calvinum disputare, & factum Dei Evangelium explicare, ac non potius tabulam aliquem indoctum ac bene potum in medio foro debacchari exiltimet? *Spiritus sanctus (inquit) horribile anathema hic nobis dictat, quo Papa usque ad ultimos inferos mergatur.* Vbi verò aut in quibus verbis hoc horribile anathema continetur? In illis, inquit: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* At quis non iudicaret beatam potius & optabilem benedictionem illa verba pronunciare? *Sed subaudienda est (inquit) antithesis, pseudopphetas omnes qui superbe iactant Dei nomen, à Domino dissipari, ac in nihilum redigi.* Esto: sit ita, demus hanc antithesin subaudiri, ne singula excutiendo nimis in Calvinum rigidi videamur. Quomodo Papa in hac antithesi includitur? aut quid ad eum hæc antithesis? Hic ut procedat Calvinus disputatio, rursum subaudiendum est, Papam esse pseudopphetam. Atqui non debemus tam liberales esse, ut hoc quoque

Calvini
maledictionem in
summum
Pötificem.

illud concedamus. Postulamus igitur ut hoc doceat. Sed quid ab illo hoc præstari postules quod ille nunquam præstando erit? quod ille supponit semper, probat nunquam? quod hoc in loco ne vno quidem verbo ostendit? Qualis igitur ista conclusio est, quam furiosa, quam absurda, quæ Spiritum sanctum id dictate affirmat, quod nec aperte dicitur, nec tacite insinuat, nec nisi ex duobus præsuppositis inferitur; quorum vnum si des, causam nihil iuuat; alterum nec dari debet, nec probari potest? Itane verò, Papa pseudopropheta erit, quia Calvinus hoc præsupponit? Rogo igitur Calvinum & Calvinistas hodie omnes, quis iste Papa est quem pseudopropheta vocant? Norunt hoc non personæ, sed officij nomen esse. Designent ergo in hoc officio quam personam intelligant. Si omnes qui eo officio functi sunt, ergo & ipsum diuum Petrum, omnisque eius in sede Romana successores, in hoc horribili anathemate, quo vsque ad vltimos inferos mergantur, includere debent. Si eò vsque insanire velint, soli (opinor) insanient: nisi forte Turcam aliquem Mahometanum, aut paganum Barbarum, aut Iudæum insanix suæ comites nanciscantur. Si non omnes, sed aliquem aut aliquos; hos vbi designauerint, ostendant necesse est quomodo piis antecessoribus succedere pseudopropheta potuerit. Aut enim talis successor populum sibi subditum, omnesque alios illi sedi adherentes, nouis hæresibus seduxit, & huius seductionis, quæ sine tumultu esse non potuit (nisi in gratiam hæreticorum dicamus, totum Christianum orbem, quasi vno momento attonitum, de repente relicto Christo, Antichristo manus dedisse) aliqua apud historicos memoria, aliqua vestigia necessariò superesse debent; aut solus in sua dementia manens alios seducere non potuit: & quomodo aut qua mente fingere hæretici possunt, talis seductoris & pseudoprophetae tot alias per totum orbem Ecclesias communionem tenuisse, eique vnitas, adeoque subditas fuisse? Hæc & his plura longè absurdissima & fingere & asserere hæretici debent, ut Papam esse pseudopropheta probent. Quare horribile anathema, de quo Calvinus loquitur, non est à Spiritu sancto dictatum, ut ille dicit; sed est à spiritu nequam, à spiritu mendacij, à Satânico Caluini cerebro adinuentum, ut res ipsa loquitur. Hanc hominis furiosam impietatem lectori patrefacere, & sedem Apostolicam Ecclesiarum omnium matrem ac matricem, à tam furiosi nebulonis rabida calumnia paucis asserere ac tueri, operæpretium duxi. Nam & quòd

Caluini
consecutio
furiosa &
absurda.

Papam non
esse pseudo-
prophetam.

sacri

In respons. sacrilegam tyrannidem Papæ affingit, quid aliud quàm rã-
ad Baldwi- bulæ de turba vociferantis vox est? *Vetus scurrarum Rhetorica*
num. *est (ait ipse alibi Calvinus) aut potius virulenta dica-*
ctas, omnem virtutis splendorem tyrannidis nomine scdare.

27. *Nunc anima mea turbata est: & quid
dicam? Pater, saluifica me
ex hac hora.*

Christi pu-
ritas con-
tra Calui-
ni corrup-
tulas de-
fenditur.

NON diuina hæc tantùm Scriptura, sed & Christi Re-
demptoris puritas, à corruptela & blasphemia Calui-
niana vindicanda est. Calvinus quippe siue ex veræ theolo-
giæ ignorantia, siue ex innata quadam illi impietate, totum
hunc locum perperam admodum exponit, & Christo indi-
gna, eiusque puritati ac sapientiæ nullo modo conuenientia,
Christo attribuit. Ait enim ad illa verba, *Et quid dicam? in*
ultimas angustias reductum Christum, neque verba inuenisse,
quibus exprimat doloris vehementiam, neque consilium secun-
dum hominem. Deinde ad sequentiã verba, *Pater, saluifica me*
ex hac hora, ait, *votum Christo inconsideratè fluxisse, cui statim*
renunciandum erat, ut Patri obediat. Sic ponit apertè in Chri-
sto motus inuoluntarios qui rationem præueniant, passiones,
& desideria inconsiderata, quæ postea corrigi debeant. Atqui
ista solis peccatoribus cõueniunt, qui peccati originalis cor-
ruptionem pœnalem circumferunt. Ait quidem Calvinus ad
superiora illa verba, *Nunc anima mea turbata est, voluntaria*
hanc fuisse turbationem, sed addit, *quia non coactus ti-*
met, sed timori sponte se subiecerat. Sic voluntarium vocat
quatenus spontaneum, & quatenus coactioni opponitur,
quale sanè voluntarium etiam brutis conuenit: negat verò
affectus istos in Christo, turbationis & timoris, propriè vo-
luntarios fuisse & liberos, liberèque ab ipso quando voluit, &
quantum voluit, susceptos, sicuti contra Calvinum veteres
Patres magno consensu docuisse, supra in hoc Euangelio
ostendimus. Quare illa superior ratio, utcunq; honesta vi-
deatur, has eius posteriores assertiones nihil excusat. Im-
pium est in Christo ponere, vel consilij defectum secundum
hominem, vel vota inconsiderata quæ corrigi debeant. Cal-
vinus tamen non hoc tantùm in loco ita loquitur, sed & ali-
bi. Tractans enim Christi orationem in horto habitam, ubi
dixit: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste,* pri-
mùm dicit, *abruptum hoc fuisse votum,* moxque docens fide-

Ad Ioan.
cap. 11.
vers. 33.

lium preces non semper aquabile temperamentum seruare, sed In Harms.
 implicitas & perplexas secum aliquando constringere, de Christo Euange. ad
 quoque affirmat, sic hoc loco metu percussam & anxietate Matth. ca.
 constrictum fuisse, ut necesse illi foret inter violentos tentatio- 26. ver. 39.
 num fluctus alternis votis quasi vacillare. Addit demum, Caluini va-
 quod votum suum subito elapsum castigat ac renocat. Tan- ria in Chri-
 dem concludens dicit. Non fuit igitur hac meditata Christi stum blas-
 oratio, sed vis & impetus doloris subitam et vocem extorsit, cui phemia.
 statim addita fuit correctio. Et paulò post. In primo voto non
 apparet placida illa moderatio quam dixi: quia mediatoris of-
 ficio defungi, quantum in se est, renuit ac detrectat. Ponit er-
 go in Christo, desideria inconsiderata, vota abrupta, eadè-
 que alternantia ac vacillantia, subito erumpentia, quæ cor-
 rigi debeant, denique orationes non meditatae, sed impetu
 doloris extortas, ac placidæ postremò moderationis vacuas.
 Sed hæc omnia Christi puritate indignissima, & quæ in solos
 peccatores, peccato originali corruptos ac deprauatos, ca-
 dunt, ex veræ theologiæ ignorantia, & animi contumacia,
 Caluinus negat: nolens videlicet in Christo agnoscere hu-
 manorum istorum affectuum, gaudij, timoris, &c. liberam
 susceptionem, quam disertè Patres docent. Quum enim li-
 berè mortis horrorem ante oculos suos proposuerit, liberè
 quoque & meditatè dixit. *Pater mi, si possibile est, transeat à*
me calix iste. Nullum hinc votum inconsideratum, nullum
 abruptum, nullum subito elapsum fuit: vota Christi & oratio
 meditatae erant, cum placida moderatione coniuncta. Sed
 hæc vota erant naturalia, ex libera illa susceptione affectus
 naturalis, id quod naturale erat, spectantia. Voluntas quip-
 pe humana in Christo quum vna esset potentia seu facultas Voluntas
 sicut in nobis, ratione tamen diuersorum obiectorum du- humana in
 plex erat, modò naturalis, modò deliberata. Naturalis vo- Christo du-
 luntas dicitur, quæ fertur in rem aliquam secundum seipsam plex.
 consideratam: deliberata verò quæ fertur in rem non solam,
 sed cum circumstantiis suis per intellectum propositam. Et ut
 in præsentia materia maueamus, mors ipsa & passio cōsiderari
 dupliciter potest. Vno modo in seipsa simpliciter considerata,
 & sic habet rationem mali: est enim quoddam pœnæ ma-
 lum, nec secundum se appetibile est. Vnde de ipsa morte
 aliisque rebus aduersis aptè dicit S. Augustinus: *iubes nos, Do-*
mine, ea tolerare, non iubes amare. Nemo quod tolerat amat, et si Confess.
tolerare amat. In hac consideratione voluntas humana auer- lib. 10.
 satur mortem, & renuit eam. Alio modo considerari potest cap. 28.
 mors

mors appōita circumstantia, nempe hanc mortem secundū diuinam voluntatem, eamque vel mūdi esse redemptionem, vt in Christo; vel ad Christi gloriam fideique professionem, vt in martyribus; vel vt materiam meriti, ac ianuam melioris vitæ, vt in iusto quolibet patienter eam sustinente: & hac ratione habet rationem boni, & voluntas ordinata eam acceptat. Illa dicitur voluntas naturalis, quia rem in sua natura considerat: hæc deliberata, quia per discursum considerat circumstantias adiectas. Christus igitur, vt in affectu suo non tantū sensitiuo (de facto tolerando pœnas) sed etiam rationali (eas præmeditando) pro nobis pateretur, & vt timorem ac tristitiam propter nos in seipso excitaret, utebatur hac voluntate naturali, id est, liberè & præmeditatè proponebat animo res eas quæ timoris & tristitiæ causæ atque obiecta erant: & hac ratione *contristabatur, turbata est anima eius, voces naturales emisit, Saluifica me ex hac hora: & alibi, Si possibile est, transeat à me calix iste.* Vt autem Patri se per omnia conformaret, utebatur voluntate deliberata. Verba igitur huius Euangelij, sunt hominis positi in hac agonia, qua se ipsum turbare Christus voluit. Verbum quidem illud, *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis,* verbum est hominis positi inter duas voluntates quæ in contraria tendunt (naturali enim voluntate mortem auersabatur, deliberata eandem acceptabat) sed non *inter violentos tentationum fluctus positi,* vt ait Caluinus, & *alternis votis vacillantis.* Nullam tentationem à seipso passus est Christus, vt vacillaret ac dubitaret circa mortem & passionem suam, subitè eam deberet, an non. Sed adhuc inter duas illas voluntates hærebat hinc inde agitatus. Vox autem illa Christi, *Transeat à me calix iste,* vox est ex naturali voluntate procedens, non, vt absurdè & impiè Caluinus dicit, qua *mediatoris officio defungi, quantum in se erat, renueret ac detrectaret.* Mediatoris quippe officium mortem dicit cum suis circumstantiis consideratam, mortem videlicet quæ esset redemptio mundi. Hanc autem ita consideratam quia bonum erat, Christus, quantum in se erat, renuere non potuit. Sed est vox quæ mortem & passionem acerbam in seipsis consideratam auersabatur. Voluntas autem Christi deliberata illa erat, quam subiicit hoc loco: *Sed propterea veni in hanc horam. Pater, clarifica nomen tuum.* Similiter in verbis in orto prolatis, prius votum erat vox voluntatis naturalis: *Transfer à me calicem istum,* id est, mortem. Posterius votū erat voluntatis deliberatæ: *Verumtamen*

Caluini
vox im-
passima in
Christum.

non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Vtrumque votum meditatum erat, & libere susceptum: prius illud vt in parte rationali pateretur, sequē ipsū ipsa mortis præmeditatione turbaret: posterius, vt diuinæ voluntati humanam suam per omnia conformaret. Hæc nesciens distinguere Calvinus ea de Christo pronunciat, quæ in solis peccatoribus reperiuntur, & Christi puritate sunt indigna.

Vidit Calvinus hanc suam doctrinam non solum veterum Patrum & omnium Theologorum, sed & suæ ipsius doctrinæ aliis in locis traditæ penitus aduersari. *Quum nuper (inquit) dictum fuerit rectè compositos fuisse omnes Christi affectus (sic enim ad Matth. cap. 6. dixerat, Christus communem nobiscum habuit sensum, non autem appetitus in compositos, & ad Matth. cap. 26. ver. 37. Christum ait mansisse compositum ad veram temperantia regulam) quomodo nunc seipsum corrigit?* Hanc obiectionem, quam contra seipsum mouet, vt verè pugnancia docentem, sic soluere conatur. *Respondeo (inquit) non posse in hac natura nostra corruptione perspicui affectuum feruorem cum temperie qualis in Christo fuit: sed hunc dandum esse honorem filio Dei, ne eum estimemus in nobis.* Atqui hæc responsio nulla est. More suo postquam pugnancia dixit, quæ simul esse vera impossibile est, ait rem à nobis intelligi non posse. Quod autem intelligi non potest, nisi de fide credendum proponatur, affirmari non debet. Calvinus verò suas contradictiones, quum intelligi nequeant, recipi tamen & credi vult. Sic in aliis dogmatibus, maximè quum Deum authorem peccati statuit, lectores ludificat. *Affectuum feruorem cum temperie à nobis perspicui non potest,* ait Calvinus. Ita sanè, calidum cum frigido, album cum nigro, motus cum quiete, simul & semel in eodem consistere, à nobis intelligi non possunt, ideòque à nemine sanæ mentis affirmantur. Ipsa ergo Caluini resolutio suam absurditatem prodit. Quid enim absurdius quàm pugnancia docere, moxque ipsam repugnantiam, quia intelligi nequeat, credendam obtrudere? Hic est Caluini ludus. Sic quod ex suo cerebro commentus est, vt sibi fallacem ex verbo Dei prætextum conciliet, corrumpit ac lacerat Scripturam, ac indignis eam ludibriis exponere non dubitat. Hi sunt audaciæ hæreticæ fructus, postquam semel extra Ecclesiasticæ doctrinæ metas vagari sibi permittit. Tenendum interea est, Christum Redemptorem nostrum, nec aliquid inconsideratum votum emisisse, sic enim sapiens non fuisset; nec correctione dignum aliquid dixisse, sic enim peccasset;

In Harmonia ad Matth. cap. 26. 37.

Calvinus suas contradictiones defendit, quia intelligi non possunt.

4. nec preces non meditatas Deo obtulisse, sic enim temerarius foret; nec voces vi doloris extortas protulisse, sic enim appetitui suo dominari nequiuisset; nec postremò placidà vquam moderatione caruisse, sic enim passionibus vitiosis, quæ rationem præueniunt, subditus fuisset: ac propterea Calvinum, qui illa omnia de Christo Redemptore nostro pronunciauit, hominem impium, nec fide sed furca dignum, omnium piorum iudicio pronūciandum esse.

31. *Nunc princeps huius mundi eijcietur foras.*

Diabolum in his verbis notari, omnium est concors sententia. Sed cur princeps mundi, & quomodo foras eijcatur, non omnes eodem modo docent. Princeps quidem potissimùm dicitur ratione peccati, ad quod homines tentandi, inducendi, ad eoque pertrahendi potestatem à Deo accepit, eamque iustam; non sanè ex se, sed quatenus homo, à dæmone se vinci passus, ipsius potestati iustè à Deo traditus est, vt docet August. de lib. arb. lib. 3. cap. 10. & Gregor. Mor. in Iob lib. 18. cap. 3. Ratione autem peccati eum mundi principem esse, idem docuit August. in lib. de agone Christi. cap. 3. & Basil. in homil. quòd Deus non est auctor malorum. Mundi vocabulo non hæc machina vniuersi (vt veteres quidam hæretici somniarunt, teste Irenæo lib. 3. cap. 24. & August. de hæres. hæc. 46.) sed homines mali in peccato nati, & in peccato viuentes, intelligendi sunt, vt August. tract. 95. in Ioan. exponit. Ab hoc autem suo principatu ac potestate per Christi mortem (in qua iudicium fuit mundi, id est, nò damnatio mundi, vt vult Beza, sed, sententia lata pro mundo contra diabolum) diabolus eijcitur, non solùm quia exterius tantum tentare nunc potest, voluntatem autem ad peccatum impellere non potest, vt rem exposuit August. tract. 52. in Ioan. & Gregor. Moral. lib. 17. cap. 20. sed quia potestate quidem sua super homines in vniuersum eiectus est, possessione verò ex parte. Possidet quippe regnum tyrannus, ad quod tamen non nisi vetus Rex potestatem habet. Eiectus est autem per Christi mortem omni sua potestate diabolus tam in fideles & iustos (à quorum etiam possessione excidit) quàm in ipsos infideles & peccatores quos adhuc possidet, quia per Christum facta est potestas & libertas cuilibet peccatori & infideli à statu peccati emergendi, & diabolo tentanti resistendi, ipsūque vincendi, (vnde Iacobus: *Resistite diabolo,*

Diabolus quomodo Princeps mundi huius.

Diabolus quomodo à suo principatu à Christo dejectus.

et fugiet à vobis) quia virtus & gratia liberationis omnibus planè hominibus saluari volentibus oblata est, nec sub iugo peccati iam sunt nisi qui volunt. Imò ab origine mundi demonis potestas destructa est propter Christum venturum. Dicitur tamen nunc eiectus diabolus in aduentu & morte Christi; partim vt intelligamus, Christum esse veram causam, propter quam diaboli potestas à principio contracta sit, partim quia quantum ad possessionem multò nunc latius & efficacius eiciendus erat diabolus per Euangelij toto orbe prædicationem, multòque vbetior Christi gratia omnibus offerenda & impertienda erat. Denique quia seclusa Christi gratia homo sub diaboli & peccati iugo necessario tenetur, vt nullis suis viribus peccato carere possit, imminente Christi morte quæ Spiritum gratiæ omnibus adferret, merito dicitur princeps mundi nunc foras eiec- tus, eiusque potestas ac principatus penitus destrui. Simile est si supremus aliquis Princeps subditos suos ab inferioris magistratus aut gubernatoris obedientia absolueret vellet. Sic enim inferioris potestas penitus destructa verè diceretur, tamen si subditotum multi ex propria proteruita ac libidine inferiori magistratui adhuc obedire vellent.

Calvinus totam hanc gratiæ Christi efficaciam & liberationem paucis & obscuris verbis vafre inuoluit. Perpicuam veritatem nec negare audet, nec aperire & confiteri vulc. Si quis (inquit) roget quomodo deiectus in morte Christi fuerit Satan, qui assidue bellare non desinit, respondeo eiectionem hanc non restringi ad exiguum aliquod tempus, sed describi insignem illum mortis Christi effectum qui quotidie apparet. Hæc ille. Quis autem hic mortis Christi effectus sit, qui quotidie apparet, ne vno quidem verbo explicat; atque ita quæstionem propositam de quotidiano Satanæ bello, quum tamen deiectus & foras eiectus dicatur, non resoluit. Voluit quæstionem proponere quam videbat esse necessariam. Noluit eam apertè solvere, quia eius solutio alii eius impiis dogmatibus apertè aduersatur. Solutio est, Diabolum quidem à bello & pugna non desinere; eiectum tamen foras esse, quia hac sua pugna nocere amplius homini non potest nisi homo ipse velit, propter Christi gratiam (quæ Diabolus vincitur) per Christi mortem omnibus expositam & paratam. Hæc peccati victoria, & diuinæ gratiæ efficacia, Calvinò non placuit, qui omnes homines, etiam in Christo regeneratos, peccatores & impios esse, Dei mandata seruate

Vafre Calvinus sensum Scripturæ inuoluit, non aperit.

Diabolus
iuxta hæ-
reticos ho-
die non est
foras eie-
ctus.
2. Ioan. 3.

Ioan. 8.

Caluini
Iudæi.

1. Cor. 17.
1. Cor. 13.

Ioan. 17.
1. Cor. 13.

non posse; habere quidem desideria bona, sed illa effectum non sortiri; ideoque nullam nisi aliunde imputatam in filiis Dei iustitiam esse. Noluit igitur hanc Diaboli eiectionem, quæ nihil est aliud quam peccati victoria, hoc loco à Christo assertam, vel vno verbo attingere. Voluit apertam veritatem obscuris & generalibus verbis involuere. Planè enim, iuxta hæreticorum hodie placita, non est Diabolus foras eiectus, nec eius potestas sublata; sed manet non secus potestas eius quam possessio, non secus dominium & imperium quam iniusta vexatio, non secus victoria quam pugna. Denique iuxta illos, *Non venit Dei filius ut dissolvat opera Diaboli*, quod D. Ioannes affirmat, sed venit tantum ut non imputet peccatoribus opera Diaboli; ideoque non foras eiectus Diabolus est, sed intus manens veteri potentia finitur, quæ tamen victis ab eo non imputatur. Atqui nos Christo credimus, non Caluino, eiectum esse foras Diabolum, nec in filios Dei ullam potestatem habere, ut ad peccatum illos inducat; dissoluta quoque & fracta esse opera Diaboli, quia peccandi necessitas sublata est. *Qui enim facit peccatum, ex Diabolo est*: & in eo vigent opera Diaboli, non sunt dissoluta. Hanc in Scripturis, quæ eius placitis repugnant, ludum ludit Caluinus. In his quoque Christi verbis altum silentium tenet Beza. Propter sensum autem quem diximus, subiecit Christus, *Ego quum exaltatus fuero, omnia* (seu ut in Græco textu habetur, *omnes*) *traham ad meipsum*, id est, beneficio & virtute mortis meæ fiet, ut sublata Diaboli potestate ac seruitute, omnes mortales (nisi per ipsos steterint) mihi ac meo nomini seruiant; & qui antea penes Diabolum principatus fuerat, nunc penes me sit. In hoc sensu infra dicitur, *Dedisti ei potestatem omnis carnis*, ut sit videlicet omnium hominum Redemptor, Dominus, & Iudex, quia *sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes viuificabuntur*.

39. Propterea non poterant credere, quia iterum dixit
Isaias, *Excæcavit oculos eorum, & induravit
cor eorum.*

Tres diffi-
cultates
soluuntur.

Tres difficultates habent hæc verba, quæ explicatione indigent. Prima est, quod dicitur, *Non poterant credere*. Secunda, quod dicitur, *Quia dixit Isaias*. Tertia, quod Deus dicitur, *excacasse & obdurasse Iudæos*. Prima diffi-
cul

cultas ex vna pulcherrima distinctione soluerur, quam tradit Gregorius Nazianzenus oratione quarta de theologia, vbi sex modos annotat, quibus aliquid posse, & non posse fieri, tam ex communi loquendi modo quam in ipsis Scripturis dicitur. Primus modus est, secundum defectum aliquem, non perpetuum, sed certi temporis; nec generalem, sed certæ personæ: vt quod puer luctari non possit aut catulus cernere. Poterunt enim suo tempore. Sic 1. Ioan. 3. *Non potest peccare qui ex Deo natus est.* & Matth. 7. *Non potest arbor mala fructus bonos facere*, id est, nempe diuina est. Secundo modo, quia sæpenuerò ita contingit: vt Matth. 5. *Non potest ciuitas abscondi super montem posita.* Poterit enim à maiori aliquo monte abscondi, sed hoc rarò cõtingit. Tertio modo, quia minimè æquum aut rationi consentaneum est vt fiat: vt Matth. 9. *Non possunt filij thalami ieiunare quamdiu presens est sponsus.* Quarto modo, secundum voluntatis auersionem. Quod enim abhorremus facere, ideòque non nisi difficulter facimus, dicimus non posse nos facere. Sic Matth. 12. *Quomodo potestis loqui bona, quum sitis mali?* & Ioan. 6. *Non potest mundus odisse vos.* Quinto modo, quod secundum naturæ potentiam fieri non potest, etsi Deo sit possibile: vt Matth. 19. *Non potest camelus transire per foramen acus.* Sexto modo, quando nulla ratione fieri potest, quia naturæ repugnat, vel implicat contradictionem. Sic Ioan. 5. *Non potest facere Filius nisi quod viderit Patrem facientem:* Deus non potest esse malus: & similia. Hæc Nazianzen. D. August. in hunc locum sentit Iudæos non potuisse quidem credere quia nolebant, noluisse autem quia non poterant velle, negante illis Deo auxilium necessarium, idque ex iusto iudicio propter eorum præcedentem malitiam vt sic ad quintum modum referri debeant hæc verba, *Non poterant credere.* Sed parum probabilis sententia est, aliquem in hac vita sic excæcari & obdurari, vt omni auxilio diuino destituatur quo conuerti possit, vel vt ipsa conuersio sit ei absolutè impossibilis. Melius & diuinæ bonitati ipsique veritati conuenientius est, Iudæos non potuisse credere propter maximam prauæ suæ voluntatis auersionem, vt ad 4. modum hæc verba referantur, quod mox in 3. difficultate explicanda luculentius apparebit. Hunc sensum sequitur Chrysost. hom. 67. in Ioannem, & Euthymius. Secunda difficultas vno verbo soluitur; illud, *Quia dixit Esaias*, non causaliter, sed consecutiue accipiendo. Tertia difficultas nõ tam facile explicatur.

posse vel
non posse
fieri. sex
modis di-
citur.

1.

2.

3.

4.

5.

6.

Tract. 63.

Effectus
cau. & 4.
modis tri-
buitur.

1.
Exech. 33.

2.

3. Reg. 17.

3.

Tract. 53.
in Ioan. 3.
Deus quo-
modo ex-
cacat.

Rom. 2.

Iac. 1.

Cur dicitur
excacare.

Epist. ad
Hedibiam
quæ. 10.

Rom. 7.

Notandum tamen tam iuxta communem vsum loquendi quam iuxta Scripturas effectum aliquem causæ attribui tribus modis. Primo modo, quando non impeditur effectus ab eo qui impedire potuit & debuit. Sic apud Prophetam. *De manu speculatoris, qui videns gladium venientem non sonuit buccina, sanguis populi exquiritur qui gladio hostili ceciderit.* Secundo modo, quando occasio data est præter intentionem dantis. Hoc modo dixit mulier Eliæ Prophetæ. *Ingressus es ad me ut rememorarentur peccata mea, & interficeres filium meum.* Tertio modo, quando est vera causa effectus, vt qui gladio occidit; ad quem modum reduciunt, qui iurat, qui consulit, qui mandat bonum aut malum. Drus, ex sententia Augustini in hunc locum, dicitur excacare & obdurare quia nõ prohibet, cum possit, ne homines excæcentur vel obdurentur, sed obdurat eos deserendo & non adiuuando. Vera est hæc sententia, & Deum à vera causa excacationis liberat propter duo. Primum, quia non tenetur Deus impedire hominum obdurationem, ideòque iuste posset omne prorsus auxilium hominibus improbis denegare; nec nisi mera gratia est, quando aliquos illuminat & emollit. Secundò, quia Deus reuera non ideò dicitur non prohibere vel non impedire hominum excacationes & obdurations, vel improbos deserere & non adiuuare, quia nihil prorsus facit, aut nihil prorsus adiuuat quominus excæcentur & obdurentur (omnibus enim id præstat gratiæ quo possunt videre & conuerti si velint, & omnes improbos *benignitas Dei ad penitentiam adducit*) sed quia maiora & efficacia auxilia gratiæ non præstat. Quia autem ad cauendum malum quod satis est præstat, causa mali nullo modo dici potest. Sic Deus *intentator malorum, & neminem tentare verè dicitur.* Dicit tamen Scriptura hoc loco de Deo, *Excacauit oculos eorū, & indurauit eos,* propter duo. Primum, vt Dei iudicia timeamus (vt loco citato docet Augustinus) qui propter peccata præcedentia maiora & congrua denegat auxilia quibus fiat conuersio. Secundò, quia ea facit quæ reuera hominibus improbis excacationis & obdurationis maioris per occasionem causa sunt, quum eadem aliis facta cooperentur ipsis in bonum. Quod D. Hieron. apto exemplo demonstrat, in sole; cuius calor ceram emollit, lutum indurat. Sic enim eadem Christi prædicatio in quibusdam Indæis fidem, in aliis incredulis & improbis maiorem incredulitatem per occasionem operata est. Sic *mandatum sanctum & bonum, quod erat ad vitam, inuertitum est esse ad mortem, quia peccatum, occasione*

occasione accepta per mandatum, seduxit me (ait Paulus) & per illud ipsum mandatum occidit me. Sicut igitur in impiis peccatum, ut appareat peccatum, per bonum mandatum operatur mortem; sic incredulis & obstinatis Iudæis ipsa incredulitas, ut appareat incredulitas obstinata, per bonam Christi prædicationem operata est excæcationem & indurationem. Hoc ergo sensu excæcavit Deus oculos eorum, & induravit cor eorum, partim non succurrendo efficaciter, partim per occasionem. Vera autem & propria causa excæcationis huius sola erat Iudæorum malitia propria. Quod ut certissimum nobis fieret, Spiritus S. per Matth. & Paulum hæc eadem Isaia: verba alio modo protulit; videlicet hoc modo: *Incrassatum est cor populi huius, auribus grauius audierunt, & oculos suos clauscrunt, nequando videant oculis, &c.* Matth. 13. & Act. 28.

Excæcationis causa vera, malitia eorum propria.

Impius Calvinus etiam hoc tertio modo Deum illos excæcasse, & veram excæcationis causam fuisse, hunc in locum blasphematur. Hic (inquit) non tam præscientia Dei quam iudicij & vindicta habenda est ratio. Deus enim quid ipse facturus sit per Prophetam pronunciat. Nempe quod stupore & verigine percutiet impios, ut de ipsorum malitia vliionem sumat. Nam hic notatur causa propinqua & inferior cur verbum suum, quod natura salutare est, Deus exitiale Iudæis ac mortiferum esse velit, nempe quod sua malitia ita meriti essent. Hanc poenam illis impossibile fuit effugere, quum semel Deo statutum esset ipsos in reprobum sensum conijcere, & verbi sui lucem illis vertere in tenebras. Et paulò post. Notandum est Dominum aliquando per seipsum excæcare hominum mentes, quum iudicio & sensu eos priuat, aliquando per Satanam & pseudoprophetas, quum eorum fallaciis illos demetat, aliquando per suos ministros, quum illis noxia ac lethalis est salutis doctrina. Hæc ille. Pōnit in Deo excæcationem actiuam, quod stupore & verigine percuriat; eamque immediatam, quum per seipsum excæcat; idque in Deo delib. ratam, quia verbum suum Iudæis mortiferum esse voluit: denique eo sensu non potuisse credere, quia impossibile illis erat hanc poenam effugere, id est, non excæcari. Hæc apertè impia & blasphema sunt, quæ Deum faciunt veram causam peccati actiuam & proximam, non per occasionem tantum, aut aliquo modo non impediētem. Vnus Christi sermo hæc blasphemiam refutabit. *Aschor bona non potest malos fructus facere.* Si ergo quod nisi participatione bonum est, voluntas hominis bona, malos fructus facere non potest,

Caluini impia sententia de excæcatione actiua.

Deus causa peccati actiua, iuxta Calvinum Matth. 7.

quomodo fons ipse bonitatis malos fructus faciet? Atqui causa peccati actiua, immediata, voluntaria, est haud dubie fructus malus, imò pessimus; qui & in hominibus seuerè puni-
tur, & in diabolo damnatur. Hanc infernalem Caluini sententiam, quam quauis data occasione lectori obtrudit, olim latè refutauimus, in opere de Iustificat. lib. II.

IN IOANNIS CAP. XIII.

I. *Ante diem festum Paschæ.*

*Quo die
mensis
Christus
vltimam
cenam ce-
lebrauit.*



V V M quod hîc Ioannes narrat, in vltima nocte quæ passionem Domini proximè præcesserat, factum fuisse certum & indubium sit, qua videlicet agnum Paschalem comedit Christus; debuit autem agnus Paschalis in decima quarta lunæ ad vesperam comedi, quæ etiam vespera ad sequentem diem pertinebat, (iuxta legem quæ à vespera in vesperam solennitates computat) ideoque erat ipsa vespera diei festi Paschæ seu solemnitaris Paschalis quæ 15. luna celebranda erat: magna hîc difficultas est quomodo dicat Ioannes, *Ante diem festum Paschæ* ista contigisse. Viderur enim insinuare quòd non in vespera diei festi Paschæ, sed alia vespera ante dictum diem, videlicet 13. luna agnum Paschalem comederit, & 14. passus fuerit. Et hinc error Græcorum natus erat qui luna 14. Christi passionem accidisse pertinacissimè sustinuerunt, & alios tres Euangelistas à Ioanne correctos fuisse, impiè asseruerunt: nempe quòd scripserant, *Prima die azymorum* agnū Paschale Christum comedisse. Hic enim primus dies azymorum (aiūt illi) incipiebat ad vesperam 14. lunæ, & erat ipsius diei festi Paschæ prima vespera, ac per hoc non ante illum diem, sed illius diei. Pro hac difficultate tollenda notandum est, tametsi solennitates apud Iudæos à vespera in vesperam semper celebrabantur, tamen non semper dies ipsi eodem modo numerabantur: sed eadem vespera aliquando cum sequenti die iuxta solennitates legales, aliquando cum præcedenti die iuxta naturalis diei cursum, computabatur. Huius posterioris exemplum habes Exod. 12. *Primo mense, quarta decima die mensis, ad vesperam comedetis azyma. Immolabitis 14. die, & nocte illa comedetis.* Ecce nox prima azymorum tribuitur diei 14. iam finitæ. Sic hoc loco D. Ioannes, *Ante diem festum Paschæ* dicit, id est, ante decimum quintum diem, nocte proximè præcedente, coniungens illam noctem diei præcedenti non,

*Concordia
Euangeli-
starum.*

non sequenti: cuius obseruationis ignoratio Græcos fefellit. Sic alij tres Euangelistæ vocabant eundem diem 14. lunæ *primum diem azymorum*, non quia toto illo die comedebantur, sed per Synecdochen, quia ad vesperam illius diei comeditæperunt. Rursum Hebræi quando diem nominant, non computant illum cum nocte, sed seorsim à nocte, sicut supra Christus, *Nonne duodecim sunt horæ diei*? ideoque ab ortu solis vsque ad occasum diem computant. Sic Ioannes hoc loco dixit, *Ante diem festum Pascha*, id est, ante ortum solis solemnitatis Paschalis. Sic cæteri Euangelistæ intelligi possunt dixisse, *Primo die azymorum*, id est, in ipso die quo azyma præparabantur. Addunt enim Marcus & Lucas, *In qua necesse erat occidi pascha*: hoc autem erat 14. luna, nam illo die ante vesperam seu ante solis occasum immolati debebat, & eadem nocte post solis occasum comedi oportuit. Sic cum cæteris Euangelistis concordat ad amussim D. Ioannes.

Ioan. II.

8. *Si non lauero te, non habebis partem mecum.*

Quid Christus his verbis significare voluerit, difficile est certò intelligere. Nam aut de reali pedum ablutione loquebatur, & sic videtur vel quasi Sacramentum quoddam esse necessaria pedum ablutio, vt putauit D. Bernar. in serm. de cœna Domini; vel certè ceremonia necessaria ante vener. Euchar. sumptionem, vt censuit D. Ambrosius de Sacram. lib. 3. cap. 1. & de iis qui inicianur mysteriis cap. 6. qui & in sua diœcesi hoc obseruabat: aut de spiritali aliqua ablutione seu sanctificatione, vel venialium, quorum mundities necessaria est, vt ingressus pateat ad regnum cœlorum, quem sensum tradit August. tract. 36. & Cyrill. lib. 9. cap. 5. in Ioan. vel etiam mortalium, vt putabat Cyprianus in serm. de ablutione pedum. Sed hic sensus posterior eo verbo refellitur: *Qui mundus est, non indiget nisi vt lauet pedes*, &c. Prior sensus non videtur ad literam esse, quum Christus ad realè ablutionem Petrum inducebat, & de reali comminabatur. Iam vt realem ablutionem intelligamus, aut est comminatio generalis, aut soli Petro propria. Si generalis, prior Bernardi aut Ambrosij sententia sequenda videbitur. Neutram tamen tenuit Ecclesia. Est ergo realis ablutionis mandatum soli Petro propriam. Sed tunc quæritur cur sub tanta comminatione præcipitur. Chrysostronus homil. 69. putat propter

Verborum sensus examinatur.

*Obediētia
necessitas.*

humilitatis documētum in hac ablutione significatum, quam nisi Petrus teneat, non habebit parrem cum Christo. Sed hic iterum realis ablutio, quam Christus vrget, deseritur. Optima igitur est D. Basilij expositio. *Si non lauero te, id est, si mihi volenti tuos pedes lauare non obedieris, propter hanc tuam inobedientiam à meo consortio separaberis.* Sic ille appositissime exponit in oratione de peccato: & in regul. breuioribus ad interrogat. 60. & ad interrogat. 233. in moralibus quoque reg. 12. cap. 2. Neque hic sensus reuici debet, quia Christi comminatio non ad ipsam inobedientiam sed ad ablutionem refertur. Non enim Christus ablutioni pedum promittit parrem secum aut aliquam gratiam, sed negatæ ablutioni, quæ erat inobediētiæ actus, comminatur gratiæ negationem. Sic ad litteram seruantur Christi verba: quod Petrus bene intelligens promptissime obediuit.

14. *Si ego lauipedes vestros Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes.*

*In som. ad
c. 13. Ioan.
ver. 15.*

AD hæc verba Caluinus præclaram sibi occasionem dari ratus, in Ecclesiasticam hodie consuetudinem, qua in quinta feria hebdomadæ sanctæ pauperum aut inferiorum pedes à Prælati Ecclesiasticis lauari solent, impotenter incurrit. Sed vt ad eam accusationem descendat, aliam præmittit. Totum insulsi cauillaroris delirium proferemus. *Notandū est (inquit) quòd Christus se exemplum dedisse admonet. Neque omnia eius facta promiscuè ad imitationem trahi conuenit. Papiſta se Christi exemplo quadragesimali ieiunium seruare iactant. Atqui videndum in primis erat, an exemplum prode- re voluerit, ad cuius normam se discipuli formarent. Nihil verò legitur tale. Quare non minus peruersa est amulatio, quàm si in cælum volare tentarent.* Hæc prior accusatio est, cuius plenam refutationem videre licet supra ad Matth. cap. 4. & in Promptuario nostro Catholico. Summa est, tum alias esse ieiunij Quadragesimalis graues causas præter exemplum & imitationē Christi, tum quia nec omnia Christi facta in exemplum trahenda sunt, nec nullum, quid autem eius generis sit, vt in exemplum trahi possit ac debeat. Ecclesia Catholica mater fidelium, columna & firmamentum veritatis, docere nos debet, non superba & garrula hæresis. Posterior accusatio, & huic Euangelio propria, apud Caluinum

*Ad Matt.
cap. 4. 2.
Dom. 3.
Quadr.*

his verbis sequitur. *Adde quòd ubi Christum sequi decebat, simia fuerunt magis quàm imitatores. Quotannis theatricam pedum lotionem instituunt, ita inani nudaq; cerimonia se pulchre defunctos esse putant. Defuncti sibi permittunt fratres contemnere. Neque id modò, sed postquam duodecim hominibus lauerunt pedes, omnia Christi membra crudeliter lacerant: adeoq; in faciem Christi ipsius còspuunt. Quare nihil quàm fœdum Christi ludibrium est comica illa pompa. Nec certe Christus hic anniuersarium ritum commendat: sed nos rota vita paratos esse iubet ad lauandos fratrum pedes.* Hæc ille. In his verbis vnum est quasi à ratione ductum argumentum; cætera hominis sunt non ratiocinantis, sed furentis ac debacchantis. Argumentum quod aliqua ratione niti videtur, istud est: Christus lauans pedes discipulorum suorum, posteaque dicens: *Exemplum dedi vobis, &c.* non commendat anniuersarium ritum; ergo simiæ potius quàm imitatores sunt, qui ad eius exemplum pedes fratrum lauant. Sed accidit huic hæretico, quod aliis hæreticis accidere solere scribit diuus Iudas. *Quacunque autem ignorant, blasphemant.* Non enim idèò Prælati Ecclesiastici aliique superiores pauperum aut subditorum pedes latant, quasi his verbis talem anniuersarium ritum Dominum præcepisse intelligerent (humilitatis enim hoc esse documentum, non externum ritus præceptum, Catholici semper intellexerunt) sed idèò hunc ritum celebrant, vt tantæ humilitatis Christi exemplum renouent, & ob oculos ponant, deuotèque colant, & ad humilitatem omnium animis fortius imprimendam, non verbo tantum ac prædicatione, sed factò etiam ipso adhortentur. Nam & idèò Christum hanc actionem externam adhibuisse intelligunt, vt ea ob oculos posita, discipulis suis Ecclesiarum Præpositis futuris humilitatis virtutem imprimis necessariam, certiori documento & validius commendaret. Quem Christi finem & scopum hoc loco fuisse, docet vno atque altero in loco Basilius. Non tam igitur factum, quàm finem & intentionem Christi circa factum, proposuit sibi in hoc ritu Ecclesia. Nam & hîc verum est illud quod ex naturæ lumine Phœta cecinit:

Segnius irritant animos demissa per aures,

Quàm qua sunt oculis subiecta fidelibus. Sed Calvinus nō tam hospes & aduena, quàm hostis & alienigena ab Ecclesiæ Christi còsortio sese abdicās, nihil mirū si mysteriorū Ecclesiæ ignarus, & ea tantum quæ ante oculos sunt vidēs, de iis quæ

*Ceremonia
abluendi
pedes con-
tra Calui-
num defen-
ditur.*

*Capite
unico.*

*Mora. lib.
Regu. 70.
cap. 10. &
14.*

igno

Epist. 56.

ignorat perperam iudicat; & inde calumniæ materiã struit, vnde disciplinæ Christianæ documentum haurire debuit. *Propria enim Christianorum disciplina humilitas est*, ait August. quam quia superba hæresis capere nõ potest, eius documentum libentius carpere quàm amplecti & imitari contendit.

Caluini
declama-
tio bac-
chica.

Furentis hîc & debacchantis Caluini verba nec refutatione egent vlla, nec reprehensione nostra. Suam ipsa turpitudinem & furorem clara voce loquuntur. *Prælatos quippe Ecclesia postquam duodecim hominibus pedes lauerunt, omnia Christi membra crudeliter lacerare*; nec membra tantùm, sed, *omnium membra*; nec lacerare tantùm, sed, *crudeliter lacerare*, ac deinde *in faciem Christi ipsius conspuere*; nihil aliud quàm spiritum nequam, qui in Caluino loquitur, quique illum captiuum tenuit ad voluntatem suam, palàm demonstrant, quasiq; in theatro conspiciendum ante omnium oculos sublimem ponunt. An experimentum quærimus eius qui in Caluino loquitur, Belial? Hîc illud habemus luculentissimum. Hîc furit, hîc debacchatur, hîc tragico correptus œstro, ipsa Ecclesiarũ Christi capita, ipsam pupillam oculi eius, non tangit modò temerè culpando (nihil veritus vel illud Prophetæ, *Qui tangit, vos, tangit pupillam oculi mei*: vel illud Dauidicum, *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari*) sed, quantum in ipso est, atrocissimè criminando iugulare, confodere, transuerberare cõtendit. Hîc ille Caluini spiritus se prodit, non quo aguntur filij Dei, sed quo agitantur filij diaboli, cuius summa voluptas est, Pastores à Christo datos, quia Christum ipsum non potest, mentiendo, criminando, calumniando, in odium & contemptum adducere, omnibus non deridendos modò, sed & conculcandos ac proterendos obiicere. Sed perit cum suis furis Caluinus. Viuit, viuétque in æternum sponsa Christi Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana, cuius vt fidem tenemus, ita honorem & debitam ab ouibus Christi reuerentiam ab omnibus tenendam, libenter docemus.

Zach. 2.
Psal. 104.18. *Ego scio quos elegerim.*Vnica ele-
ctorum in-
stificatio
iuxta Cal-
uinum.

HÆresim suam de vnica & sola fide electorũ ex his veterum probare vult Caluinus. *Reprobos (inquit) ornat interdum Deus Spiritus sui donis ad exequendum quod illis iniungit munus. Sic regia in Saule virtutes ad tempus resurgent, sic & Iudas egregijs dotibus pollebat, quales Apostolum Christi decebant. Sed alia longè est Spiritus sanctificatio, qua Dominus*

non nisi filios suos dignatur. Nam eos mente & corde renouat, ut in eius conspectu sancti sint & irreprehensibiles. Deinde vitam in illis radicem habet, quæ euelli nunquam potest, quæ penitentia caret Dei adoptio. Hæc ille. Docet esse in reprobis gratias quasdam gratis datas; gratiam verò gratum facientem, gratiam coram Deo iustificantem, cordis munditiam, & renouationem mentis internam quam nunc tradit (suorum placitorum oblitus de perpetua cordis immunditie, & sola Christi iustitia imputata suos electos mundante) in solis electis ponit: idque propter Christi verba, *Ego scio quos elegerim. Non tantum* (inquit) *perseuerantia in his verbis electioni accepta fertur, sed etiam pietatis initium. Vnde enim fit ut unus magis quam alter se verbo Dei addicat? Nempe quia electus est. Vnde fit rursus ut pergat in recto pia vite cursu, nisi quia propositum Dei stabile est ut inchoatum manus sua opus absoluat?* Hæc ille. Quum ergo Christus Apostolis suis omnibus dixerit, *Si hæc scitis, beati estis si feceritis ea,* moxque subiunxit, *Non de omnibus vobis loquor, ego scio quos elegerim,* sensus iuxta Calvinum est: Non omnes beati eritis faciendo ea quæ docui, quia non omnes electi estis. Perniciosa hæc & falsa doctrina est. Tametsi enim concedatur Christum hic de electione æterna loqui, quod D. Augustino in hunc locum placet, non tamen docebit Christus vel solam electionem æternam pietatis & obseruationis mandatorum Christi causam fore, vel solos electos ad gloriam pietatis interdum cultores esse, & Christi mandata ad tempus obseruare: quod utrumque Calvinus docet. Sed stante sensu electionis æternæ, docebit Christus electionem illam vnã esse & altissimam causam pietatis iustorum, & perseueratiæ eorum. Non euerter proximas in quoque pietatis & perseueratiæ causas, quod *gratiam Dei in vacuum non acceperit, sed, pulsante ostium Deo, ianuam aperuerit cordis sui, & fecerit sibi cor nouum,* ut Scripturæ loquuntur: videlicet, diuinæ gratiæ liberè cooperando: sicuti reprobatio impiorum non euerter proximam in vnoquoque impio causam, propriam animi malitiã ac prauitatem, ut ipse Calvinus passim agnoscit. Rursus stante sensu electionis æternæ, non docebit Christus solos ad gloriam electos mente & corde renouari, ut Calvinus hic docet. Non enim de electione æterna ad gloriam vel Christus hic loquitur, vel Augustinus exponit, sed de electione ad illam beatitudinem, de qua hic Christus dixit, *Beati eritis si feceritis ea:* id est, de electione ad gratiã qua fiant Dei præcepta.

*Eadem ratione
feliciter.*

*2. Cor. 6.
Apocal. 3.
Ezech. 18.*

Talis

Electio ad gratiam reprobis communis.
 1. Reg. 9. 2.
 1. Regum 13. 1.
 1. Regum 15. 17.
 Matt. 10.
 Luc. 10.

Talis autem electio ad gratiam, seu præparatio gratiæ, multis etiam reprobis concessa fuit, atque inter alios Iudæ & Sauli, quorum exempla Calvinus profert. Nam & Saul quum in Regem vngeretur, *bonus ac iustus erat*, vt docet Cyprianus lib. 1. epist. 5. & August. ad Simplicianū lib. 2. q. 2. quod & Scriptura disertè docet. *Erat Saul electus & bonus, & non erat vir de filijs Israël melior illo: & iterum, Filius vnius anni erat Saul, cum regnare cœpisset*, id est, iuxta idioma Hebraicum, *innocens &* (vt Samuel postea profitebatur) *paruulus in oculis suis*: & Iudas, quum in Apostolum eligeretur, talis erat, vt per eum quoque sanarentur infirmi, & dæmonia eiicerentur, nomenque eius in cælo scriptum esset, non secus quàm cæterorum 72. Discipulorum, id est, apud Deum in numero iustorū haberetur. Neque enim quum Christus dixit, *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælo*, omnium illorum prædestinationem illis reuelauit, tum quia hoc non expediebat, tum quia non secus ex illis 72. vnus potuit esse reprobus quàm ex 12. Apostolis vnus reprobus fuit. Deinde Iudas ille erat, de quo Christus dixit: *Pater, quos dedisti mihi, custodiui: & nemo ex eis perijt, nisi filius perditionis*. Ecce Iudas fuit datus à Patre Christo; ergo tunc bonus erat. Rursum periit ex grege; ergo antequam periit, de grege bonorum erat. Stante igitur sensu electionis æternæ, impium Caluini dogma, quod soli electi verè coram Deo iustificantur, ex hoc loco stabiliri non potest.

Sed non est probabile de electione æterna Christum hinc loquutum fuisse. Talis quippe sententia ad Iudæ emendationem (quam Christus hinc & in toties repetita admonitione spectabat) minus efficax fuisset: imò eum ad suam improbitatem magis irritasset. Diceret enim: Non me elegisti, & ideo talis non sum sicut alij electi, vt tua mandata faciam, & in tui dilectione perseuerem. Sensus ergo literalis est, *Ego scio quos elegerim*, id est, scio qualis sit nunc, & qualis quisque eorum futurus est, quos in meos Apostolos elegi. Et hunc sensum confirmant verba sequentia. Nam ne quis miretur cur in Apostolum elegerim qui proditor futurus erat, quum id ipsum ita fore præcognouerim, sciat me hoc fecisse vt impleteretur Scriptura, & consequenter mandatum Patris mei in Scriptura reuelatum, quo prædictum hoc ipsum est; fore vt vnus ex familiarib* discipulis meis *leuaret cætra me calcaneū*, id est, me dolo & proditoriè supplantaret. Ita futurum Deus in Scriptura prædixit. Ego propterea etiã illum in familiarem Apo-

Apostolum elegi, quem huiusmodi futurū præsciebam. Ego enim scio quos elegerim in discipulos meos, nec ex ignorantia aliqua aut cæco casu talem electionem feci. Hic est literæ genuinus ac germanus sensus, quem merito obscurum esse annotauit doctissimus interpres Cyrillus Alexandrinus.

Lib. 9. cap.
10. in Ioan.

34. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem.*

Dilectionis mutæ mandatum cur hoc loco nouum dicatur, multi multa dixerunt & vera, & probabilia, & utilia, quamuis non omnes iuxta Christi mentem & literæ sensum. Cyrillus exponit nouum vocari propter nouum dilectionis modum, quem illis verbis Christum exprimere putat, *Sicut dilexi vos*, id est, vt bona temporalia ac vitam pro fratrum salute spiritali exponamus, sicut Christus pro nobis semetipsum exinanuit. Sed hic sensus (quem etiam Euthymius sequitur) nullum nouum mandatum facit, quia quando fratrum salus æterna necessariò hoc exigit, mandatum hoc ab orbe condito piis omnibus iniunctum fuit, & ipsa charitatis fraternæ ratio hoc docet. Chrysostomus propter nouum quoque diligendi modum, vocari mandatum nouum exiltimauit; nimirum vt sicut Christus prior dilexit nos sine vllis præcedentibus meritis, sic nos nihil de nobis bene meritis diligere, & beneficiis eos præuenire debemus. Sed nec hoc nouum erat, quia dilectio proximi propter Deum (quæ semper erat in præcepto) hoc totum à nobis exigit. Si enim propter Deum diligendus proximus, siue de nobis bene sit meritis, siue non, diligendus est. Augustinus hanc nouitatem ad effectum refert, quia dilectio facit homines nouos, & noui testamenti filios. Verum sanè & hoc est, sed quia hominibus iam nouis & in Christo regeneratis, Apostolis scilicet, omnibusque Christianis hoc præceptum datur, non videtur Christus hoc respectu nouum mādaturum vocasse. Sunt qui nouum dicunt ab origine sua, quia ex nouo Spiritu procedit, sicut homo vetus spiritu timoris ducitur. Nec alienum à veritate hoc est, sed omnibus quoque aliis mandatis hoc commune est, vt per Spiritum gratiæ impleantur. Alij adhuc nouum vocari volunt, quasi renouatum, & de nouo hinc à Christo inculcatum, quia iam apud Iudæos neglectum quasi que antiquatum hoc mandatum erat. Ad quorum sententiam accedit hoc loco Calvinus; *Scimus (inquit) leges initio diligenter seruari,*

1.
in Ioan.
lib. 9. c. 23.

2.
Homil. 71.
in Ioan.

3.
Tract. 65.
in Ioan.

4.

5.

sensim

sensum verè labi ex hominum memoria, donec tandem obsolescant. Ergo Christus, quo melius insigat suorum animis charitatis doctrinam, à nouitate eam commendat, quasi diceret: Volo huius mandati vos perpetuò esse memores, ac si lex esset recèns nata. Non est improbandus hic sensus, quia pius, verus, ac laudabilis est, tametsi (vt nobis viderur) non ad literam: sicuti mox ex verborum Christi tractatione elucidabimus.

Interea veneno hìc Caluiniano, quod more suo aspergit, occurrendum nobis est. *Quia difficile (inquit) est retinere charitatem, homines ea posthabita novos sibi colendi Dei modos fingunt, & Satan multa suggerit in quibus se occupent. Ita accidit vt frustra satagendo illudere Deo contentur, se autem decipiant. Quò autem hæc eius oratio collimet, & quos peritringere velit, paulò post in sequentibus aperit. Quum (inquit) hæc mutua dilectionis nota discernat suos Christus ab alienis, frustra se fatigant, qui relicta charitate, novos & commentitios cultus suscipiunt, qualis hodie vanitas in Papatu regnat. Hæc futilis & insulsa cauillatio, quem (quæso) hìc locum habet, aut Christi hoc loco doctrinæ quo tandem modo affinis, aut ad eam consequens est? Quis non videt impotentem hæreticum carpenti causas quærere, & in Ecclesiam Christi Catholicam cæco odio, cæca rabie ac furore, quavis data imò non data causa ferri? Tametsi enim essent in Ecclesia Catholica, quam Papatus nomine semper designat, noui & commentitij cultus; quis tamen illos ex relicta charitate nasci nisi insanus dicat? Superstitio, quæ novos & commentitios vel adinuenit vel suscipit, non sanè ex defectu charitatis proximi, qui semper adiunctum habet defectum charitatis in Deum, sed ex feruenti quodam, præpostero tamen & inordinato colendi Deum studio propriè nascitur: quo studio qui feruent, eiusdem superstitionis socios & cultores maxime & ardentè amare solent: aded vt in illis charitas non quasi relicta & posthabita negligatur, sed malè collocetur. Et propriè Christus hoc loco dilectionis mandatum, quod nunc dat, idè nouum vocat, quia de ea dilectione loquitur quam Christiani inter seiplos eo quòd Christiani sunt, eiusdem religionis cultores, sub vno capite Christo, & eiusdem corporis membra, tenere debent. Hoc est enim, *Vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos*, id est, vt discipulus discipulum, Christianus Christianum diligat; sicut ego vos omnes meos discipulos, quasi de meo corpore, singulari amore complexus sum. Et hoc est verè mandatum nouum quod Christus*

*Venenum
hoc loco
Caluinianum.*

*Impotens
Calumni
calumnia
diluitur.*

*Mandatum
dilectionis
mutua, cur
nouum.*

ex hoc mundo discessurus suis dedit, vt Christiani Christianos singulari amore se mutuò complecterentur, se mutuò iuarent, se mutuò consolarentur, se mutuò sustinerent: quod à primis Christianis cumulatissimè præstitum fuisse Acta Apostolica demonstrant: ad quod Paulus in suis Epistolis frequenter hortatur, quasi ad proprium & nouum mandatum Christi. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Charitas fraternitatis maneat in vobis:* & ad Romanos plenius. *Charitatem fraternitatis inuicem diligentes:* τῆ φιλανθρωπία εἰς ἀλλήλους φιλοσῶπποι. id est, Ad hunc amorem fraternum, quo vos mutuò diligere debetis (scilicet ex Domini mandato nouo) sitis feruidi & admodum propensi, vt eum nullo modo intermittatis. Quare & D. Ioannes in 1. sua Epistola in hoc vno mandato, veluti Christianis hoc sensu proprio, inculcando totus versatur; & vsque ad vltimum spiritum, etiam cum nausea ac fastidio discipulorum, idem perpetuò inculcauit, rationē reddens, *Quia Domini præceptum est; & si solum fiat, sufficit.* Hoc itaque mādaturum quasi Christianis proprium, quo eiusdem religionis socios omnibus amoris officiis complectebantur, per aliquot secula ita retinuerunt Christiani, vt Tertullianus de suo tempore, commemoratis Christianorum collectis pecuniariis, & in quos vsus illa collecta pecunia distribueretur, ita tandem cōcludit. *Eiusmodi vel maximè dilectionis operatio notā nobis inurit penes quosdam. Vide (inquiunt) vt se inuicem diligant, & vt pro alterutro mori sint parati.* Hæc ille. Denique propter hanc mutuz dilectionis notā proprio vocabulo Christiani fratres vocabantur. Hæc ergo mutua Christianorum charitas, qua se quatenus Christianos inuicem singuli diligunt, vbi refrigescit, vbi deseritur & negligitur, non illi ad nouos & commenticios cultus dilabuntur, sed ab omni Dei cultu cessant, nec superstitionis affectum, sed religionis contemptum induunt. Quum enim proximum, quem vident, non diligunt; quomodo Deum diligunt, quem non vident? Deum autem quo minus diligunt, eo minus colunt. Deinde quum Christiana hæc propriè charitas propter Christum & propter communem religionem Christianam assumatur, ea neglecta & reiecta, iacer quoque consequenter religio. Nam & ideò via ad hæreses schisma est, quia violatum charitatis fraternæ, qualis hîc præcipitur, vinculum, dogmatum quoque & totius cultus Christiani violationem inducit. Sic neglecta

Gal. 5.

Heb. 13.

Rom. 12.

Hieron. in

Catalogo

In Apo-

log. c. 39.

Charitas
reliq̄ta non
generat
supersti-
tionem, sed
Dei con-
temptum.

& reiecta charitas non nouos & commentitios cultus introducit, sed omnem Dei cultum abolet. Adeò præposterè suo hîc stomacho indulfit Calvinus.

*Papatus
nullos ha-
bet nouos
cultus.*

Deinde quos ille potest nouos & commentitios cultus in Papatu designare? quorum omnia sunt antiquissima, & à multis retrò seculis vsurpata, & non nisi à primis Ecclesiæ Magistris accepta, & antiquitatis nomine ita commendata, vt propter ipsam vetustatem hæreticis nouatoribus displiceant; nec quicquam magis in Papatu reprehendant, quàm quoddam consuetudinū & traditionum antiquissimarum ita tenaces sunt. Vnde ergo hæc insolens cauillatio, *nouos & commentitios cultus in Papatu ubique regnare?* Si noui sunt, originem eorū ante annos paucissimos ostendere Calvinus debuit: si cōmentitij, authores eorum proferri oportuit. Quod ille non præstitit, præstet qui potest Calvinista: aut nefarium impostorem, qui talia mentiatur, fuisse Calvinum agnoscat.

*Dilectio-
nis man-
datum so-
lam fidem
euerit.*

Sed profectò *mandatum hoc nouum vt diligamus inuicem sicut Christus dilexit nos*, Calvinum solius fidei præconem malè habuisse videtur, vt propterea animi sui ægritudinem hac importuna Catholicorum accusatione subleuare, & bilem eicitere voluerit. Sanè si mandatum hoc Christi est, eo defungi necessariò oportet. Hoc Calvinus non abnuere videtur. At enim hoc loco. *Quisquis verò Christi esse & à Deo agnoscere cupit, totam vitam cōponat & dirigat ad amandos fratres: & huc se assidue sollicitet.* Ex hoc igitur Christi mandato, & his Caluini verbis; ita contra Calvinistas arguo: Dilectio fraternæ est mandatum Christi, & propria nota hominis Christiani, vt absq; ea nemo sit verè Christi, aut à Deo agnoscat: ergo sine ea nemo apud Deum iustificatur, nemo iustus censetur. Iustificari quippe & iustus censeri apud Deum non potest; qui à Deo non agnoscitur, qui verè Christi non est, & propria nota, proprio caractere hominis Christiani caret. Ità non solum fides quæ iustificat, nō est sola, quia cum charitate cōiuncta (qua rimā elabi Calvinus solet, etsi frustra, quum id vnum solam fidem efficaciter destruat) sed ita est cum charitate cōiuncta, & ita charitas cum fide ad iustificationem necessaria est, vt ipsa quoque per se hominem Dei filium constituat, Deo gratum ac iustum coram Deo efficiat. Quæ enim propria filij Dei nota est; propria ratio, & nota non libera sed necessaria, atque intrinseca, illa filium Dei propriè facit atque constituit, non quidem sola, facit tamen vt vnā necessaria subiecti forma & pars iustitiæ integralis. Ita

hic

hic locus non sine causa Caluini abimum malè vexauit, vt aliquid extra rem impotenter effundere debuerit.

IN IOANNIS CAP. XIII.

1. In domo Patris mei mansiones multe sunt.



OMMUNIS est & consentiens omnium veterum Meritoria & gloria & disparitas.
 Patrum doctrina; Christum hoc loco mansionum
 æternæ beatitudinis non multitudinem tantum, sed
 & diuersitatem docere: vt sicut meritorum in hac
 vita imparitas magna est, aliisque alio coram Deo iustior
 ac sanctior inuenitur: sic præmiorum magna quoque in cælo
 imparitas ac diuersitas reperitur. Patrum quorundam sen-
 tentias integras in Prompt. nostro Catholico produximus,
 D. Augustini tract. 67. in hunc locum, D. Hieronymi lib. 2. con-
 tra Iouinianum, Gregorij Magni Moral. lib. 4. cap. vlt. & lib.
 vlt. cap. 24. & dialog. lib. 4. cap. 35. Accedunt ad illos & alij Pa-
 tres. Irenæus affirmans sic esse multas mansiones apud Patrem, Lib. 3. cap. 21.
 sicut sunt multa membra in corpore: quorum magnam esse
 diuersitatem nemo dubitat. Hilarius his verbis. *Plures man-
 siones diuersæ dignitati habitantium præparantur. Sed licet
 diuersa sit dignitas (differt enim stella stella in gloria) tamen
 quotquot habitationibus (varijs licet) digni habebuntur, fidei
 fructum & honorem cælestis gloriæ sortientur.* D. Basiliius in hæc In lib. de Spiritu S. cap. 16.
 verba. *In splendoribus Sanctorum mansiones multe sunt apud
 Patrem, hoc est dignitatis discrimina. Sicut enim stella à stella
 differt in claritate, ita & resurrectio mortuorum.* Sed & iterum In lib. de S. virgin. cap. 26.
 D. Augustinus acerrimè contra Iouinianum disputans, qui
 disparitatem meritorum in coniugio & virginitate negabat,
 ex hoc loco pugnat. *Quia in ipsa vita æterna distinctè fulge-
 bunt lumina meritorum, multe sunt mansiones apud Patrem:
 ac per hoc in denario quidem non impari non viuet alius pro-
 lixius, in multis autem mansionibus honoratur alius alio clarius.*
 Hæc rursum ille: lam verò omnes hos Patres ex alto despi-
 ciens Calvinus ita scribit. *Perperam tractus hic locus fuit in
 alium sensum, quasi doceret Christus distinctos esse honoris gra-
 dus in regno cælesti. Sed quare perperam? Multas enim (inquit) Caluini
 friuola
 probatio
 contra Pa-
 trum con-
 sensum.
 mansiones dicit Christus, non varias aut disparas, sed que plu-
 ribus sufficiant: ac si diceret, non sibi vni, sed omnibus etiam
 discipulis locum illic esse. Atqui hæc observatio friuola planè
 atque inanis est. Nam, vt rectè disputat D. Gregorius, se dispar*

Dialog.
lib. 4. c. 35.

retributio in illa beatitudine non esset, vna potius mansio quàm multa essent. Mansio quippe cælestis non locum circumscrip- tum quo veluti certo ac definito animæ & corpora beato- rum concludantur, sed requiem & gloriam beatis præpara- tam denotat. Hæc gloria quum non vna sit, sed multæ; varia quoque & dispar necessariò erit. Sed & ipsa Caluini expo- sitio hanc disparitatem probat. Quum enim idcirco multas esse mansiones Christus dixerit, vt doceret non *sibi vni, sed omnibus etiam discipulis locum illic esse*, Christi autem man- sionem à discipulorum mansionibus magna disparitate dif- ferre negari non possit, necessariò hæ multæ mansiones di- spares quoque & diversas significare debent. Ita Caluini ca- uillatio tot Patrum consentienti expositioni præponderare non potest.

Mirretur fortè quispiam, cur ita proteruè doctissimis Pa- tribus obsistat Caluinus, vt ab illis omnibus perperam hanc locum tractum affirmet. Vidit doctrinam meritorum & iu- stitiam ac retributionem honorû operum ex hoc loco iuxta Patres intellecto necessariò stabiliri, suam autem imputari- nam iustitiam (quæ nullam disparem retributionem patitur, quum Christi iustitia omnibus æqualiter imputeretur) peni- tus subuerti. Hac de causa ausus fuit communem Patrum expositionem reiicere, & vnum suum friuolum argumen- tum omnium illorum iudicio anteponere. Hæc eius insolentia ac improbitas est.

3. *Etsi abiero, & preparauero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum.*

Limbus
Patrum
cõtra Cal-
uinum de-
fenditur.

Hoc iterum loco veterum Patrum sententiam ac fidem traxit Caluinus. Quum enim Christus hîc doceat se redeundo ad Patrem per corporis sui ascensionem & glorifica- tionem, parare suis omnibus locû, quo & illi ad Patrem con- scendant, & cælesti gloria fruantur, paretur autem hîc locus Christo glorificato, quia ille omnibus ianuam cæli aperuit, quod ante eum glorificatû nulla beata anima ingredi potuit, quia (vt Caluinus hîc agnoscit) *ille vnicus hares cæli possessio- nem nostro nomine adiit, vt per ipsum accessus nobis pateat, &* vt Apostolus docet, antequam Christus ingrederetur sancta sanctorum, *nondum propalata erat sanctorum via*, mouet hîc quaestionem Caluinus, & ait. *Exoritur tamen quaestio, qualis fuerit Patrum veteris testamenti conditio post mortem, ante quam*

Heb. 9.

quam Christus in cælum ascenderet. Vulgo enim colligunt, fideles animas in limbo fuisse inclusas; quia dicat Christus suo in cælum ascensu paratum iri locum. Vera est hæc collectio, & cõmunis Catholicæ Ecclesiæ & veterum Patrum sententiæ, vt alibi contra Caluinum ostendimus. Sed displicet illa huic nouatori, & collectionem firmissimã infirmare conatur. Sed responsio (inquit) facilis est, quòd locus hic parari dicatur in diem resurrectionis. At hæc responsio nulla est. Christus quippe in diem resurrectionis parat beatis locum quoad corporum glorificationem. Animas tamẽ in retea Dei visione frui post Christi ascensum, qua visione veteris testamenti Patres defuncti non fruebantur, huiusmodi præparationi non repugnat. Vnum igitur ex altero infirmari non potest, & quòd concludit Caluinus, *utrisq; pariter*, tam Patribus olim defunctis quàm iustis post Christi ascensionem ad alterã vitam translatis, *Christum parare locum in quem extremo die omnes recipiet*, huic discrimini nihil obstitit, quo dicitur, Christo in cælum assumpto iustorum animas tam, veterum Patrum quàm aliorum post Christum in cælum assumi, & Dei visione frui, sed ante Christum in cælum assumptum Patrum animas in limbo detentas, & Dei visione in cælesti gloria necdum gaudisas fuisse. Quæritur igitur à Caluino, quo tandem loco erant Patrum veteris testamenti animæ ante Christum glorificatum, postquam nec in cælo fuisse fatetur ipse, nec in limbo fuisse cum Ecclesia Catholica fateri vult? Vidit hoc ab ipso necessariò quarendum. Ait igitur, *Ante reconciliationem peractam fideles animæ, velut in specula, erant intenta ad redemptionem promissam: Et nunc beata quiete fruuntur, usq; dum compleatur redemptio*. Erant (inquit) intentæ ad redemptionem promissam velut in specula. Verum quidem hoc est, sed vbi, in quo loco, in quibus receptaculis erant? Neque enim nusquam erant, si erant. Nec infinitæ sunt animæ, sicuti Deus est, vt idèò vbique sint. Perpende igitur, lector Christiane, Caluini peruicaciam. Agnoscit animas fideles nunc quidem beata quiete frui, usque dum compleatur redemptio, per corporum glorificationem: ante reconciliationem autem à Christo peractam, ad redemptionem promissam fuisse intentas, & illas veluti in specula expectasse: quòd totum Catholica agnoscit Ecclesia. Sed in certo receptaculo, quòd limbum Patrum vocauit antiquitas, illas hanc redemptionem expectasse proteruè negat. Ita nec locum ipse designat, nec agnitum ab Ecclesia locum recipit. Hæc est mera hominis

In Tröpt.
Cath. parte
Quadrages.
ser. 5. hebda.
2.

Caluini
proteruè
relinquitur

improbi protervia, & contradicendi libido. Idcirco autem limbum Patrum negat Calvinus, negant & alij hodie hæretici, ne præter cælum & damnatorum infernum, medium aliquem locum, qualis purgatorius nunc locus est, agnoscere cogantur. Quam autem protervè & insulse Calvinus id faciat, hic vnus locus ad oculum demonstrat.

12. *Maiora horum facit.*

Opera maiora per Christianos quam per Christum quomodo.

Varia redditur à sacris Doctoribus huius promissionis expositio. Origenes homil. 7. in Numeros idè per Apostolos aliosque Sanctos maiora facta esse opera quam Christus ipse fecit, exponit, quia plus est Christum per alios mundum & Diabolum vincere quam per seipsum. Vincit autem per alios, quando per eius gratiam spirituaia sunt opera à filiis Dei, quibus caro, mundus, Diabolus vincuntur. Hæc expositio non videtur literalis, quia cõparatio Christi circa eiusdem generis opera versari debet. Loquitur autem de suis miraculosis operibus, quorum maiora per alios facienda prædicat. Eadem ex causa nec illa expositio ad literam erit quam idem tradit Origenes homil. 6. in Esaiam, & similiter S. Augustinus tract. 72. in hunc locum, videlicet quòd per maiora opera intelligatur conuersio Gentium & totius mundi facta per Apostolos, quum Christus nisi paucos Iudæos conuerterit. Hæc enim conuersio effectus potius est operum miraculorum, quam opus per se tale, nec comparatio Christi de eo, genere loquitur. Tertia est magis ad sensum Christi, quàm idem quoque tradit S. August. loco citato, & Chrysost. homil. 12. in Acta, quod quædam miracula Sancti fecerunt in fide Christi maiora quibusdã miraculis à Christo factis: vt quòd Petri vmbra sanauit infirmos, maius viderur quàm quòd cõtractu simbriæ Christus sanauit, quo exemplo Chrysost. vtitur. Nec enim generalis hæc promissio est, vel de omnibus miraculis, sed de quibusdam; nec de omnibus Sanctis, sed de quibusdam, quum ad fidem Christi comprobendam (qui finis est miraculorum) sufficiat in eius nomine quædam à quibusdam maiora fieri miracula quàm ille aliquando fecit. Calvinus ad totius mundi conuersionem hanc promissionem refert, vt illud *facere* nec solis Apostolis nec singulis piis commune sit, sed ad totum Ecclesiæ corpus spectet. Atqui in conuersione totius mundi, totum Ecclesiæ corpus nihil facit, sed fit potius, ædificatur, colligitur. Ergo illud *facere* non potest ad totum

Caluini sensus refellitur.

totum Ecclesie corpus, quatenus in fidem colligitur, spectare, sed ad quosdam pertinere debet, qui opera maiora faciunt quam Christus aliquando fecit. Frustra Caluius nouellum hoc glossema adiuuenit, ne aliquid à suis maioribus didicisse videatur.

15. *Si diligitis me, mandata mea seruate.*
 21. *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligitur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.*
 23. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*
 24. *Qui non diligit me, sermones meos non seruat.*

CHRISTUS Redemptor Apostolos propter magistri sui recessum, quem iam eis prædixerat, ex eiusdem amore vehementer contristatos, serio & subinde monet, vt hunc in eum amorem aliò conuertant; vt non de eius recessu tridentur, sed de eius seruandis mandatis, quæ tam multa eis dederat, solliciti essent. Sic enim demum fore, vt suam in eum dilectionem ostenderet & comprobarent: vt illi vicissim à Deo Patre atque ab ipso diligantur: vt ipse quoque post recessum suum adhuc seipsum eis manifestaret, siue post mortem rediituum; siue per gratiæ spiritualis perfectionem, siue denique per gloriæ manifestationem in beata vita. Denique vt tam ille quam Pater non tantum ad eos, sed ad omnes qui eum diligerent, & mandata eius seruarent, venirent, & mansiones suas apud eos facerent: quod postremum quantum valeat, in Prompt. nostro Catholico latius olim diximus. In hac tota oratione partim charitatis vim, virtutem, efficaciam (quæ videlicet facit seruari mandata) partim obseruationis mandatorum amplissimum fructum, vtilitatem, premium Christus nos docuit. Priorem doctrinam agnoscit aliquo modo Caluius. Ad illa enim verba, *Qui habet & seruat mandata mea, ille est qui diligit me*, ita scribit: *Iterum repetit superiorem sententiam, quod certa amoris erga ipsum approbatio in eo sit, si præcepta seruemus.* Mox Paulam honorari fateretur, vt simus noua creatura in Christo. Addit quoque iubere hic Christum, vt in doctrinæ suæ obseruantia & pietate inonibant: sic enim rectè

*Charitatis
efficacia &
utilitas.*

1.

2.

3.

4.

*In festo
Ascens.
Dominis*

obediri Evangelio, quum officia nostra & externa actiones ex Christi amore nascuntur. Hæc tamen si totam Christi sententiã plenè non referant, (docet enim Christus, sine dilectione seruari mandata non posse, vt ver. 24. apertè loquitur, & illum demum diligere qui seruat eius mandata, ver. 21. vt mandatorum obseruatio dilectionem Dei necessario consequatur) veram tamen sententiam habent.

Cæterum ne hæc veritas Euangelica suum fructum referat, ne charitatis & obseruationis mandatorum existimatio lectoris animum occupet, denique ne quid detrimenti capiat sola fides iustificans, occurrit quàm primùm Calvinus, & saluberrimam hæc doctrinam suo veneno asperso inutilem reddidit. *Iam* (inquit) *quum certum sit nos seruare Christi præcepta, quatenus ipsum amamus, sequitur nullibi posse reperiri in mûdo perfectum eius amorem: quia nemo est qui perfectè seruet eius mandata.* Totam Christi doctrinam inuertit & eludit. Ponit Christus, quod verum erat, se ab Apostolis suis diligi, & ab aliis postea in eum credituris diligendum fore. Hoc enim torum in cordibus suorura per Spiritus sui gratiam effecturus erat, non solùm *fide purificans corda eorum, sed & diffusa charitate in cordibus eorum per Spiritum Sanctum quem daturus erat.* Iam huius dilectionis hunc esse fructum, hoc argumentum, hanc vim ac virtutem fore dicit, vt *qui eum diligunt, mandata eius seruent.* Sic ex dilectione, quam certissimè præsupponit Christus, mandatorum suorum obseruationem infert atque concludit. Inuertit Christi argumentum Calvinus: Tu ex dilectione Dei mandatorum obseruationem concludis. At ego probo nullam esse talem dilectionem, quia nulla est mandatorum obseruatio. Nulla, inquam, est perfecta mandatorum obseruatio; ergo nullus est perfectus amor. Aut igitur de perfecta hinc mandatorum obseruatione loqueris, vt amorem quoque perfectum præsupponas, & sic ex priori posterius destrue: aut de imperfecta mandatorum obseruatione disputas, vt amorem quoque non nisi imperfectum quendam præsupponas, & sic mandatorum obseruatio, quam hic doces, vera non erit. Non enim verè lex mandatorum seruat, nisi tota & perfectè seruetur. Hæc est Calvinus contra Christum disputatio. Verba Christi de perfecta dilectione & perfecta mandatorum obseruatione exponis, qualem videlicet ipse sibi finxit, nemini in hac vita possibilem: quod aliis in locis explicatum dedimus. Illa prima astutia est, vt exclusa perfectæ obseruationis possibilitate, totam quoque possibi

Christi doctrinam Calvinus euertit.

Act. 15. Rom. 5.

Calvini contra Christum disputatio.

possibilem obseruationem, vt rem ad salutem nec necessariam nec vtilem, pariter excludat. Tum Christi consequentiam evertit ex destructione consequentis. Dicente Christo: *Si quis diligit, seruat mandata*, resistit Calvinus: Nemo seruat mandata; ergo nemo diligit. Nequitia hæc & impietas est cum summa stoliditate coniuncta. Quid enim stolidius, quàm, vt argumentum eludas, conclusionem negare? Quid magis impium, quàm, quod Christus ex altero concludit, falsitatis arguere? Concludit & colligit Christus ex dilectione Dei, mandatorum Dei obseruationem. Negat hanc posteriorem Calvinus; Christumque falsitatis arguit, vt collectionem Christi infirmer. Postquam Christi collectio Caluino displicuit, medium probationis negandum erat, non ipsa conclusio. Sublato quippe probationis medio, deficit conclusio, non econtra. Hæc est hoc loco Caluini & stoliditas, & impietas maxima.

*Caluini
maxima
impietas
& stoliditas.*

Sed quid tandem Caluini iudicio docebit hinc Christus, si mandatorum Dei obseruationem non docet; aut si talis nulla est? *Gratum tamen* (inquit) *Deo est eorum obsequium qui ad hunc scopum vero conatu aspirant.* Hoc est torum quod à Christo his verbis doceri Calvinus patitur, conatum quendam ad Dei mandata obseruanda, non ipsam mandatorum obseruationem. Atqui Christus non dixit, *Si diligitis me, verum conatum habere, vt mandata mea seruetis*; sed dicit, *Si diligitis me, mandata mea seruate*. Rursum non dicit, *Qui verum conatum habet seruandi mandata mea, ille est qui diligit me*; sed dicit, *Qui habet mandata mea, & seruat ea*, id est, vt ipsemet hoc loco exponit Calvinus, *qui in mandatis meis recte est institutus; qui se & vitam format ad eorum regulam*, ille est qui diligit me. Adhuc iterum Christus non dicit, *Si quis diligit me, verum conatum habebit seruandi sermonem meum*; sed dicit, *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit*. In omnibus suis verbis Christus ipsum opus prædicat, non conatum, ipsam obseruationem, non obseruandi studium, denique actum ipsum & effectum, non desiderium inefficax, quale Calvinus ponit. Nos igitur Christi verbis credimus, non fermento Caluini verba Christi tenemus, non commenta & traditiones Calvinianas. Perpetuum est autem hoc Caluini commentum & fermentum, vt opera destruat, conatum inefficacem substituit, vt ipsam mandatorum obseruationem tollat, desideria boni, quæ effectum non sortiuntur, supponit: quod in epist. ad Rom. clariùs elucescet.

Christi verba contra Caluini fermenta.

In cap. 7.

Sed & alia Christi verba hoc loco non de vero tantum conatu, sed de ipsa mandatorum vera obseruatione & adimplerione Christum loqui iuxta ipsius Caluini interpretationem docent. Quod enim Christus inter hæc verba dixit, *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt apud vos maneat in æternum*, hoc de spirituali gratia, quæ facit seruari mandata, exponit Caluinus. Sic enim ad illa verba scribit. *Promittit Christus se præceptis seruandis vires daturum. Nam alioqui parum efficax fuisset exhortatio, qua dixit, Mandata mea seruate. Ergo in tempore occurrit, docetque, vt ut absit ab illis corpore, non tamen se passurum vt auxilio destituti inuocent, quia per Spiritum suum illis aderit. Ecce agnoscit Spiritum Sanctum credentibus à Christo promitti, vt det vires præceptis seruandis, & futuram alioqui Christi exhortationem parum efficacem. Seruantur igitur de facto per has vires gratia Dei mandata, & efficax est illa Christi exhortatio: Si diligitis me, seruate mandata mea. Non est tantum in credentibus verus conatus, quo aspirant ad obseruationem mandatorum, sed est in illis verus effectus ipsius obseruationis. Hæc Caluini confessio ad ipsum Caluinum refutandum satis efficax est, & principale eius dogma de obseruatione mandatorum impossibile efficaciter subuertit. Ad quod enim præstandum vires accepimus, illud nobis impossibile non est: & quum ad faciendum exhortatio efficax est, illud profectò fit ad quod exhortatio prouocat. Sed magistri mendaces mendaciorum suorum parum sunt memores.*

Est adhuc aliud quod ex his Christi verbis cauillandi Caluino causam dare potuit. Dixit Christus, *Qui diligit me, diligitur à Patre meo: & rursus, Si quis diligit me, Pater meus diligit eum.* Ad hæc verba Caluinus, *Perperam ex hoc loco eliciunt Papiæ duplicem amorem, quo Deum prosequimur. Eriunt Deum naturaliter à nobis diligi, priusquam nos Spiritu suo regeneret: & hac etiam preparatione nos mereri regenerationis gratiam.* Hæc illè. Duplici mendacio Catholicam doctrinam grauat. Falsum est, duplicem amorem, quorum alter sit naturalis ex hoc loco Catholicos colligere; quum nemini dubium sit de illa sola dilectione Christum hic loqui, quæ Dei donum sit, quæ sola facit seruari mandata, quæ sola facit filios Dei, quæ sola causa est vt semel dilecti magis à Deo diligamur, quatenus huius dilectionis beneficio Dei mandata seruantes ad maiorem erga nos dilectionem ad maiora & ampliora gratia beneficia nobis conferenda Deum prouocamus.

Hæc

Caluinus
ex seipso
refutatur.

Caluini du-
plex men-
daciū.

Hæc est Catholicorum interpretum hoc loco sententia. Naturalem quandam Dei dilectionem, ut est author naturæ, & quatenus per ea quæ facta sunt naturaliter cognosci potest, etiam in non regeneratis agnoscunt Catholici Doctores: sed ex hoc loco eam non colligunt: neque de naturali dilectione Christum hic loqui vlli exponunt. Iam verò dicere Catholicos quòd huius naturalis dilectionis præparatione meremur gratiam regenerationis, mendacium quoque est multò luculentius. Proprium hoc erat Pelagij dogma, mereri hominem primam gratiam, quia prius homo naturaliter Deum diligit & colit. Ut huiusmodi absurda atque impia Catholicis impingeret Calvinus, authorem proferre debuit, saltem eam innumeris vnum. Sed dolosus versatur in generalibus: & solemne hoc improbis ac maledicis est, ut in genere arguatur, quum in specie probare non possunt. Est & istud Calviniani toxici vna dosis apud illum satis frequens ac vulgaris. Caveat emptor, ne apud talem *parum subripit* medicamenta quærat.

Naturale Dei dilectione quomodo & quatenus agnoscunt Catholici.

26. *Ille docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixerò vobis.*

DVplex hic Spiritus sancti officium à Christo designatur. Vnum docendi in perpetuum omnia quæ ad Ecclesiæ ædificationem & instructionem faciunt: alterum ad ea suggerenda atque in memoriam reuocanda quæ Christus viua voce docuerat. Qualia in hoc Evangelio suo quædam D. Ioannes annotavit. De Christo super pullum asinæ sedente: *Hæc non agnouerunt discipuli eius primum; sed quando glorificatus est Iesus, tunc recordati sunt quia hæc scripta erant de eo. & hæc fecerunt ei.* Recordati sunt Spiritu sancto suggerente. Rursum, de Christi resurrectione à mortuis, quam toties eos docuerat. *Nondum sciebant Scripturam, quia oportuit eum à mortuis resurgere.* Posterius hoc officium agnoscit Calvinus, prius negat; quia illud prius ad hoc posterius restringi vult, ut Spiritus sanctus sicut illa suggerit quæ Christus dixerat, in memoriâ reuocando, sic & illa doceat quæ Christus docuerat, eadem repetendo, & eorum intelligentiam subministrando. *Illæ (inquit) restrictio attentè notanda est, ubi partes Spiritus sancti assignat, suggerere quæcumque antè ore docuit.* Sed hæc restrictio in Caluini cerebro nata est, in Christi verbis non inuenitur. Neque enim dicit Christus, Non docelms vos alia, vel non suggeret vobis alia quàm quæ ego ore

Spiritus sancti officium duplex.
Ioan. 12.
Ioan. 10.
Instit. lib. 4. cap. 8. num. 8.
Spiritus sancti munus Calvinus impie restringit.

vos antè docui. Non sic Christus loquitur, vt iuxta Caluini restrictionem loqui debuit. *Docebit quidem omnia* (ait Christus) *& suggeret omnia quæcunque vobis dixi.* Non dicit, docebit illa sola & suggeret illa sola quæcunque dixi. Omnis homo currit: & , Solus homo currit. longè diuersam significationem adferunt: verum illud, falsum hoc. *Obserua* (inquit) *quanam sint illa omnia quorum doctorem fore Spiritum promittit. Suggestet, inquit, vel reducet in memoriam quæcunque dixi. Vnde sequitur non fore nouarum reuelationum architectum.* Vana & facilis est hæc consequentia; quia suggeret quidem illa omnia, sed non illa sola. Annon verò clarissimis verbis paulò post Christus hoc ipsum docuit? *Multa* (inquit) *habeo vobis dicere quæ non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, quem mittet Pater in nomine meo, docebit vos omnem veritatem.* Annon apertissimè docet, se hæcenus omnia quæ dicenda erant, ore proprio non dixisse? Annon apertissimè addit, ea quæ ipse ore proprio non dixerat, Spiritum sanctum docturū, quia omnem docebit veritatem; quam ille omnem adhuc non docuerat, quia omnem portare & cum fructu audire discipuli necdum poterant? Annon denique commentitiam Caluini restrictionem Christus ipse verbis clarissimis refellit? Deinde si ad hoc restringitur Spiritus sancti officium, vt non nisi ea suggerat quæ Christus prius ore docuit: aut ostendendum est vbi Christus ore docuit, *abstinendum esse ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato*; aut dicendum mentitos esse Apostolos, quum mandatum illud promulgantes dixerunt, *Visum est Spiritui sancto & nobis*: aut denique in illo mandato Apostolis suggerendo officij sui limites & restrictionem datam veluti *nouarum reuelationum architectus* excessit Spiritus sanctus. Rursum quum Apostolus de vidua dixit, *Beatior erit si sic permanserit secundum meum consilium*; puto autem quod & ego *Spiritum Dei habeam*: aut ostendendum vbi Christus hoc ore docuit, aut dicendum à Spiritu Dei Paulum hoc non didicisse, aut denique in tali doctrina Paulo suggesta officij sui limites Spiritum sanctum veluti *nouarum reuelationum architectum* excessisse. Idem de innumeris D. Pauli & reliquorum Apostolorum sententiis à Spiritu sancto suggestis & in epistolis suis Canonicis ad Ecclesias Dei conscriptis, quorum nihil Christū ore proprio docuisse constat (maximè in sensu Caluini & aliorum hæreticorum, qui quæcunque Christus ab omnibus credenda docuit, à quatuor Euangelistis com-

prehen

cap. 16.

Act. 15.

1. Cor. 7.

prehensa esse volunt) dici & concludi potest.

Quæ omnia quum tam liquida & manifesta veritate subsistant, vide tamen quid ex suo figmento & quanta audacia concludat Calvinus. *Hoc vno* (inquit) *verbo refutare licet quæcunque sub prætectu Spiritus in Ecclesia figmenta ab initio huc usque Satan inuexit.* Ergo & eodem verbo refutare licet quæcunque Apostoli ipsi (locis à me citatis) authore Spiritu sancto Ecclesiæ Dei documenta tradiderunt. Eodem quoque verbo omnia veterum Conciliorum decreta refutare licet, quæcunque totius Christiani orbis Episcopi authore Spiritu sancto contra veteres hæreses definierunt. Illa omnia nominatim reiicienda sunt fidei vocabula, Christi ore nunquam prolata, sed in Conciliis authore Spiritu sancto definita: Trinitas personarum in vna natura diuina: Tres hypostases: Filius Dei Christus Patri consubstantialis: Spiritum sanctum procedere à Filio: Duas esse naturas in vna persona Christi. Et sanè non desunt hodie hæretici, qui ex his Caluini principiis illa omnia cum veteribus hæreticis negant & reiiciunt penitus, non secus quàm posteriorum Conciliorum decreta & vocabula recepta, Transsubstantialitatem, & huiusmodi, procaciter Calvinistæ reiiciunt. Ad Atheismum quippe, totiusque Christianæ religionis interitum, impij Caluini principia ducunt.

*Audax
Caluini
impietas.*

*Caluini
principia
omnes ve-
teres hæ-
reses re-
stantur.*

Notariis istis suis collectionibus atrocem calumniam subterit. *Mahometes & Papa commune habent religionis principium: Non contineri in Scriptura perfectionem doctrinæ, sed quiddam aliud reuelatum esse à Spiritu.* Addere debuit Calvinus: Mahometes & Papa & Apostoli & Paulus, commune habent religionis principium, non contineri in Scriptura doctrinæ perfectionem, sed quiddam aliud reuelatum esse à Spiritu. At hoc si fecisset, eius blasphemæ vox statim reiiceretur. Iam enim ostendimus iuxta Apostolos & Paulum non omnia contineri in Scriptura, sed quædam illis à Spiritu esse reuelata. Quod autem Calvinus scripsit, *Papa principium esse, quiddam aliud reuelari à Spiritu,* schema Calvinianum est, putum mendacium, & solemnis illi obiecti criminis exaggeratio. Non enim *aliquid aliud* reuelari à Spiritu quàm habet Scriptura aliquis docet Papa, aut vsquam docent Catholici; sed *aliquid aliud* reuelari à Spiritu quod nec Christus ore docuit, nec habet Scriptura, docet Papa; docent Patres Ecclesiæ Christianæ vetustissimi & doctissimi; docet tota Ecclesia Catholica; docuerunt suo exemplo Apostoli; docuit Pau-

*Mendaciū
Caluini
infame &
insulsum.*

Paulus; docuit denique id futurum Christus ipse in verbis citatis. Cæterum eiusdem esse altitudinis & excellentiæ quod docet Scriptura, & quod docet Spiritus; vel quod ore docuit Christus, & quod postea docuit Spiritus sanctus ipse Christus nos docuit, dicens de Spiritu sancto. *Ille de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Sed & quæstio ipsa inter Catholicos & hæreticos hodie de perfectione Scripturæ, non in eo versatur, an aliquid aliud reuelaret à Spiritu quàm in Scriptura cõtineatur, sed an aliquid aliud doceat Ecclesiam Spiritus sanctus quàm in Scriptura cõtinetur. Adeo nihil quàm fallit ac mentitur Calvinus.

Joan. 16.

*Calvini
artificium.*

Iam quod Mahometem in hac causa Papæ adiungit Calvinus, alterum est schema Calvinianum, purum mendacium, & obiecti criminis futilis aggrauatio. Quis enim nescit Mahometem adeo Spiritus sancti reuelationes Scripturæ non anteponeere, ut utrumque pro fabulis habeat? Sed hoc est artificium Calvinianum, Dei & diaboli ministros connectere, ut qui diaboli ministrum exhorret, Dei quoque ministrum fugiat. Sanè Mahometes & Calvinus quàm communia habent religionis principia, facile intelliget qui Analysim religionis Calvinianæ à doctissimo viro D. Gulielmo Reginaldo elaboratam inspexerit. Homo impius, sui sibi forte Mahometisim conscientius, idem sacrilegium in Papam reicere voluit.

Adiungit eodem schemate Anabaptistas & Libertinos qui de Spiritu gloriantur. At ille spiritus, priuatus spiritus est, ideoque impostor, qui nihil commune habet cum Spiritu Dei, qui per os Ecclesiæ loquitur: quando non nisi Ecclesiæ suæ Præpositis ac Magistris, quales Apostoli futuri erant, huc Spiritum veritatis, qui doceret eos omnem veritatem, promissit Christus. Illi habent hoc donum Spiritus Dei, ut alios doceant suggerente Spiritu sancto ut sint idonei ministri noui testamenti, non litera sed Spiritu: ut sint Pastores ac Doctores in edificationem corporis Christi, in opus ministerij, &c. Alij habent quoque Spiritum Dei, non ut doceant, sed ut discant, & dociles fiant discipuli veritatis, obediendo Præpositis animarum suarum, & subiucendo illis. Anabaptistæ & Libertini nec hoc Spiritus donum habere volunt, ut Ecclesiam Dei audiant, nec aliud donum Spiritus habere possunt, quia Ecclesiarum Pastores non sunt, sed à tota Dei Ecclesia alieni & extorres.

*2. Cor. 3.
Ephes. 4.*

Hebr. 13.

Concludit tandem Calvinus. *Atqui (inquit) impostor est spiritus, non Christi, qui extraneum aliquid ab Evangelio com-*

mentum ingerit. Verissimum hoc est, si extranei commenti vocabulo, dogma Evangelio contrarium & repugnans intelligimus: quo nomine maximus impostor Calvinus est, qui in tam multis iam à nobis refutatis, extranea ab Evangelio commenta in his suis quos vocat commentariis ingessit. At extranei commenti vocabulo quid intelligi velit Calvinus, postremum nunc quod sequitur, demonstrat. *Spiritum enim* Spiritum (inquit) *Christus promittit, qui Evangelij doctrinam quasi sanctū ita-* subscriptor confirmet: id est, qui ita Evangelio subscribit, ut *restrin-* nihil aliud doceat aut suggerat quam quod Christus in Euā- *git Calu-* gelio ore docuit. Hunc enim esse Calvini sensum, antegressa *nus.* eius disputatio declarat. Atqui hoc ipsum quod narrat Calvi- *Calvinus* nus, extraneum commentum est, quod nunquam Christus *ex suis ver-* ore docuit, ut iterum impostorem esse Calvinum, Calvini *bu impo-* verba convincant. Nulla quippe Scriptura docet Spiritum à *stor proba-* Christo promissum, *tur.* ut Evangelij doctrinam quasi subscriptor confirmet. Hæc, inquam, subscriptio & confirmatio Evangelicæ doctrinæ, quam Spiritus sanctus facere debet, in Scriptura non legitur. Commentum hoc cerebri Calviniani extraneum est, etiam eo in loco ubi contra extranea commenta disputat. Nempe, ut impostorem esse Calvinum, ipse Calvinus prober. Docet Scriptura Evangelica spiritum sanctum à Christo missum, ut doceret nos omnia, ut doceret omnem veritatem, ut suggereret quæcumque Christus dixerat. Hoc Scriptura nos docet. Hic nulla subscriptio, nulla confirmatio legitur, ac neque intelligitur ut vnicum & totum Spiritus sanctus officium. Docet quippe omnem veritatem, siue in Evangelio comprehensam, siue non; siue à Christo pronunciatam, siue non. Qui omnem veritatem docet, ad textum Evangelicum non restringitur. Et ne quis restringi posse aut debere existimet, disertè dixit Christus se non omnia docuisse, quia non omnia poterant Apostoli portare: & addit de Spiritu sancto. Ille vos docebit omnia: cui dubium, quin ea omnia quæ Christus non docuerat, nec in Evangelio, ubi Christi doctrina legitur, contineantur? Hoc non est Evangelio subscribere, sed hoc est alia præter Evangelium docere: hoc non est quæ solum Evangelium habet confirmare, sed hoc est alia quæ Evangelium tacitè revelare. Alia dico, quia plura, quia diuersa, quia explicatiora, non quia contraria aut repugnancia. Sanè quatenus suggerit, & in memoriã retocat quæcumque Christus docuit, eatenus Evangelicæ doctrinæ à Christo traditæ subscribit, eamque confirmat; sed quatenus docet

Spiritus
sancto Cal-
uinus com-
pedes inq-
uit.

docet omnem veritatem, adeoque ea quæ Christus non docuit, multò latius eius officium patet quàm vt Euangelij doctrinam quasi subscriptor confirmet. Ausus fuit Calvinus ipsi Spiritui sancto compedes iniicere, eiusque officium ac munus certis limitibus à se inuentis constringere. Quid nunc miramur si toti Ecclesiæ compedes iniiciat, eiusque doctrinam ad certos fines à se suisque adiuuentos cōstringit? Hæc huius impostoris venenata doctrina est, qua diuinæ Scripturæ fluentia purissima contaminauit.

IN IOANNIS CAP. XV.

2. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet Pater meus.*

Bonorum
operum ne-
cessitas ad
salutem.



Locvs hic insignis ac perspicuus est pro bonorum operum necessitate in quolibet credente. Palmes in Christo, id est, Christo veræ vitæ inhærens non est, nisi qui iam per fidem Christo vnitus est. Incorporamur Christo per baptismum, qui est Sacramentum fidei. *Omnem palmitem in me*, ait Christus, id est, omnem hominem mihi iam per fidem nominis mei insitum & incorporatum. Rursum nisi iam per fidem insitus & vnitus Christo esset, de quo loquitur, dici non posset, *tollet eum*. Neque enim tollitur aut refecatur à vite vllus palmes, nisi qui iam prius in vite erat. Dicit autem Christus, omnem huiusmodi palmitem iam ipsi per fidem vnitum, insitum, & incorporatum, *non ferentem fructum*, iustitiæ videlicet ac sanctitatis, *tollet eum Pater meus*, id est, illum à meo corpore separabit, & ponet sortem eius cum impiis. Est igitur cuilibet in Christum credenti, vt in Christo maneat, fructus bonorum operum necessarius, nec absque illo fructu fides saluare potest. Qui enim à Christo tollitur (vt infra Christus dicit) *mittitur foras, arescit, in ignem mittitur, & ardet*. Annotauit ex his verbis doctrinam hanc optimus huius Euangelij interpres Cyrillus Alexandrinus. *Qui (inquit) per fidem Christo solummodo coniunguntur, sola illi confessione inherentes, nec charitatis vimine se colligantes, palmites quidem sunt, sed non fructuosi. Nam fides absque operibus mortua quedam res est. Sic & hanc parabolam exposuit Basilius, elegantissimè docens quot modis humana anima quasi palmes in vite fructificare debeat.*

Lib. 10. c.
14. in Ioa.

Homil. 5.
de ueritate

Docet

Docet præterea hic locus fidem esse posse sine charitate, *Fides esse*
 palmitem in vite sine fructu. Alioqui de palmite non ferente *potest sine*
 fructum differere Christus non potuisset. Quorsum enim de *charitate.*
 tollendo palmite infrugifero comminatur Christus, si nul-
 lus palmes infrugiferus est? si nullus Christo per fidem ad-
 hæret, qui fructum non faciat?

Calvinus hoc istud ipsum aduertens, & paradoxum suum
 de fide semper fructuosa his verbis labefactari cernens, mo-
 uet ea de re quæstionem. *Sed queritur (inquit) an fructu pos-*
sit carere qui in Christo insitus est. Audiamus nunc quid re-
 spondeat vt suum paradoxum tueatur. *Respondeo (inquit)*
multos in vite censeri opinione hominum, qui re ipsa radicem
in vite non habent. Aduerte, lector, quomodo Christi para- *Christi pa-*
 bolam mendacij arguat, vt suo paradoxo succurrat. Quum *rabolam*
 enim Christus dixerit, *Omnes palmitem in me*, id est, qui *Calvinus*
 verè mihi vt viti vnitus & insitus est; contradicit Calvinus, *mendacij*
 & ait huiusmodi palmitem non ferentes fructus, non esse in *arguit.*
 Christo re vera, nec radicem in Christo re ipsa habere, sed
 tantum opinione hominum. Sic quod Christus dixit, *tollit*
eum Pater meus, falsum esse, ait Calvinus. Non enim verè
 tollitur, sed opinione tantum hominum tolli videtur. Si
 enim re ipsa radicem in vite nunquam habuit, ab ipsa vite
 re ipsa tolli & ressecari non potuit. Sic Calvinus, sic alij hæ-
 retici Scripturam reuerentur. Eam potius mendacem fa- *Scripturæ*
 ciunt, quàm à suis nouis conceptis & portentosis dogmati- *hæretici*
 bus vel larum vnguem recedant. *quomodo*
reueretur.

Sed contradictionem & mendacium suum etiam ex Scri-
 pturis Calvinus probare vult. Non est dissimulandum quod
 adfert. *Ita (inquit) Dominus vineam suam nominat apud* *Calvini*
Prophetas Israel, qui externa professione nomen Ecclesiæ habe- *probatio*
bat. Atqui hæc probatio nulla est. Quæ enim hæc conse- *frivola.*
 quentia est? Vocantur aliquando vinea Domini qui externa
 professione nomen Synagogæ habebat: ergo hoc loco quum
 Christus palmitem nominat *in se manentes*, & à se tollendos
 si fructum non faciunt, non alia ratione vocantur palmitem
 quàm quia externa professione & hominum opinione tales
 sunt? Sanè huic similis consequentia est: Apostolus in illis
 verbis, *In magna domo non solum sunt vasa aurea & argen-* *2. Tim. 2.*
tea, sed & lignea & fictilia, & quadam quidem in honorem,
quadam in contumeliam, de quibusdam loquitur, qui externa
 tantum professione in Ecclesia sunt: ergo in aliis illis ver-
 bis, *Domus Dei sumus nos, si fiduciam & gloriam spei vsque* *Heb. 3.*

ad finem firmam retineamus, loquitur similiter de illis tantum qui hominum opinione censentur in Ecclesia. Nec enim Christus hoc loco loquitur de tota vinea, nec Paulus in verbis posterius citatis de tota magna domo Dei, quasi de externa & generali professione vnius fidei & religionis; sed loquitur vterque de veris & viuis membris Christi: Paulus de domo quam Deus verè inhabitat, Christus de palmitate in vite. Palmes autem in vite esse non potest, nisi qui aliquando vixerit in vite. Neque enim palmes aut aliunde inseritur, aut extra suum truncum est; sed ut palmes dicatur, nascitur ex vite, & quidem viuus nascitur, non mortuus; vnde & postea Calvinus dicit, *tunc nos demum incipere palmites fieri, dum nos in Christum coaluimus*. Deinde etiam illa vinea domus Israel non ex eterna tantum professione, sed & vera fide in vnum Deum & per fidem Deo coniuncta, populus Dei erat; tamen non faceret vas, sed labruscas: id est, multis se sceleribus cõtaminaret, quæ Prophetæ in illis acerrimè increpabant. Ex quibus omnibus conficitur, de eo hinc Christum loqui qui semel regeneratus Spiritu Dei verè vixit in Christo, & re ipsa radicem in vite habuit, quem etiam tollendum & ressecandum comminatur, nisi fructum ferat.

Non dicit Christus, Omnem futurum palmitem in me non ferentem fructum tollet, sed *omnem palmitem in me*: id est, qui in me iam est. Non loquitur de eo qui opinione hominum censetur in vite, ut ad vitam accedat, eique verè inseratur; sed loquitur de palmitate iam in vite, ut in vite maneat, ut non tollatur à vite: quod ex sequentibus Christi verbis magis adhuc elucescit. *Manete* (inquit) *in me, & ego in vobis*. Ad perseverantiam hortatur: & addit. *Sicut palmes non potest ferre fructum à seipso nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis*. De palmitate loquitur qui iam est in vite, ut maneat in illa. Si non nisi opinione hominum censetur in vite, ergo aut Christus hortatur ut sola quoque opinione hominum semper censatur, (manere quippe continuationem notat eius quod prius erat) aut nullo modo dicere debuit, *nisi manserit in vite*, sed, nisi viti inseratur, nisi radicem in vite habere incipiat. Nunc autem de palmitate loquitur mansuro in vite, & Apostolos admonet ut maneat in ipso, quia ille est vera vitis, à quo vitalem succum trahere, & per quem fructificare debeant. Manet ergo firmum, aliquos palmites radicem re ipsa in vite habere, aliquos fideles Christo re ipsa inuitos esse, qui tamen fructum non

non ferant; quos propterea monet Christus vt fructum adferant, & ad bene fructificandum in ipso vt mancant, alioqui tollendos ac refecandos esse.

Ex qua etiam Christi doctrina, tertia quædam Caluini & aliorum hæresis refutatur, qua docent solos electos tolli & inferi Christo, qui nunquam tollendi sunt; aut a vite refecandi, quia electi sunt. Quam insanam & penè propriam Caluino hæresim nec hoc loco tacere Caluinus voluit, quia eam hic periclitari aduertit. *Vita (inquit) naturam nemo sapit, donec in Christum fuerit insitus. Atqui hoc speciali gratia datur solis electis.* Hæc ille. Rursum postea ad illa verba, *Si quis in me non manserit, tollitur, &c.* ita scribit. *Non quod ex electis aliquem contingat unquam exsecari, sed quia nulli hypocrite in speciem ad tempus florent & virent.* Sic nullos nisi hypocritas refecari, & qui electi sunt nunquam vel ad minimum tempus à Christo diuelli tradit. Sed Christi verba luce meridiana clarius contrarium docent. Ponunt enim *palmitem in Christo, qui tollendus est nisi fructum ferat.* Et Christus Iudam haud dubiè designabat, sicuti quum de manendo in vite hortatur, Apostolos præcipuè alloquitur, ne Iudæ exemplo à Christo recedant; tametsi generalis sit quoque Christi doctrina, & ad omnes æquè pertineat. Deinde hæc insana & perpetua Caluini doctrina ex aliis Scripturis luculentissimè eueritur. *Cum auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in illa.* Ecce habuit iustitiam, & iustus erat, qui eam deserere potuit, & in sua iniquitate mori, quod electis accidere non potest. Rursum. *Refrigescet charitas multorum.* Habuit igitur charitatem, quæ sine fide non habetur, fuitque Christo semel insitus, in quo charitas postea extinguitur, idque interdum finaliter. Nam ideà adiecit Christus. *Qui autem perseverauerit usque in finem, hic saluus erit.* Habent igitur aliqui charitatem, qui non perseverant vsque in finem; id est, qui non sunt electi. Deinde an mentitus est Paulus, quum diceret quosdam *circa fidem naufragasse*, alios pecunias apperentes *errauisse à fide*? Denique in nouissimis diebus *multos recessuros à fide*? An patitur naufragium qui in navi nunquam erat? An errat à fide aut recedit à fide qui eam nunquam habuit? Tale est hoc Caluini portentosum dogma, quod hoc loco luculenter euersum, hoc tamen loco lectori suggerere non est veritus.

Unica electorum fides refellit.

Ezech. 18.

Matt. 24.

1. Tim. 1.

5. *Quia sine me nihil potestis facere.*

Antegressam exhortationem suam ut maneat in ipso
 Discipuli sui, hoc fortissimo argumento confirmat
 Christus. Quum enim ad eam rem multis hinc argumentis
 utatur Christus; ut ab utilitate, *Qui manet in me, hic fert fru-*
ctum multum; à pœnis eos consequentibus qui in eo non
 manent, *Si quis in me non manserit, mittetur foras, & arescet,*
& colligent eum, & in ignem mittent, & ardet; rursum à be-
 neficiis quæ manentes in eo consequuntur. *Si manseritis in*
me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis
petetis, & fiet vobis; deinde à Dei glorificatione, quam illi
 qui manent in Christo procurant, *In hoc glorificatus est Pa-*
ter meus, ut fructum plurimum afferatis, sup. manendo in me,
 ut prius dixerat; ac postremò à dilectione & charitate qua
 eos prosequitur, quasi per eam illos obrestando, *Sicut di-*
lexit me Pater, & ego dilexi vos, manete in dilectione mea;
 vnum ad hanc rem argumentum à rei necessitate proponit
 Christus. Antea dixerat. *Sicut palmes non potest ferre fru-*
ctum à semetipso nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me
manseritis. Nunc idem planius & plenius repetit. *Quia sine*
me nihil potestis facere, id est, nullum planè fructum iusti-
 tiæ, siue magnum, siue paruum, nihil quod ad vitam æter-
 nam conferat, facere aut conferre potestis, *sine me,* siue meo
 adiutorio, siue mea virtute, gratia, auxilio, *nisi in me man-*
seritis, nisi mihi per fidem adhæreatis, quia vitalis gratiæ
 succus non nisi à me promanet, idque in palmites mihi insi-
 tos, in solos credentes in nomen meum, mihi que unitos &
 incorporatos. Hæc est Christi verborum vis, hæc sententia.

Gratia
 Dei ne-
 cessitas.

Quid nunc in hunc locum Calvinus? *Clausula* (inquit)
est & applicatio totius parabole, quàm diu extra Christum
sumus, nihil boni fructus & Deo grati proferre, quia ad bene
agendum minimè sumus idonei. Vera est hæc sententia ex Chri-
 sti verbis collecta, si de illo bono fructu loquamur, quid ad
 vitam æternam & veram pietatem spectat, de quo hinc Christum
 loqui dubitari non potest. De eo enim loquitur fructu, quem
 ille solus facit qui in Christo manet, & per quem in Christo
 manemus, denique per quem Deus glorificatur in vobis. In-
 venit tamen hic aliquid vnde Catholicam Ecclesiam accusaret.
Hanc (inquit) *sententiã Papiſta non extenuant modo, sed ener-*
uant imò prorsus elidunt. Gravis accusatio, quã an graviter &
 solidè probet aduertamus. *Etsi enim* (inquit) *verbotenus faten-*
tur

tur nos sine Christo nihil posse, aliquid tamen facultatis suppe-
tere nobis somniant, quod per se quidem non sufficiat, Dei tamen
gratia adiutum cooperetur. Neque enim hominem ita exinaniri
sustinent, quin aliquid ex se conferat. Catholicorum sententiam
 frustra taxat Calvinus. Non docent quidem Catholici aliquid
facultatis, aliquas vires naturales, suppetere homini, quæ ex se
aliquid conferant operando aliquod opus pietatis sine gratiæ
auxilio: admittunt tamen easdem vires naturales aliquid con-
ferre cooperando gratiæ qua adiuuantur. Agnoscunt ad omne
 opus pium ac spirituale exequendum, siue in prima peccatoris
 conuersione, siue in operibus iustitiæ quæ ad Deum conuersi
 operantur, nouas à Deo vires, nouam facultatem ac vim sup-
 peditari, quam ex se homo lapsus non habet, nec habere po-
 test, ut vel ad Deum conuertatur, vel iam conuersus fructum
 iustitiæ ferat. Hanc nouam facultatem, has nouas vires po-
 nunt in nouo Dei dono, quo vel intellectus ignorantia corig-
 tur, vel voluntatis infirmitas roboratur. Illud fidei donum,
 hoc charitatis esse intelligunt; utrumque à Deo datum, in-
 spiratum, infusum. His donis, his nouis gratiæ viribus, hæc
 noua iam facultate credendi & operandi quod coram Deo re-
 ctum & iustum est, naturales hominis vires intellectum &
 voluntatem adiuuari dicunt, & gratiæ diuinæ cooperari; ita
 ut vnum idemque opus non solum gratiæ, sed etiam virtutum
 naturalium gratiæ cooperantiū sit effectus: neque enim sola
 gratia influxum actiuum seu efficientem præbet in opus bo-
 num, sed etiã vires naturales: quod necessariò Caluino faten-
 dum est, nisi cum Luthero dicere velit vires nostras in opere
 pietatis præstando se me è passivè habere, & hominem ita à
 Deo trahi, ut sine motu cordis quasi extraneo impulsu feratur:

Gratia
 Dei quomodo
 homo cooperatur.

Institut.
 lib. 2. c. 3.
 num. 14.
 & 11.

principium omnium affectionum naturalium, & spiritualium, & piarum quibus in Deum tendimus. Sed ut ad fidem capessendam, & ad ea quæ fidei sunt credenda, dono fidei purificatur intellectus; sic ad affectiones piæ ac spirituales à voluntate eliciendas dono amoris divini accenditur & corroboratur voluntas; novæque vires, novam facultatem (quam à se & ex se nunquam habere potuit) à Christo accipit, sine quo nihil in hoc genere boni facere potest. His viribus adiuta voluntas humana divinæ gratiæ libere cooperatur. Hæc vera & integra est Catholicorum sententia. Agnoscimus habere nos aliquid ex nobis, id est, ex natura intellectus ac voluntatis nostræ, quæ gratiæ Christi cooperemur, adeoque aliquam naturalem facultatem ad cooperandum gratiæ quam bruta & saxa non habent, quæ ut causa partialis valeat ad bonum opus. Hinc tamen non sequitur posse nos aliquid sine Christo facere: quia hæc naturalis facultas sine Christo verè nihil facit, nihil operatur. Nihil, inquam; quod ad salutem valet: Christo tamen cooperatur. Sine lumine non possumus videre quicquam. Habemus tamè naturalem facultatem ad cooperandum lumini opus visionis. Confundit Calvinus operari & cooperari, quasi ad cooperandum vires non haberemus, quia ad operandum non habemus: aut quasi gratiam Christi operantem negaremus, quia cooperantem statuimus. Nos verò operantem Dei gratiam multiplicem ponimus, quatenus sua gratia prævenit, excitat, & vires naturales in opus trahit, quatenus sui Spiritus communicatione recouat, sua misericordia peccata remittit, atque iustificat: quatenus iustificatos dirigit, corroborat, flectit, & inclinât ad boni perseverantiam. His omnibus modis operatur Deus in nobis, ut nos illi cooperemur.

Habet homo ex se quo cooperetur, non quo operetur.

Operari & cooperari confundit Calvinus.

Mendacium Calvini. Nunc quæ in Calvino sequuntur, videamus. *Verum tam clara Christi verba eludere, non ita promptum est.* Non Christi verba Catholicorum doctrina eludit, sed Catholicorum doctrinam Calvinus absque causa taxavit. *Tale (inquit) est Papistarum commentum: Nos sine Christo nihil posse: ab eo tamen adiutos habere aliquid ex nobis præter eius gratiam, Christus verò contra pronuntiat: Nos nihil posse ex nobis. Palmas (inquit) non fecit fructum à semetipso. Ergo non tantum cooperantis sua gratiæ auxilium hic commendat, sed nos penitus priuat omni virtute, nisi quam suppeditat ipse nobis. Ergo hæc particula, Sine me, sic resolvi debet, non nisi ex me.* Vera est hæc tota verborum Christi explicatio, loquendo de virtute, efficacia, facult.

cultate, aut viribus, quibus homo aliquem bonum fructum, qui ad vitam æternam conferat, operari & facere potest. Sed falsa est hæc tota criminatio, qua dicit sententiam nostram hanc esse, *Habere nos aliquid ex nobis à Christo adiutis præter eius gratiam.* Falsa, inquam, est, si per illud, *aliquid ex nobis*, aliquam facultatem & vim operandi & faciendi intelligat, nullam enim sanè vim operandi opus pietatis habet homo sine Christo, sed habet vim cooperandi cum Christo. Verè enim diuinæ gratiæ cooperamur, & gratia Christi, sine qua nihil possumus, adiuuat vt possimus. (non sola sine nobis totum facit) quia est in nobis præter gratiam Christi naturalis facultas intellectus & voluntatis, quæ cum virtute, facultate, & efficacia gratiæ Christi in opere bono concurrit. Hanc sine negat Calvinus, humanam naturam, qua sola à brutis animalibus differt, pariter tollit.

Eodem modo hunc locum in Institutione sua ad doctrinæ Catholicæ reprehensionem contorsit, *Nisi obstaret* (inquit) *recordia, satis luculentum testimonium gratiis suis reddidit Christus, ne malignè supprimerentur. Ego sum, inquit, vitis, vos palmites, Pater meus agricola est. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis, quia sine me nihil potestis facere. Si non aliter per nos fructificamus quam reuulsus à terra palmes & humore priuatus germinat, non est amplius quarendum qua sit natura ad bonum aptitudo. Nec ambigua est ista conclusio: Sine me nihil potestis facere. Non dicit nos esse infirmiores quam qui nobis sufficiamus, sed nos ad nihilum redigendo, omnem vel exigua facultatula opinionem excludit.* Iterum de facultate & viribus ad bene agendum sic disputat, quasi sine gratia Christi aliquod pietatis opus ipsæ operarentur. Atqui cum S. Augustino & aliis Patribus contra Pelagianos docet Ecclesia Catholica nihil prorsus boni, nec paruum, nec magnum, nec facere, nec perficere, quod quidem Deo ad meritum gratum sit, hominem sine Christi gratia posse.

Nam quod ex his verbis nullum prorsus bonum, seu morale, seu naturale, sine Christi gratia facere hominem posse Calvinus colligit, absurdus est quæ vt vlla refutatione egeat. Clarum est, vt nuper diximus, Christum hoc loco de illo bono opere loqui, qui sit fructus palmitis manentis in Christo, per quem manemus in Christo, & per quem glorificatur in nobis Deus. Quo vt luce meridiana clarius appareat, attende verborum Christi connexionem. *Ego sum vitis, vos pal-*

*Institutio
lib. 2. c. 3.
num. 9.*

Bonum morale sine Christi gratia fieri potest.

mites. Qui manet in me, & ego in eo, id est, qui per fidem & charitatem mihi vnitus est, & cui ego spiritum meæ gratiæ communico atque infundo (sic enim manet in nobis Christus) hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Attende hanc clausulam à Christo inferri, vt probet eos solos, qui in ipso manent, fructum multum facere. Nam sine me, id est, nisi in me maneant, & ego in eis, nihil possunt facere. Quid nihil, nisi nullum fructum? Et quem fructum, nisi fructum gratiæ, nisi fructum Spiritus Sancti salientem in vitam æternam? Non ergo impediunt hæc Christi verba quominus queratur quæ sit natura nostra ad bonum aptitudo, vt hîc ait Calvinus, ad bonum, inquam, morale vel naturale in rationali creatura, quod ex his verbis penitus à Christo remoueri, in suis ad hunc locum commentariis docet, affirmans, ex his verbis sequi, omnis boni hominis vacuam esse naturam.

Sed vt ad priorem disputationem redeamus, facultatem ad bonum spirituale opere exequendum per hæc Christi verba penitus tolli, nisi Christo prius homo inseratur, atque in eo maneat, non negant, sed libero ore profitentur Catholici, ab Augustino, immo ab Ecclesia Catholica sic edocti, quæ contra Pelagium definiuit, *habere nos ad non peccandum, id est, ad vincendum ex omni parte peccatum, vt iuxta Apostolum peccatum nobis non dominetur, liberum arbitrium non forte & firmum, vt ille dicebat, sed inualidum & infirmum, quod Christi gratia sanaret, nouis illis viribus atque ad eò efficacibus benignè concessis. Absque nouis istis gratiæ viribus nonnullas (vt vult Calvinus) sed infirmas & inualidas (vt loquitur Augustinus) id est, insufficientes vires adfert homo verus, vel vt Christo inseratur, vel vt illi insitus fructum ferat, quia adfert voluntatem infirmam ac debilem & peccato ægram, quæ his gratiæ viribus roborata ac sanata propria sua actione Deo cooperatur, & quidem sine Christo nihil facit, sed cum Christo plurimum facit, quia (vt hîc dicit Christus) multum fructum adfert.*

Epist. 106.
de pecc.
mor. & re-
miss. lib. 2.
cap. 5.

Scripturâ
mutilat
Calvinus.

Non placet hæc explicatio Caluino, qui propterea Christi verbis ad longum recitans, hæc verba in medio posita, immò proximè præcedentia penitus refecauit *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me, &c. Quare hûc in modum in sua Institutione loco citato adhuc prosequitur. Si in Christo insiti fructificamus instar vitis, quæ tum à terra humore, tum à rore cœlesti, tum à solis fomêto vegetationis ducit*

energiam, nihil in bono opere restare nobis video si Deo illibatum seruiamus quod suum est. Existimat Calvinus sic nos esse palmites in vite, vt ad fructum ferendum nihil ipsi cooperemur, sed Deus totum in nobis operetur, quasi etiam palmes fructificans à seipso ex parte non fructificet, quum verè viuat, & vitam in se habeat, tametsi aliunde acceptam: vt à vite, à terræ humore, à rore coelesti, à solis fomento, à quibus omnibus vitalem succum accipit. Sed non aduertit similitudinem palmitis in vite, tenere quidem in gratiæ influxū quem à Christo fideles hauriunt, sicuti succum à vite palmites trahunt; sed non tenere in ipso ligno palmitis, vt eos humanum insensatum sit; sicut illud est. Alioqui Christus ipse sic quoque vera vitis erit, id est, similis veræ viti, quia gratiæ succum in palmites suos deriuat naturaliter, & per modum naturæ, sicut vitis facit. Cæterum sicut Christus ita est vitis vera, vt non per modum naturæ sed libera voluntate suas gratias palmitibus suis impertiat, quia *Spiritus ubi vult spirat, & cui vult miseretur*, & per electionem gratuitam omnia sua communicat; sic omnino credentes in Christum, & bene operantes per gratiam Christi, ita sunt palmites insiti Christo, & fructificantes in illo, vt non per modum naturæ operentur merè passiuè se habentes, nihilque quàm gratiæ influxum recipientes, sed propria actione Dei gratia vtantur, liberique arbitrij influxus cum diuinæ gratiæ influxu in omnibus bonis operibus concurrat, & cooperetur. Sic ergo sine Christo nihil facere possumus, vt cum ipso faciamus, adeoque multum fructum afferamus, faciamus, inquam, ipsi opere nostro. Ita *in bono opere multum restat nobis*, quia nos sumus qui facimus, & faciendo meremur; dicente paulò post Christo, *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea*: quæ verba quantum valeant, in sequentibus aperiam. Deo quoque *illibatum seruiamus quod suum est*, quia vim ac facultatem bene operandi, in hoc bonorum operum genere, gratiæ diuinæ & nouis viribus ab ea datis tribuimus. Sic & Deus totum facit, quia tales faciendi vites subministrat, vt sine eo nihil faciamus; & homo totum facit, quia viribus istis à Deo concessis naturali sua voluntate per gratiæ vires iam sanata ac roborata cooperatur. Ita Christi hanc sententiam nec extenuat, nec enervat, nec eludit Catholicorum doctrina, sed Christi mentem ac doctrinam penitus inuertit, enervat, atque eludit Calvinus.

Palmiti in vite quo sensu comparatur fidelis.

Ioh. 3.
Rom. 9.

9. *Manete in dilectione mea.*

Vnica electorum iustificatio refellitur.

Christus Dominus postquam variis argumentis (quæ in loco præcedenti enumerata sunt) discipulos suos hortatus esset, vt in ipso manerent, nunc expressius dicit, *Manete in dilectione mea*, id est, date operam, vt mea erga vos dilectio firma ac stabilis permaneat, neve eam culpa veltra amittatis. Non enim de dilectione qua discipuli Christi diligebant, sed de illa dilectione qua Christus eos dilexit, Christum in his verbis loqui, post D. August. luculentam expositionem, consentientem in hac parte habemus Caluicum, qui ad hæc verba in hunc modum scribit. *Quidam ita exponunt quod, Christus mutuum à discipulis amorem exigat. Melius alij, qui actiue accipiunt dilectionem Christi. Nam amore quo nos semel complexus est, vult nos perpetuo frui ac propterea cauendum esse admonet, ne nos eo priuemus. Multi enim oblatam sibi gratiam repudiant, multi abijciunt quod in manibus habebant. Ex quo itaque semel recepti sumus in Christi gratiam, videndum est ne inde culpa nostra excidamus.* Hortatur ergo discipulos suos Christus, & in illis nos omnes, vt iam dilecti à Deo, regenerati & iustificati per Christum, maneamus in illa dilectione qua Deus nos diligit, vt non excidamus à gratia accepta; denique operam demus ne nos ipsos nostra culpa ac negligentia tanto iustificationis accepto bono priuemus. Valent igitur hæc Christi verba tum contra fictitiam electorum fidem quæ amitti nõ potest, tum contra tantam Dei gratiæ efficaciam quæ omnem nostrum concursum & cooperationem excludit, quam vtramque Caluicus perpetuo docet. Ad prius enim quod attinet, ipsos suos Apostolos, qui haud dubiè electi erant, hortatur Christus, vt id agant, ne excidant à dilectione illa qua eos ipse dilexit, nec id ipsi aliquo terculamento, quasi reuera excidere nequeant, sed quia, vt ipse hic Caluinus fatetur, *Multi abijciunt quod in manibus habebant.* Ad posterius quod attinet, quum iubet eos manere, iubet eos id agere, id conari, id videre, ne sua culpa à gratia excidant. *Videndum* (inquit Caluicus) *ne semel in gratiam recepti, inde culpa nostra excidamus.* Est ergo aliquid in nobis positum, vnde id videamus & caueamus. Tamen si enim dilectio Dei, qua nos diligit, in nostra potestate non sit, sed in eius beneplacito qui diligit, tamen iubemur eam semel acceptâ conseruare, quia, vt eam conseruemus ille, qui nos diligit, facultatē & media illâ conseruandi

Cooperatio cum Dei gratia.

perpetuò subministrat, nisi nostra ipsorum culpa huiusmodi media subtrahantur. *Deus enim neminem deserit nisi deseratur, qui & desertores saepe conuertit.* Præcipitur igitur perseverantia, tamen si Dei donum est, tum quia qui stat, cadere potest, & *Dei dona sine pœnitentia quidem sunt*, quatenus Deum nunquam pœniter de donis suis, ut, quæ semel dedit, vellet se non dedisse, non sic tamen sine pœnitentia sunt, ut, quæ semel dedit, amitti nequeant, *nisi enim permanseris in bonitate, & tu excideris*; tum etiam quia si excidimus, nostra id culpa fit; quia rursum sine pœnitentia Dei dona sunt, quatenus per Deum non stat quo minus qui semel donum iustitiæ ab eo accepit, in eodem dono perseveranter maneat. Monet suum Titum Paulus, *Nemo te contemnat.* Sanè non est in potestate cuiusquam, ut ab aliis vel in honore vel despectui habeatur. Et tamen in potestate cuiusque Prælati est, ita se gerere, ut honore sit dignus, & à suis subditis meritò contemni nō debeat: quod illic Titum monuit Apostolus. Sic dilectio Dei erga nos in nostra potestate non est. Est tamen in potestate cuiuslibet in Christo regenerati, & iam à Deo dilecti, ita se gerere, ne sua culpa hac dilectione & gratia Dei priuetur. Accepit iam enim à Deo donum gratiæ, quod non nisi sua culpa ab eo auferetur; sicuti talenta Evangelica non nisi ab illo sublata sunt, qui ea *in sudario reposita oscitanter servavit.* Accerit, inquam, donum gratiæ quo Dei præcepta servaret (qui est bonus vsus talentorum) & per eorum observationem in Dei dilectione maneret, ut in verbis proximè sequentibus Christus luculenter docet: quæ idcirco mox tractabimus.

Interim corruptioni Calvinianæ occurrendum hîc est. Nam contra hoc posterius quod aduersus eius hæreses annotauimus (prius illud penitus dissimulans, posterius dissimulare non valens) ita disputat. *Quòd ex his verbis quidam inferunt nihil efficacie esse in gratia Dei, nisi adiuncta nostra constantia friuolum est.* Neque enim concedo, Spiritum à nobis tantum exigere quæ facultatis nostra sunt, sed ostendere quid fieri oporteat, ut si nobis desunt vires, aliunde petamus. Sicuti quum hîc ad perseverantiam nos hortatur Christus, minimè nostro Marte & industria nitendum est, sed rogādus ipse qui præcipit, ut nos in sua dilectione confirmet. Sententiam orthodoxam, quam impugnare contendit, non ponit integram, veram, ac plenam. Responsio quam adfert, partim est aut fallax aut falsa, partim imperfecta. Hæ eius artes sunt. Contra efficaciam gratiæ à Caluino positam, quæ omnem nostram

coope

August. de
nat. & gra-
c. 2. & ad
articu. sibi
falso impo-
artic. 6.

Rom. II.

Tit. 2.

Matth. 25.

Caluini
artes.

Efficax gratia non adiuuatur a nobis, sed nos ab illa.

Rom. 8.

1. Cor. 6.

cooperationem excludit, non hoc obiicitur, *nullam esse gratia efficaciam, nisi nostra constantia adiuuetur*, quum omnibus compertum sit, nostram constantiam seu perseuerantiam à gratia adiuuari, non illam à nobis; sed hoc merito obiicitur, ad perseuerandum in bono non solum efficacem Dei gratiam requiri, sed nostram quoque obedientiam, ut gratiæ ductum obsequenter sequamur: (*Qui enim Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt*) & *ut gratiam Dei in vacuum non recipiamus*. Vide ergo ut totam causam inuertat Calvinus. Dicente & sustinente eo gratiam à seipsa efficacem ita omne bonum opus ipsamque imprimis perseuerantiam operari in nobis, ut nulla sit ex parte nostra cooperatio, nullus liberi arbitrij cōcursus; aiunt Catholici, gratiæ quidem vires esse efficacissimas, sed huic efficacissimæ gratiæ humanam voluntatem liberrimè cooperari, quatenus, ut cooperetur, ab efficaci gratia efficaciter adiuuatur & hanc ob causam culpa nostra sæpe fieri, quòd gratia, quæ alioquin efficax esset, effectumque consequeretur suum, nostra negligentia inefficax fiat, nec in bono accepto perseueremus. Sic gratiæ efficaciam statuimus, sed liberæ volūtatis cooperationem adiungimus, quia ab ipsa gratia hæc adiuuatur, ut liberè cooperetur. Iam fingit Calvinus propter liberi arbitrij cooperationem omnem gratiæ efficaciam à nobis negari, & ipsam gratiam à nostra voluntate adiuuari. *Inferunt* (inquit) *nihil esse efficaciam in gratia Dei, nisi adiuuetur nostra constantia*. Unde cōtrarium asserunt Catholici, nullam esse nostram constantiam, nisi gratia Dei adiuuetur, & efficaciam in Dei gratia, non nullam ponunt, sed solam negant. Cæterum Calvinus cum veteribus Manichæis putat negari gratiam Dei si ponatur liberum arbitrium, sicut illis contrarij Pelagiani putabant negari liberum arbitrium si gratia Dei poneretur. Totam igitur sententiam quam voluit impugnare, ut ad expugnandum facilius esset, sensu contrario, peruerso, odioso, planèque falso, inuertit. Nunc quid respondeat expendamus. *Minimè* (inquit) *nostro Marte & industria nitendum est, sed rogādus ipse qui precipit, ut nos in dilectione confirmet*. Hæc responsio partim est aut fallax aut falsa, partim imperfecta. In eo fallax est aut falsa quòd ait *nostro Marte & industria non esse nitendum*. Aut enim his verbis intelligit, naturæ nostræ viribus absque Dei gratia non esse nitendum, & lectorem fallit, quasi hoc Catholici sentirent, quòd soli Pelagiani senserunt; aut negat libera nostra voluntate Deo esse cooperandum, & aliquid à nobis agendum, ac in vacuum

gratiam Dei accipiamus: atque ita non fallit tantum, sed & falsum narrat. Imperfecta eius responsio est, quod addit, *rogandum esse ipsum qui precipit, ut in sua nos dilectione conseruet.* Nam est hoc quidem maxime verum, sed non est hæc tota veritas. Non solum rogandus Deus est, ut in sua nos dilectione confirmet, sed etiam ad Dei dona in nobis conseruanda, quibus conseruatis confirmatur dilectio, Dei voluntati nostra voluntas conformanda est; Deo per suam gratiam cor eorum, quos iam diligit, incessanter mouenti, dirigenti, flectenti, obsequi & consentire liberum arbitrium debet. Quod contra Caluinum iuxta aperitissimas Scripturas luculenter Augustinus docuit. Quum enim multis Scripturarum exemplis docuisset iuberi quidem homini, ut ad Deum se conuertat, ut intelligat qua recta sunt, ut post concupiscentias suas non eat, & tamen pro his singulis rogandum Deum esse, iuxta alias Scripturas, *Conuerte nos Deus salutaris noster, Da mihi intellectum ut discam mandata tua; Quia nemo potest esse continens nisi Deus det, adij Dominum & deprecatus sum;* ideoque in his omnibus nihil aliud Deo dici, quam, *Da quod iubes,* ut intelligamus pro singulis rogandum esse Deum, nec nisi ex Dei munere Dei præcepta seruari posse; tamen ne in hoc precandi studio totum esse positum quisquam existimaret, prouidenter & sapienter idem clarissimus Doctor eodem in loco adiecit: *Non idè tamen de hac re solis uois agendum est, ut non subinferatur adnitendo etiam nostra efficacia voluntatis. Adiuutor enim noster Deus dicitur, nec adiuuari potest nisi qui aliquid sponte conatur, quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis in quorum natura rationem voluntatemq; non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis.* Hæc ille. Luculenter contra Caluinum docet, non solum rogandum esse Deum, sed etiam ex parte nostra *adnitendum esse*, id est, nostro Marte & industria adnitendum esse, quatenus nixus ille & conatus non vim aliquam aut facultatem naturalem à Dei gratia seiunctam, sed nostra voluntatis efficaciam, id est, cooperationem efficacem significat: quia uidelicet, ut Augustinus subiunxit, sic Deus agit & operatur in humana voluntate, ut in subiecto libero, ut in creatura rationali, quæ voluntatem habet & motum proprium; non ut in lapide, qui nullum motum proprium habet, sed mouetur tantum ab impellente & mouente eum: ideoque sic Deus operari dicitur in nobis, ut nos *adiuare* dicatur, & *adiutor noster* nuncupetur. Hic ergo vnus modus, hæc vna ratio est, cur manere in dilectione

Liberi arbitrii consensum & cooperatio.

Zach. 1.

1. sal. 91.

Sapient. 8.

1. sal. 76.

1. sal. 118.

Sapient. 8.

De peccator. & re-miss. lib. 2. cap. 5.

Gione Dei & perseverare iubeamur, quia etsi dilectio Dei in nos eiusque perseverantia gratuitum Dei donum sit, à nobis tamen accipitur, & à nobis conservatur, *nostra voluntatis efficacia* (ut Augustinus loquitur) concurrente, nostroque libero arbitrio cooperante; quod si deficit, dilectio Dei in nos nec à nobis accipitur, nec in nobis conservatur. Sed nunc alium modum magis particulatam magisque expressum conservandam in nobis dilectionis Dei Christus docebit. Sic enim precedentibus verbis subiungit.

10. *Si praecepta mea servaueritis, manebitis in dilectione mea; sicut ego Patris mei praecepta servavi, & maneo in dilectione eius.*

Nec in toto vix Evangelio vilis locus est, qui pro necessitate, virtute, & efficacia bonorum operum luculentius faciat; nec vix illum textum Evangelicum aut foedius depravavit, aut maiori impudètia tractavit Calvinus. Loci vni & verborum Christi sententiam totam ac plenam prius exponemus; corruptelis Calvini postea occurremus. Vult Christus his verbis unum medium, unam viam, ac rationem manendi in dilectione Dei suos discipulos docere; postquam ut in eius dilectione manerent, multis eos verbis variisque argumentis prius hortatus esset, ut ex duobus precedentibus locis patet. Attigitur: *Si praecepta mea servaueritis, manebitis in dilectione mea*: id est, ut in dilectione mea maneatis, ut ego vos perpetuò diligam, sicut hactenus dilexi, debetis mea praecepta servare; tum quia necessarium hoc est, tum quia hoc maxime modo & hac indubitata ratione, in mea dilectione manebitis. Et ne hæc conditio aut dura vobis aut incerta videatur, dura propter obligationem, incerta propter eventum; scitote me quoque propter hanc ipsam causam, & ex eadem conditione in Patris mei dilectione manere. *Sicut* (inquit) *ego Patris mei praecepta servavi, & maneo in dilectione eius.* Posset hic autem merito duplex quaestio suboriri. Una, quomodo ad Patris sui praecepta servanda Christus homo obligatus fuerit; altera, quomodo propter huiusmodi obedientiam Deus Pater eum perseveranter dilexit. Nam ad priorè quaestionem quod attinet, quum praecepta idè dantur, ut eum cui dantur, vel in officio contineant & coercant, unde septis in Scriptura comparantur (*Septius vineam meam*) vel ad rectè agendum dirigant, vel in studio virtutis exer-

Bonorum
operum ne-
cessitas &
efficacia
luculenter
à Christo
docetur.

Aut Christi
sui Patris
praecepta
obligabatur.
Esai. 7.

ceant

ceant atque perficiant, atque ita meriti ac mercedis capacem reddant, Christus autem nullo istorum indigerit, cuius videlicet & voluntas in bono indefectibilis, & intellectus omni scientia plenus erat, qui etiam ab instanti incarnationis suae perfectus ac beatus quoad animam fuit, videri potest eum propriè loquendo nullis præceptis obligatum & adstrictum fuisse, saltem circa ea quæ ad salutem nostram faciebant, sed omnia huiusmodi ex sola propria voluntate & dilectione generis humani ab eo præstita fuisse. Ad posteriorem quaestionem quod attinet, quum propter unionem hypostaticam Dei Patris in eum hominem dilectio immobiliter perseverans & indefectibilis esset, quomodo hic propter seruata Patris præcepta in Patris sui dilectione se manere asseuerat? Sed ad utramque quaestionem breuiter responderetur, valétque plurimum pro præsentis causa quod necessariò responderi oportet. Ad priorem respondeo, Christum hominem præcepta & mandata à Patre suo etiam circa ea quæ redemptionem humani generis concernebant, plurima accepisse, iuxta S. Augustini, Cyrilli Alexadrini, Ambrosij, & aliorum Patrum doctrinam, nõ quidem propter causas antè dictas, sed propter alias non minus graves. Primum, quia Deus Patris erga nos dilectio hoc modo luculentior apparuit, qui nostram salutem non solum permittere, aut ordinare, sed etiam sub præcepto Filio suo incarnato iniungere voluit. *Sic Deus dilexit mundum, ut unigenitum suum filium daret.* Deinde, quia Christo secundo Adamo conueniebat imprimis vt per obedientiam hominem repararet, sicuti per inobedientiam primus homo genus humanum perdidit. *Humiliauit semetipsum factus obediens Patri usque ad mortem.* Tum, ne in terris conuersatus nullis legibus subesse, aut legum præuaricator improbis Iudæis videretur: propter quod frequenter repetit, *Ego facio voluntatem Patris mei qui misit me.* Tandem, vt Christi exemplo discamus quantũ humana natura Deo subiici debeat ad obediendum mandatis eius, postquam filius eius naturalis obedire debuit. Sicut enim passus est exemplum nobis relinquens vt sequamur vestigia eius; sic & obediuit seruans mãdata Patris sui, exemplum nobis relinquens similis obedientiæ necessariò præstãdæ. Postremò, vt intelligeremus quanti Deus faciat præceptorum suorum diligentem & studiosam observationem, quàm strictè id exigat, quàm necessarium & efficacius medium id esse voluit, ad eius dilectionem perpetuò retinendam, postquam ipsi Christo præcepta dare voluit, &

*Præcepta
Dei quomodo
Christus
obligatus
Tract. 82.
in Ioan.
Lib. 10. c.
20. in Ioan.
Lib. 5. c. 6.
de fide.*

Ioan. 3.

Philip. 3.

Ioan. 4. 5.

propter illorum observationem suam erga Christum dilectionem firmam ac stabilem retinere. Quod postremum Christus in his verbis nos docuit: *Sicut ego præcepta Patris mei seruavi, & maneo in dilectione eius.*

Quomodo
propter o-
bedientiam
perseuerã-
ter Chri-
stus dile-
ctus à Deo
fuit.

Filij ado-
ptionis non
eo solo ti-
tulo ma-
nent in di-
lectiõne
Dei.

Ad posteriorem quæstionem respondeo, vnionem quidem hypostaticam vnã & primariam causam fuisse immobilis dilectionis diuinæ erga Christum hominem: aliam tamen eiusdem rei causam præterea fuisse Christi obedientiam, qua Patris sui præcepta seruauit, sicuti hoc loco disertè Christus profiteretur.

Quo in loco notandum diligenter (quia contra hæreticos valet plurimum) filios adoptionis, & per fidem insitos Christo, atque adeò ipsos electos, quales isti Apostoli erãt, tametsi ex illis titulis à Deo diligantur, maneantrque in dilectione Dei qua Deus eos diligit, tamen ad eandem dilectionis diuinæ erga eos perseuerantiam alium hunc titulum necessariò requiri, vt seruent mandata, dicente hìc Christo: *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea.* Hæc igitur vna conditiõ est manendi in dilectione Dei, siue propter quam à Deo diligimur, vt seruemus mandata eius. Hæc est vis & sententia huius loci attentè perpendenda, quia pro necessitate & efficacità bonorum operum ad salutem & iustificationem, adeoque ad perseuerantiæ donum conseruandum (quum tota salus ac iustitia nostra eiusque perseuerantia sit, *manere in dilectione Dei*, siue esse à Deo perpetuò dilectũ) inuictè valet.

Caluinus
primo la-
tuit vt
postea in-
tericiet.
Rom. 8.

Nunc quid ad hæc verba Calvinus disputet, & qua arte vtatur, videamus. Lætat primum lectorem, quasiq̃e dulci melle labia perfundit, vt postea incauto arque auido hauriendi venenum instillet suum. Lac eius & mel hoc est. *Modum perseuerantiæ Christus ostendit, si sequamur quò ipse vocat.* Nam, vt dicit Paulus, *Qui in Christo sunt, secundum spiritum ambulant, non secundum carnem.* Hæc enim inter se perpetuò sunt coniuncta, *fides & bona conscientia, vitæq̃; nouitas.* Et certè nõ reconciliat Christus Patri fideles, vt impunè lasciuiant, sed vt Spiritu suo ipsos gubernans sub Patris manu & imperio eos contineat. Vnde sequitur, *abijcere Christi amorem nisi qui vera obedientia probant se eius esse discipulos.* Hoc eius lac & mel est. hæc oratio honesta, tametsi à tota Christi sententia longè absit. Nunc venenum propinat. *Si quis obijciat, pendere igitur à nobis salutis nostræ firmitudinem, respondeo perperam trahi in illam partem Christi verba.* Vera Christi sententia, ab obedientia nostra & obseruatione mandatorum Dei pendere,

vt in Dei dilectione maneamus, non ponit salutis nostræ firmitudinem à nobis pendere, vt rem odiosis verbis narrat Calvinus; sed ponit salutis nostræ perseuerantiam ab operibus bonis pendere, quæ tamen nostra sunt, tamen Dei quoque opera in nobis sunt, ideòque quorum salus ab illis pendet, eorum salus non ab ipsis, sed ab operibus bonis pendet. Hæc autem duo plurimum differunt. Prohibet quippe Scriptura confidere aut gloriari in seipso: non prohibet confidere in bonis operibus, aut gloriari in Domino: quod vtramque Paulus fecit, quum diceret, *Bonum certamen certavi, cursum consummaui, fidem seruaui, &c.* Ita semper vestrè & odiosè, nunquam sincerè & candidè, quæ sibi ex parte veritatis Catholicæ obicit, proponit Calvinus. Videamus tamen ad objectionem ipsam quid respòdeat, & quare ad huiusmodi sensum Christi verba perperam trahi affirmet. *Quia* (inquit) *obedientia, quam illi præstant fideles, non tam causa est, cur suum erga eos amorem continuet quàm amoris effectus. Vnde enim fit, vt vocatibni sua respondeant, nisi quia Spiritu gratuite adoptionis aguntur?* Aduerte, lector, hominis imposturam, pariterque impietatem. Impostura hæc est, obedientiam mandatorum (tàmetsi ille ab hoc verbo abhorreat, nec semel hoc loco nominet, Christi disertà verba & Euangeliũ erubescens) quia amoris diuini effectus est, ideò nõ esse causam cur amorem suum Deus continuet. At quis non videt etiam in humana amicitia beneficij accepti gratitudinem, & amoris impensum effectum esse, & eiusdem adhuc magis impendendi causam esse, quando qui beneficium impensum grater accepit, amicum prouocat, vt magis benefaciat? Sed vt in diuinæ dilectionis materia maneamus, in illo seruo bono & fideli cui dictum est, *Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te conseruam*, nõne serui fidelitas tum diuini amoris effectus, (ex Dei quippe gratia illa pauca accepit, ipsiſque paucis fideliter vsus est) tum maioris amoris causa erat? Sic nimirum charitas meretur augeti, vt aucta mereatur perfici. Bona opera sunt ex Spiritu gratiæ, & bonis operibus Spiritus gratiæ conseruatur. Præcepta seruantur ex dilectione Dei, & obseruatio præceptorum dilectionem Dei conseruat. De Sapientia dicitur, *Ne dimittas eam, & custodiet te; dilige eam, & conseruabit te.* Quòd quis non dimittit sapientiam quam nactus est, sed diligit eam, ipsius sapientiæ effectus est. At quum eadem sapientia suos dilectores cõseruat, conseruata sapientiæ causa eadem sapientia est. Corpus calidum calefacit

Gloriari in seipso non licet, in bono operibus licet.

Obedientia mandatorum diuini amoris effectus est. tum causa.

Matt. 25.

Sap. 4.

vestimenta quibus induitur, & induta vestimēta corporis calorem seruant. Hic vestimentorum calor & effectus est & causa corporis calidi. Frustra igitur & vane Calvinus obedientiam mandatorum causam conseruatæ dilectionis Dei esse negat, quia eiusdem dilectionis effectus est.

Calvinus
Christo con-
tradicit.

Hæc eius impostura est. Nunc impietatem vide. Christo aperte contradicit. Dicente enim Christo. *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea*, quod est aperte dicere, præceptorū meorum obseruatio causa erit, propter quam & per quam mea dilectio in vobis continuabitur, contra dicit Calvinus, affirmans, *obedientiam nostram non esse causam cur suum in nos amorem Deus continuet*. At & alia Scriptura hoc eum docere potuit, qua dicitur: *Si volueris mandata seruire, conseruabūt te*: vbi salutis nostræ custodia & firmitudo, mandatorum obseruationi, vt vni causæ ac medio, tribuitur.

Eccles. 15.

Obedien-
tiam mā-
datorum
non esse
necessaria
suadet Cal-
uinus.

Corrupta semel Christi sententia, & persuaso leuatore obseruationem mandatorū nullam esse causam cōtinuati amoris diuini, & efficacia ac virtute obedientiæ nostræ sublatæ; quia tamen supererat, saltem conditionis cuiusdam & necessitatis vim hæc verba continere, *Si præcepta mea seruaueritis*, nec hanc conditionem admittit Calvinus, sed Christi verba ab illo quoque sensu diuellere, & ea adhuc iterum corrumpere contendit. Mouer igitur aliam difficultatem. *Sed videtur* (inquit) *nimis ardua conditio nobis imponi, ut Christi præcepta seruemus, quibus continetur exacta iustitiæ perfectio, qua modum nostrum longè superat. Nam inde conficitur, irritum fore amorem Christi, nisi Angelica puritate præditi simus.*

Obedien-
tiæ perfe-
ctæ qua
frange fit-
gitur.

Hanc sibi difficultatem Calvinus mouet ex suæ hæreticæ doctrinæ principiis. Ponit enim mandata Dei secundum exactam iustitiæ perfectionem, qua modum nostrum longè superat, obseruanda esse, idque adeo, ut Angelica puritate præditi esse debeamus. Quo posito, quum Dei mandata omnino sic obseruari non posse consequenter docuerit, concludit statim, ad eorum obseruationem neminem obligari. Qua in re perinde facit atque improbus aliquis & proteruus seruus, qui domini sui mandatum exequi volens, illud sibi impossibile factum esse obmutimuret: quod ille seruus nequam in Euangelio, domini sui talenta in sudario abscondens, fecit, dicens: *Tenui te, quia homo austerus es*. Timebat ad opus manum ad mouere, quia rigidam exactorem Deum sibi fingebat, qui (vt Calvinus hic loquitur) exactam illam iustitiæ perfectionem postularet, qua modum suum longè superaret. Nam & hoc

Luc. 19.

Calvinus
seruus no-

significat nequam iste & piger seruus adiciens, *Tollis quod quam in*
non posuisti, & metis ubi non seminasti; id est, ram rigidus ex- *Euangelio.*
 actor es, ut ubi non das auxilium, exigas lucrum; quod hu-
 mana non potest infirmitas, hoc in precepto ponas; denique
 ut ab homine immundo Angelicam puritatem flagites. Hæc
 est profus Caluini hoc loco oratio: hæc eius, quam sibi
 proposuit, dubitatio, quam ille pro iusta & vera admittens,
 vide quid respondeat. *Solutio* (inquit) *facilis est.* Nam *quam*
de studio rectè sanctèque viuendi agit Christus, quod in sua
doctrina præcipuum est caput minime excludit, nempe de gra-
uita iustitiæ imputatione, quæ sit ut per indulgentiam venie-
Deo placeant nostræ officia, quæ multas per se & impura reuel-
merentur. *Consentit itaque fideles seruare Christi præcepta*
quam huc suam studium applicant, etiam si longè à meta dis-
sunt, quia soluti sunt ab illo rigore legis, Maleficus omnis quis
non impleuerit omnia, &c. Hæc Caluinus hoc loco. Habe-
 mus verborum Christi affectum & studiosam corrupte-
 lam, & pertinaciæ hereticæ illustrè exemplum. *Dilectus ver-*
bis affirmat Christus: Si præcepta mea seraueris, mane-
bitis in dilectione mea: & tẽm confirmat ex proph. iho, Sicut
ego Patris mei præcepta seruaui, & tunc in dilectione eius.
 Hic Caluinus primum cauillatur præceptorum obseruatio-
 nem non esse causam cur in dilectione Dei maneamus, quia
 est dilectionis iunior effectus. Deinde nec esse conditionem
 necessariam seruare præcepta, quia seruari non possunt;
 quemadmodum ea seruari Deus vult. Postea non debere hæc
 Christi verba præiudicare grauitate iustitiæ imputationis, quæ
 caput doctrinæ eius est: id est, non debere aperta Christi ver-
 banouella Caluini & suorum imputationis iustitiæ præiudi-
 care, quam nec vlla Scriptura loquitur nec ante hanc ætatem
 Ecclesiã audiuit. Ita suis placuit Christi verba subicere, &
 ad eorum sensum Christi verba in hætere, imò obrotro col-
 lo controuertere Caluinus: autec. Aut huic pertinaciæ & impie-
 tati aliquid addi potest? Tandem ipsa Christi verba de textu
 sacro extrudis, & sua ipsorũ loco in sublimi ponit. Dixit Chri-
 stus: *Si præcepta mea seraueris.* Non est ita dicendum, ait
 Caluinus, sed hoc modo: *Si ad seruanda præcepta mea studium* *In Com-*
uestrum applicaueris, etiam si longè à meta distetis, id est, etiã *ment ad*
si de facto nulla serueris. Sic enim in Epistola ad Rom. ho- *Rom. cap.*
 minem iustam in persona Pauli statuit, qui *præsto quidem est,* *7. ver. 19.*
suas membra exhibere studet ad præstandam Deo obsequium,
quæ verè impar facultas est, non reperit quod oblandum erat,

nempe boni desiderij effectum. Hęc ille ibi. Tamen hęc, vt lecto-
 ri fucum faciat, aliud longè à meta distare, alia ratione confir-
 mat, quia seruari nō possunt omnia. Quia (inquit) soluti sumus
 ab illo rigore legis, *Maledictus omnis qui non impleuerit omnia,*
&c. Quorum verborū germanum sensum, suo loco (vita co-
 mite) docebimus. Stando igitur in hoc sensu, Christi verba, *Si*
præcepta mea seruaueritis, iuxta Calvinū sic reformanda sunt:
Si ad seruanda præcepta mea studium applicaueritis, etiam si
longè à meta distetis, id est, etiam si omnia seruare non possitis,
quæ tamen omnia & quidem iuxta exactā iustitiæ perfectionem
seruari volo, manebitis in dilectione mea. An non hæc pulchra
 reformatio est & correctio egregia? Eius summa turpitude
 in alia consimili apparebit. Ponamus patrem ira filium allo-
 quentem: Si decem hæc mea præcepta perfeceris, id est, si ad
 ea perficienda aliquo studio incubueris, quia omnia te scio
 præstare nō posse, & tamen omnia exactissimè præstari volo,
 manebis in iure hæreditatis paternæ: sin minus, excides ab
 eo. Quis non videt huiusmodi patrem filio suo illudere, & eum
 exhæredandi futilem occasionem quærere? Quorsum enim
 præcipit seruare omnia, eaque exactissimè, qui neutrum fieri
 posse ne quidem cum auxilio paternæ gratiæ cognoscit? Aut
 quare seruari iubet, & non nisi studium seruandi intendit?
 Quod vt in causa præsentī quàm absurdum sit ostendam, hoc
 dilemma Calvinistis propono: Hoc studium seruandi man-
 data, quod loco obseruationis realis, quæ Scriptura loquitur,
 adinuenistis, aut ex Deo est, & solius Dei opus in homine re-
 generato (vt de operibus gratiæ Calvinus semper loquitur)
 aut est opus ex solis naturæ viribus profectum. Si prius, quàm
 est absurdum Deum solum studium bene agendi in homine
 operari, non ipsas actiones bonas, ipsas tamen actiones in
 mandato ponere? Aut quid impedit quo minus actualem le-
 gis impletionem, eamque perfectissimā, Spiritus S. operetur
 in cordibus filiorum Dei, non secus quàm studiū bene ope-
 randi, postquā, quicquid ab illis bene fit, ille solus totum ope-
 ratur? Imò qua æquitate hoc totū in illis non operatur, post-
 quam hoc totum lex ipsius ab homine postulat? Si posterius,
 tota igitur hominis regenerati renouatio, tota vitæ nouitas
 (nam in studio hoc bene agendi illa tota consistit) erit opus
 merè humanum, & ex naturæ viribus profectum, non opus
 gratiæ. Hoc dilemma soluat qui potest Calvinista. Iam verò
 si præcepta Christi seruate nihil aliud hoc loco significat,
 quàm studium applicare vt ea seruentur, quæro an in sequen-
 tibus

Verborum
 Christi re-
 formatio
 Calvinia-
 na.

Studium
 seruandi
 mandata
 inefficax
 refellitur.

Alia re-
 futatio.

tibus verbis, *Sicut ego Patris mei praecepta seruaui*, eadem quoque glossa sit admittenda. Si admittenda, ergo Christus Patris sui praecepta verè non seruauit, sed studium suum tantùm impendit vt ea seruaret. Si non admittenda, sed vt apertè blasphema penitus reprobanda est, quomodo ad sui exempli imitationem Discipulos suos Christus prouocat? Quae similitudo, quae inductio illa est, *Seruate vos sicut ego seruaui*, ego quidem verè, vos autem non verè? ego actu ipso, vos non nisi desiderio & studio, eoque inani? An quia similitudo ista per omnia aequalis non est, propterea nulla penitus est, aut propterea falsa est? Dixit paulò antè Christus: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos*. An quia dilectio nostra infra Christi dilectionem plurimum subsidit, propterea nostra nulla dilectio erit, sed studium quoddam & desiderium diligendi inane atque inefficax, veròque proximi odio admixtum, sicuti omnia regeneratorum bona opera peccato admixta, *magisq; probrum quàm laudem perpetuò mereri, & peccatis magis quàm virtutibus accensenda*, alibi Calu. nus affirmat? Sanè aut ita erit, aut hoc quoque in loco non seruandi studium à Caluino constitutum, sed ipsa mandatorum Christi vera & actualis obseruatio, qualem Christus circa Patris sui mandata exercuit, in his Christi verbis necessariò intelligenda est. Ita vndique Caluini impietas, impostura, pertinacia retunditur. Prolixius paulò huic loco incubui, quia ad impiam hodie haereticorum de sola fide & impuratiua iustitia sententiam penitus profigendam, bonorumque operum certam necessitatem & fructum amplissimum solidè stabilendum, illustris ac pernecessarius hic locus est.

Institut.
lib. 3. c. 17.
num. 3.

14. *Vos amici mei estis, si feceritis qua ego praecipio vobis.*

Est hic alius & perspicuus locus, quo mandatorum Dei obseruatio medium esse quoddam ad Dei in nos amicitiam ac dilectionem conseruandam docetur. *Si feceritis qua praecipio* (ait Christus) *estis amici mei*. Mandata mea facere, maximè hoc mandatum meum *vt diligatis inuicem sicut dilexi vos*, (de eo enim in praecedentibus verbis loquutus fuerar) res est mihi tam grata, tam accepta, tanti apud me pretij ac momenti, vt hoc nomine inter amicos meos vos recenseam, & hac maxima dignitate vos afficiam.

Mandatorum obedientia medium ad salutem necessarium.

Iob. 1.
Iudith. 8.
Exod. 33.
Luc. 12.

Sic Abraham offerens filium suum super altare, quod Deus ei præceperat, *amicus Dei appellatus est*, vt deducit D. Iacobus, & per multas tribulationes probatus, *Dei amicus effectus est*, dixit Sancta Iudith. Sic quia Moyses fecit ea quæ præcepit ei Deus, per multas quoque tribulationes probatus, *loquutus est ei Deus facie ad faciem*, sicut solet homo loqui ad amicum suum. Nec secus in Euangelio, *Dico vobis amicis meis, ne timeamini ab his qui occidunt corpus*, &c. Tanta enim & tam firma voluntate Dei præcepta facere, vt ne illa violentur, quoduis etiam capitis discrimen adire non vereantur, proprium est amicis Christi. Docet igitur & hæc sententia, mandatorum Dei obseruationem tantam vim habere, vt amicum Dei constituat, & eximiam ac stabilem Dei dilectionem conciliet. Amicum quippe esse, nec vulgarem nec leuem, sed præcellentem & constantem beneuolentiam designat.

Caluini ca-
uilla cõtra
Christum.

Sed hanc tantam obedientiæ nostræ & bonorum operum commendationem æquis oculis legere Caluinus non potuit. Quare sui veneni aliquid aspergendum censuit. *Non intelligit* (inquit) *tantum nos honoris proprio aliquo merito consequi*. Atqui hæc ipsa Christi verba clarissimè sonant; nisi vel seruare Dei præcepta opus proprium eius non sit qui ea seruat, vel propter huiusmodi obseruationem in Dei amicitiam recipi, talis honoris meritum & præmium non designat: quorum neutrum nisi impudentissimè negari potest. Sed age: Si hoc non intelligit Christus, quid tandem intelligit? *Tantum admonet* (ait Caluinus) *qua lege nos in gratiam recipiat, & censere inter amicos suos dignetur*; quemadmodum nuper dixit, *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea*. Atqui tam illa verba quæ nuper dixerat, nosque latè tractauimus, quàm hæc præsentia, non id tantum docent, *qua lege nos inter amicos suos Deus censet*; id est, non tantum seruandi præcepta necessitatem docent (quod vnum & solum contra Caluinum sufficit, qui necessitatem seruandi præcepta perpetuò negans, hoc tamen loco profiteri id velle videtur) sed hoc præterea docent, mandatorum obseruationem medium esse vtile & efficacax ad Dei in nos dilectionem continuandam, vt firmam nobiscum ac stabilem amicitiam Deus teneat.

Obiectio.
Solutio.

Dixerit aliquis: Si obseruationis mandatorum saltem legem & necessitatem Caluinus hoc loco agnoscit, non est eius exagitanda sententia; quando in eum sensum verba Christi verè & commodè exponi possint. Est quidem ita, vt solam necessitatem faciendi præcepta his Christi verbis significari proba-

probabiliter dici possit. Sed neque tota hæc Christi sententia est, vt iam explicuimus; nec Calvinus hoc ipsum quod dicere videtur, verè dicit. Non, inquam, verè agnoscit hac lege nos inter amicos Dei censeri si præcepta eius seruamus, tum quia ad superiora illa verba, *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea*, lectorem remittit, vbi quibus technis & imposturis vsus sit, & quomodo omnem hæc necessitatem seruandi mandata sustulerit, explicatum dedimus; tum quia in sequentibus ita profequitur. *Apparuit enim gratia Seruatoris Dei, erudiens nos vt abnegata impietate & mundanis desideriis, castè, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo. Profani autem homines, qui impio Euangelij contemptu aduersus Christum lasciuunt, eius amicitia renunciant.* Hic verba Apostoli opportunè lanè & appositè protulit; vt legem illam amicitia diuinæ probaret, seruare mandata Dei, castè, iustè, ac piè viuere. Sed clausula subsequens mentem Caluini sectatoribus eius talem aperuit, quæ omnem hanc sobritè, iustè, ac piè viuendi necessitatem sustulit. *Et ita enim amicitia Dei renunciare, qui impio Euangelij contemptu aduersus Christum lasciuunt; id est, qui facere mādāta impiè contemnunt; qui ad illud profundum venerunt, de quo Sapiens dixit, Impius, quum in profundum venerit, contemnit.* Calvinus enim (vt in præcedenti sententia aliiſque multis in locis tam ille docet quàm nos annotauimus) studium quidem & desiderium seruandi mandata agnoscit, & hoc homini regenerato sufficere vult (quia ipsa præcepta iuxta Dei voluntatem verè de facto, vt ille censet, impleri non possunt) vt aliquo semper studio obediendi ac reuerentia mandatorum Dei teneatur, nec legem contemnat, aut eius doctrinam repudiet. Propterea dixit: *Qui impio contemptu lasciuunt.* Non dixit, quod dicere debuit, *Qui mandata Dei transgrediuntur, qui præcepta non seruant, quo dicendi modo Christus vsus est.* Multi quippe absque contemptu Euangelij non obediunt Euangelio, qui videlicet, *concupiscentiis suis allekti & attracti, legem violant, qui remissas manus, & soluta genua habentes, per negligentiam & oscitantiam, legem non seruant, qui denique per huius mundi cupiditates verbum Euangelij suffocant.* Impius Euangelij contemptus profundum malorum est, quod multa alia mala scelera, flagitia præcedunt, propter quæ amicitia Dei renunciatur, dicente Scriptura: *Qui vult amicus esse huius seculi, inimicus Dei constituitur.* Se iuxta Calvinum præcepta Dei seruat, & amicus Dei est, qui studium bene agendi

Obedientia necessitate visus docere Caluinus, nō docet.

Prover. 17.

Lex absque contemptu violatur.

Iac. 1.

Heb. 12.

Luc. 8.

Iac. 4.

habet, & hoc solo Euangelij contemptu caret. Hæc eius hoc loco corruptela est, sic sententiam Christi saluberrimam & maxima consolatione plenam contaminavit.

16. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.*

*Voluntatis
humana
cum Dei
gratia coo-
peratio.*

T Axat hoc loco Catholicam doctrinam Calvinus de voluntatis humanæ ad suam salutem libera cooperatione, quasi illa cum gratuita Dei electione stare non posset. Vulgo (inquit) *mutuum quendam concursum fingunt diuina gratia & humana voluntatis. Sed ista antithesis, Ego vos elegi, non sum à vobis electus, in solidum vni Christo vindicat, quod inter ipsum & hominem partiri solent, ac si dictum esset, non sponte moueri hominem ad quærendum Christum, donec quæsitus fuerit.* Hoc vltimum quod Calvinus ponit, totam eius præcedentem caillationem subuertit. Verissimum enim est, hominem non moueri ad quærendum Christum nec sponte, nec aliter, donec quæsitus à Christo fuerit, id est, donec Christi gratia eum præuenierit in benedictionibus. Et de hac præueniente gratia Christus dixit, *Nō vos me elegistis, sed ego elegi vos*, siue de vocatione ad Apostolatam (de qua proprie Christum loqui Calvinus ipse agnoscit) siue de communi piorum electione, qua in filios Dei adoptantur, hæc verba intelligas. Atqui in præuenienti gratia, quatenus præueniens est, humanæ voluntatis concursus non ponunt Catholici, eam in solidum soli Christo tribuunt: eam inter Christum & hominem non partiuntur. Quando autem hanc præuenientem & præoperantem gratiam homo accipit, vt quem Deus vocat, ille iustificetur, tunc sanè humana voluntas cum diuina gratia concurrat, & iustificatio ipsa, omnisque actus bonus credendi, sperandi, diligendi ab vtroque perficitur, à diuina gratia & voluntate humana. Totum hoc quod diximus, D. Augustinus gratuita electionis Dei assertor maximus, hæc ipsa Christi verba pertractans, luculenter docet. *Ipsi proculdubio Apostoli elegerunt Christum quando crediderunt in eum. Unde non ob aliud dicit, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, nisi quia non elegerunt eum vt eligeret eos, sed vt eligerent eum, ipse elegit eos: quia misericordia eius præuenit eos secundum gratiam, non secundum debitum.* Vtrumque docet Augustinus, cum ex præuenienti gratia Christum eos elegisse, vbi solus Christus elegit, tum Apostolos postea Christum elegisse credendo in Christum. In quo actu credendi non solus Chri-

*De præ-
dest. sanct.
cap. 17.*

Christus, solâve Dei gratia, sed ipsa quoque eorum libera voluntas concurrebat. Vnde in eodem opere scripsit Augu- *Ibidem*
stinus. *Vtrumque nostrum est (credere & bene operari) propter* cap. 3.
arbitrium voluntatis, & vtrumque tamen datum est per spiri-
tum fidei & charitatis. Concursum igitur voluntatis hu-
manæ cum diuina gratia Calvinus ex hoc loco vel Catho-
licæ sententiæ ignarus imprudenter, vel eius bene conscius
impudenter negauit.

IN IOANNIS CAP. XVI.

2. *Absque Synagogis facient vos.*

QUOD Apostolis Christus prædixit, fore ut à Scri-
bis & Phariseis Synagogæ Iudaicæ præfectis è Sy-
nagogis eicerentur, & excommunicationis infamiam subirent, qua tamen iniuria nihil commo-
ueri debeant; hoc Calvinus se ac suos ab Ecclesiæ Christia-
næ Præpositis & passos esse, & similiter contempere debere
arbitratus, longa oratione ad totius Ecclesiasticæ excom-
municationis contemptum suos adhortatur. Quàm id ridi-
culè ac præposterè faciat, paucis exponam. *Hinc (inquit)* *Stolidis*
colligimus, Euangelij ministros non tantum à professis fidei *Caluini*
hostibus malè tractari, sed etiam summa ignominia interdum *disputatio*
affici apud eos qui domestici Ecclesiæ videntur, imò etiam co- *pro contem-*
lumna. Scriba & Sacerdotes, à quibus damnati fuerunt Apo- *ptu excom-*
stoli, diuinitus se constitutos esse Ecclesiæ iudicos iactabant, & *municatio*
certè penes ipsos erat ordinarium Ecclesiæ regimen, & functio *nis. Ponti-*
iudicandi à Deo erat, non ab hominibus: verùm sua tyranni- *ficia.*
de totum ordinem à Deo institutum corruperant. Ita fiebat ut
potestas, quæ in adificationem illis concessa fuerat, nihil aliud
esset quàm immanis seruatorum Dei oppressio: excommunicatio,
quæ medicina esse debuerat purganda Ecclesiæ, ad pietatem in-
de exterminandam conuersa foret. Id quum iam suo seculo ex-
perti fuerint Apostoli, non est quòd nos hodie magnopere terreât
Papa anathemata, quibus in nos propter Euangelij testimoniū
fulminat. Neque enim timendum est ne plus nobis noceât quàm
vetera illa Apostolis, imò nihil magis optandum quàm ut alieni
simus ab eo cœtu à quo Christus exulat. Hæc ille. Pulchra &
magna animaduersione digna miseris Caluinistis hæc Cal-
uini oratio visa est. Vnde & hanc totam in Ecclesiasticam

(quam vocat) atque Catholicam suam novi testamenti expositionem, sicuti & cætera ferè omnia à nobis hæctenus referata, coniecit Augustinus Marloratus. Sed quam sit inepta & omni expunctione digna, paucis docebo. Nempe in toto orationis suæ cardine ac fundamento turpissimè errat. *Certè (inquit) penes Scribas & sacerdotes erat ordinarium Ecclesiæ regimen, & functio iudicandi à Deo erat, non ab hominibus.* Iam in huiusmodi regiminis & functionis abusu tota reliqua oratio versatur. At in altero horum planè impia ac cæca oratio est, in altero inepta. Cæcus planè Calvinus quadamque vertigine percussus fuit, quum penes Scribas ac Phariseos, quando Apostolos persequebantur, ordinarium Ecclesiæ regimen, & functionem iudicandi à Deo datam extitisse affirmat. Quid enim? An Euangelio per Apostolos iam propagari cœpto, ordinarium Ecclesiæ regimen penes Scribas ac Phariseos perdurabat? An sic Iudæus aut malus Christianus Calvinus est, vt prædicantibus Apostolis aliud ordinarium Ecclesiæ regimen aut aliam iudicandi functionem in mundo agnoscat quam ipsorum Apostolorum & Seniorum? Quando igitur Scribæ Apostolos prædicantes Euangelium (Christo in cælos assumpto, de quo tempore Christum hic loqui nemo dubitare potest) persequebantur, & extra Synagogas suas eiiciebant, nos Christiani penes solos Apostolos aliòsque Seniores ac Presbyteros ad hoc munus assumptos, ordinarium Ecclesiæ regimen & iudicandi functionem fuisse credimus. An aliud credidit Calvinus? Quo tempore Scribæ & Pharisei Apostolos & omnes Christum prædicantes extra Synagogas suas eiiciebant, eodem tempore Petrus Simonem magum, Paulus fornicarium Corinthium, Hymenæum & Alexandrum excommunicabant, & extra conuentus Christianos eiiciebant. Rogo Calvinistas qui pro Caluino respondeant, penes quos tunc erat ordinarium Ecclesiæ regimen, illòsne Scribas, an hos Apostolos? Quis nisi cæcus & impius penes hos tantum, nos penes illos, ordinarium Ecclesiæ regimen & totam illam iudicandi functionem fuisse profitebitur? Cæcus igitur & impius Calvinus qui *nesciens quid loquatur, neque de quibus affirmat* (quam propriam esse eorù pœnam qui *volunt esse legis Doctores*, & non sunt, Paulus adnotauit) profiteretur penes Scribas & Phariseos ordinarium fuisse Ecclesiæ regimen, quando Apostolos Euangelium prædicantes à Synagogis suis eiiciebāt. Hęc quum ita sint, tota eius cõparatio, totaq; reliqua oratio suadèus concidit *Non est timendū* (inquit)

Caluini
cæcus.

Synagoga
casus pro-
pagato
Euangelio

Act. 8.
1. Cor. 5.
1. Tim. 1.

1. Tim. 1.

(inquit Calvinus) *ne plus nobis nocent Papa anathemata, quam vetera illa Scribarum anathemata Apostolis.* Quare verò? Quia penes Scribas erat tunc ordinarium Ecclesiæ regimen, sicut hodie penes Papam. Sic dum seipsum ac suos Apostolis, Papam Scribis ac Phariseis comparare vult, non vider cæcus quòd Apostolos omni auctoritate, quam à Christo acceperunt, spoliat; & Scribas & Phariseos iamdudum veteri auctoritate spoliatos, quum scisso templi velo tota templi dignitas dissecta iacuit, in integrum restituit. Si enim adhuc ordinarium Ecclesiæ regimen penes illos erat, profectò penes Apostolos non erat; quum duas simul Ecclesias, quarum utraque ordinarium regimen & iudicandi functionem à Deo concessam haberet, & altera alteram indefinenter persequeretur, Deum in terris habere; tam impium ac portentosum sit, ut de ea re vel cogitare extremæ dementiæ ac stultitiæ vanissimæ esse nemo dubitet.

Ex quibus etiam conficitur, nec Apostolos ab illis persecutionem passos fuisse, penes quos ordinarium Ecclesiæ regimen, aut vlla iudicandi in rebus fidei functio à Deo concessa erat; sed vel à Iudæis, quorum iam Synagogæ omni Ecclesiastico regimine & iudicandi functione exciderant; vel ab Ethnicis Principibus, qui à publicis etiam conuentibus Christianos arcebant; nec Calvinum ac Calvinistas, quando à Papa excommunicatur, ab alia quàm à vera Ecclesia excommunicari. Ab illa quippe excommunicantur, confitente Caluino, quæ ordinarium Ecclesiæ regimen habet, & iudicandi functionem à Deo concessam. Alioqui eius comparatio non subsistit. Conficitur quoque, Calvinistas ad Ecclesiam non pertinere, quum nisi vna in terris Ecclesia sit, penes quam ordinarium regimen, & iudicandi functio in causa fidei à Deo concessa reperitur; illam verò penes Papam esse Calvinus ponit. Hoc enim posito, probare contendit posse innocentes à vera Ecclesia propter Evangelij testimonium excommunicari, sicuti Apostoli à Scribis & Phariseis excommunicati sunt, quum ordinarium Ecclesiæ regimen penes illos Scribas ac Phariseos esset.

Quis non videt quantis se absurdis cæcus hæreticus implicauit? 1. Posuit in Scribis ac Phariseis propagato iam Evangelio ordinarium Ecclesiæ regimen, & functionem iudicandi à Deo concessam. 2. Consequenter Apostolos tota illa auctoritate spoliavit. 3. Posuit in Papa nunc ordinarium esse Ecclesiæ regimen, & functionem iudicandi à Deo concessam.

Calvinum à vera Ecclesia excommunicatum fuisse, ex ipso probatur Caluino.

Asinina Caluini stupiditas.

1.
2.
3.

4. 4. Consequenter seipsum ac socios suos extra Ecclesiæ fines constituit, & non nisi à vera Ecclesia excommunicatos fuisse (quum nisi vna in terris Ecclesia tali potestate prædita sit) demonstrat. Ita aded intentum suum non probavit de contemnenda Papæ excommunicatione exemplo Apostolorum, quum illi non à veræ Ecclesiæ magistris, sed à deiectæ Synagogæ præfectis excommunicarentur, vt planè contrarium ostenderit. Quum enim Ecclesia in quæstione fidei errare nõ possit, ideoque quos illi pro hæreticis excommunicant, penes quos ordinarium Ecclesiæ regimen est, & iudicandi functio à Deo data, indubitanter pro huiusmodi habendi sint; necessariò sequitur, Calvinum, qui se à Papa excommunicatum, & penes Papam ordinarium esse Ecclesiæ regimen, & iudicandi functionem à Deo datam, libero ore profitetur, prorsus pro hæretico habendum esse. Ita Calvinus vt propriissimè hæreticus, *proprio iudicio condemnatus est*. Annon pulchre suam & suorum causam egit? Est postremò ineptia ac dementia plenum, quòd supponit *propter Euangelij testimonium* se ac suos excommunicari, & in eo cœtu, *penes quem ordinarium Ecclesiæ regimen, ac iudicandi functio à Deo data est, Christum exulare*: quando in eo solo cœtu Christus regnat cui hoc ordinarium regimen, & hanc functionem concessit; *nec propter Euangelij testimonium*, sed propter Euangelicæ doctrinæ innumeras corruptelas (quod vel hæc Antidota nostra luculenter docebunt) Calvinus cum tota secta sua optimo iure anathematis fulmine percussus fuerit.

Calvinus proprio iudicio hæreticus condemnatus. Tit. 30

Persecutio Anglicana.

Cæterum docet hic locus, non Apostolos tantum à Scribis & Phariseis, sed & eorum successores atque in vniuersum fideles orthodoxos tam ab Ethnicis Principibus multa passuros, quàm à lupis & latronibus, nouorum dogmatum Magistris, qui gregem inuadunt, & cathedram contra cathedram erigunt, excommunicationis sententiam laturos: quod nostra hodie Anglia abundè docuit, vbi pseudoepiscopi, & eorundem ministri, censuræ Ecclesiasticæ inuasores & simiæ, non sacerdotes tantum, sed & laicos nobiles extra Synagogam faciunt, excommunicant, & extremis tandem suppliciis, nisi mature sibi consulant, tradunt. Quorum è numero quum ante annos iam vndertriginta pater meus D. Gulielmus Scapletonus esset, à Barloo Cicestrensi pseudoepiscopo solemniter excommunicatus, eò quòd sacrilegiis Calvinianis ac Cæcilianis interesse nollet, diuino Spiritu ductus, patria & ampla fortuna relicta, bonisque tandem hæreditariis fisco addictis spoliatus, volan

voluntarium exilium subiit; quo vndecim annis tolerato, & summa pietate exacto, feliciter in Domino (me oculos eius claudente) obdormiuit. Quod totum partim ad Dei gloriã, partim ad optimi patris mei memoriam hic recolo, qui ab ineunte ætate vsque ad maturam in bonis studiis domi forsque (vt Catholicæ Ecclesiæ seruirem) maximis suis sumptibus me liberaliter enutrit. Sic memoria eius in benedictione.

Moritur
Duaci an.
1575. ubi
cum me-
moriam per-
petua sè-
petitur.

12. *Adhuc multa habeo vobis dicere, que non potestis portare modò.*

13. *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

Accuratus & prolixus hoc in loco Calvinus est, vt istud testimonium, quo luculenter probatur nõ omnia Christum viua voce docuisse, sed per Spiritum sanctũ cum Apostolos tum Ecclesiam multa didicisse quæ de Christi doctrina scripta non sunt, nobis eripiat. Nihil eorum quæ dicit dissimulabo. *Papista* (inquit) *vt sua figmenta pro Dei oraculis obtrudant, hoc loco improbè abutuntur.* A crassa & fœda calumnia orditur. Non enim vt sua aliqua figmenta ab ipsis adinuenta (proprium hoc Caluino aliisque sectariis est) sed vt à maioribus suis tradita & ab Apostolorum tempore per manus accepta dogmata pro doctrina verè orthodoxa atque diuina tueantur, Catholici hoc loco fortiter & constanter vtuntur. Certissimè enim ex eo liquet, Christum Apostolos viua voce omnia non docuisse, quod tamen Christum fecisse Calvinus impudentissimè sustinet; vt supra explicatum est. Et quum contra hanc præcipuè Caluini sententiam hic locus à Catholicis in medium produci soleat, hanc applicationem altissimo silentio inuoluit. Ita nequitia qua falsò calumniatus est, hanc astutiam adiunxit, vt iuxta Apostolum, *in nequitia & astutia circumueneret*, id est, verè & propriè hæreticum ageret.

Christum
viua voce
omnia non
docuisse.

Suprà cap.
14. vsq.
26.
Caluini
astutia &
nequitia.
Ephes. 4.

Illo ergo capite prætermisso, quid nunc in Catholicis impugnet, videamus. *Christus, inquit, nouas Apostolis reuelationes promisit: ergo in Scriptura subsistere non conuenit, supra quam ille suos vocat.* Non est hæc Catholicorum ratiocinatio, sed huiusmodi: *Christus viua voce Apostolos omnia non docuit, sed quædam per Spiritum sanctũ in cælum assumptus docuit: Ergo in scriptura Evangelica, quæ non nisi Christi dicta*

dicta & facta complectitur, omnia non continentur. Cæterum nec hanc nec illam argumentationem admittit Calvinus, pleneque docere contendit, Apostolos à Spiritu sancto nulla alia didicisse quàm quæ Christus viva voce docuerat, *Primum* (inquit) *si cum Augustino loqui placeat, solutio ad manum erit. Verba eius sunt: Quum tacuerit Christus, quis nostrum dicat illa vel illa esse? Aut si dicere audeat, unde probabit? Quis tam vanus aut temerarius, qui, etiam si vera dicat, sine ullo diuino testimonio affirmet ea esse quæ dicere tunc Dominus noluit?* Respondeo Augustinum in hac disputatione excusandum esse, non sequendum. Sanè apud populum rudem pro concione disputans, cui altiora mysteria aperire non est opus, & quia (vt in sequenti tractatu disputauit) multi hæretici huius occasione sententiæ audacias figmentorum suorum colorare conabantur, aut noluit, aut neglexit illa dogmata perferutari quæ a Christo studio prætermissa Spiritus sanctus postea Apostolos docuit; maluit potius curiosorum hominum temeraria iudicia illis suis verbis repellere. Alioqui ipsa Augustini verba Caluini sententiam iuuare non posse, paucis docebitur. Duo sunt quasi Augustini argumenta. Primum est; *Quum tacuerit Christus* (inquit) *quis nostrum dicat illa vel illa esse? Aut si dicere audebit, unde probabit?* Rectè dicit, *Quis nostrum*, volens auditorum suorum & præsentium hæreticorum temeritatem compescere. Alioqui aut non ignorauit, aut non est tunc recordatus Augustinus alios nobilissimos Patres, qui ante eum magna gloria in Ecclesia floruerunt, quædam talia diserte designasse, & cõtra hæreticos suorum temporum probasse. Gregorius Nazianzenus luculenter contra Eunomianos; Spiritus sancti diuinitatem & distinctam personam negantes, quia eam Christus ita diserte & expressè non docuerat, sicut suam ac Patris personam; respondet, Spiritus sancti diuinitatem & personam vnã ex illis esse, de quibus Christus ad Apostolos dixit: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Quo* in loco luculentum Vvhitakeri de me mendacium præterire non debeo, quod in disputatione contra Bellarminum contra me effutit. Stapletonus (inquit) *lib. 12. cap. 5. dicit quod non posse ex Scripturis probari, nec Spiritum sanctum esse Deum.* Atqui mea verba lib. & cap. citatis hæc sunt: *Credere Filium esse Patri quod est, Credere Spiritum sanctum esse Deum, Credere Christum habere duas naturas, &c. in Scripturis expressa non habentur, sed interpretationes Scripturæ sunt, de fide tamè credenda.*

Tract. 96.

Tract. 97.

Dogmata
quæ vni
voce Chri-
stus non
docuit.
Orat. 1. de
Theologia.

Vvhitakeri
mendacium.

Disputat.
q. 11. cap. 4.
ad 7. arg.

Quantum hæc verba ab aliis discerpant quæ putidus ille dis-
 sporator futiliter mentiendo mihi impexit, quis demum non
 videt? Nego in Scripturis expressa haberi. Non nego ex Scri-
 pturis posse probari. Imò quum aio esse *interpretationes Scri-*
pturarum, quis nō videt, aperte me profiteri, ex Scripturis illa
 probari? Sed cæca carpēdi libido nihil videt. Ad rem præsen-
 tem redeo. Iustinus martyr scribit, Apostolos, quàm diu cum *In explica.*
 Christo conuersarentur, regnum eius spirituale per omnes *99. ad Ger-*
 gentes futurum ignorasse, & regnum aliquod temporale in *tes resp. 112*
 sola Iudæa per illum restaurandum semper cogitasse (quod
 vel ex vltimis illorum ad Christum verbis Act. cap. i. con-
 stare potest) ideoq; doctrinam de regno spirituali vnum ex
 illis fuisse, de quo Christus Apostolis dixit, *Adhuc multa ha-*
beo vobis dicere, &c. Origenes cessationem legalium ab Apo- *Lib. 2. con-*
 stolis, conuersante cum illis Christo, penitus ignoratam, à *tra Col. sur.*
 Spiritu sancto illis suggestam fuisse probat, atque hoc vnum
 eorum fuisse quæ Christus habebat illis dicere, sed quia talem
 rerum verustissimarum abolitionem adhuc nō capiebant, di-
 cendum Spiritui sancto reliquisse, latè demonstrat. Idem etiã
 annotauit Didymus Alexandrinus. Hæc ab antiquissimis illis *Lib. 1. de*
 Patribus ante Augustini tempus annotata, & scriptis moni- *spir. su*
 mentis tradita, D. Augustinus in illa ad populū concione aut *sancto.*
 non est recordatus, aut propter causas allatas tacere voluit.

Alterum ex Augustino argumentum est: *Quis tam vanus*
aut temerarius, qui, etiamsi vera dicat, absque ullo diuino testi-
monio affirmet ea esse quæ dicere tunc Dominus noluit? Hæc
 haud dubiè August. propter hæreticorum temeritatem dixit,
 qui sua figmenta propria hoc titulo obturdebant, quòd ex il-
 lorum numero esse dicerent quæ Christus tūc Apostolis lo-
 quutus fuerat. Atqui certū Catholicæ fidei dogma, quod Chri-
 stum ore nunquam docuisse manifestè constat, de illorū nu-
 mero esse quæ à seipso prætermissa Spiritui S. docenda Chri-
 stus reliquit, qualia sunt illa quæ antiquissimi Patres asserue-
 runt, nullius planè temeritatis aut vanitatis est. Nec tã graues
 Doctores talia asserentes, S. August. summa semper modestia
 atque humilitas vllius temeritatis arguere voluisset.

Quæ e hanc Augustini sententiam ad rem suam non adeò
 multum facere sentiēs Calvinus, ita prosequitur. *Verum cer-*
tior nobis ad eos refellendos ex Christi verbis suppetit ratio.
 Illam igitur attentè audiamus. *Perfectus (inquit) veritatis*
magister dicitur Spiritus, quem pollicitus est Apostolis Christus.
 Illud omni dubio caret. *Quid ex eo infetet? Quorsum autem*
 pro

promissus est, nisi ut acceptam ab eo sapientiam per manus traderent? Neque istud negari potest aut debet. Quid ex utroque sequetur? Datus est illis Spiritus, quo duce & direttore inuncto sibi officio defuncti sunt. Hæc verba rem eandem, quam secundo loco dixit, repetunt. Expectamus ut ad rem præsentem aliquid concludat. Eosdem (inquit) idem ille Spiritus in omnem veritatem perduxerat, quum doctrina sua summam scriptis complexi sunt. Hic suas partes egit Calvinus, id est, vastrum & impostorem. Iam enim præsupponit, & pro concessio sumit, quod in quæstionem vertitur. Pone, inquam, & pro concessio sumit, Apostolos doctrina sua summam scriptis complexos esse, quod nunc illi probandum erat; & annectit quod nulla probatione indiget, Dei Spiritum eos in omnem veritatem perduxisse. Disputat hoc loco contra Catholicos, qui in sola Scriptura omnem veritatem quærendam negant. Vult ille contrarium ex hoc loco probare. Id ut faciat, postquam de Spiritus sancti vera & perfecta doctrina Apostolis tradita, & vicissim ab Apostolis ad alios deriuata, duo verissima dixisset, concludit eosdem Apostolos ab eodem Spiritu in omnem veritatem perductos fuisse, quando omnem doctrinæ suæ summam scriptis complexi sunt. Atqui non quæritur an absque diuini Spiritus assistentia Apostoli omnia scripserint, sed an omnia scripserint. Nemo dubitat in iis quæ scripserunt, affuisse illis Spiritum sanctum, qui eos in omnem veritatem induxit circa ea quæ scripserunt. Sed an omnia scripserint, & an omnem doctrinæ suæ summam scriptis complexi fuerint, id quæritur, id controuertitur: in eo causa principalis, & τὸ λεγτέριον versatur. Nunc Calvinus hoc totum moliter ponit, & parum attento lectori blandè instillat, quasi que rem per se notam suggerit, adiungens in hac descriptione Spiritum sanctum omnem illis veritatem aperuisse: & hoc adiunctum in sequentibus diligenter probat. Huic (inquit) doctrina quisquis aliquid addendum putat, ac si mutila esset, & semiplena; non modo Apostolos insimulat mala fidei, sed in Spiritum blasphemus est. Si doctrina quam literis consignarunt, à tyronibus adhuc & nouitijs profecta esset, non superuacua esset accessio. Nunc verò quum eorum scripta quasi perpetua sint eius reuelationis tabula que illis promissa & præstita fuit, non potest sine atroci Spiritus iniuria quicquam illis addi. Hæc ille, nec aliud quicquam in hoc genere. Aduerte, lector, Calvinum hoc adiunctum probare, Apostolos (quando doctrinæ suæ summam scriptis complexi sunt) habuisse Spiritum sanctum qui eos

*Impostor
Calvinus
ponit quod
probare
contendit.*

*Adiunctum
probat, rem
in quæstio-
nem pos-
itam non
probat.*

omnia doceret, & propter Spiritus Sancti assistentiam, nec mutilam, nec semiplenam illorum doctrinam fuisse, ideoque nihil ei doctrina addi posse, sed esse illorum scripta perpetuas tabulas reuelationis illis promissa ac præstita. Et quidem si omnem doctrinæ suæ summam scriptis complexi sunt, hæc omnia quæ de Spiritus S. assistentia dicuntur, nemo non admitteret. Si principale esset verum, adiunctum nemo negaret. Sed hoc principale illud est quod negatur, Apostolos omnem doctrinam suæ summam scriptis complexos esse. Hoc Caluino incubuit isto loco probandum. Huius causæ principalis probatione penitus dissimulata, aliud adiunctum probat, quod nulla probatione egebat. Sic ille egregiè impostorem & veteratorem egit.

Atqui Apostolos nullo modo omnem doctrinæ suæ summam scriptis complexos fuisse, sed plurima fidei dogmata & ad cultum religionis Christianæ necessaria, sine scripto tradidisse, ex antiquissimis & probatissimis Patribus, illud discretissimè asserentibus, Dionysio Areopagita, Basilio, Chrysostomo, Eusebio Pamphili, Origene, Augustino, Epiphanio (ad quorum ora vultusque, hæreticorum omnium frons, si quam haberent, meritò erubescere debuit) alio in loco commemorauimus, multisque dogmatum exemplis demonstrauimus.

Nunc Caluinus ad aliud disputandi genus se conuertens; res ipsas, quas sine scripto ab Apostolis tradi Catholici affirmant, admodum putidè & ridiculè impugnat: in quo tamen audiendus est. Porro (inquit) quum ad res ipsas ventum est, plusquam ridiculi sunt Papistæ. Illa enim arcana quibus portandis impares erant Apostoli, pueriles esse definiunt, quibus nihil inanius vel magis fatuum: Descendere scilicet è celo Spiritum oportuit ut discerent Apostoli quo ritu sacrandi essent calices, cum suis altaribus, benedicenda campana, benedicenda aqua lustralis, & Missa celebranda. Vnde igitur discunt maiores & pueri qui ad unguem tenent hæc omnia? Nihil itaque aperiuis quam Deo illudere Papistas, quum è celo prodixisse fingunt quam Cereris aut Proserpina mysteria sapiunt, quam abhorrent à sincera Spiritus sapientia. Hæc ille. Recordor hinc illud Catonis grauissimi Senatoris verbum. Quum Ciceronem audiret in defensione L. Murenæ viri militaris petorantem, ideoque iuris ciuilibus studium quo Murenæ competitor Ser. Sulpitius celebriter floruit, ad summum eius contemptum his verbis exagitantem, Res sunt parua, propè in singulis literis

Apostoli
omnem do-
ctrinam su-
am non
scripserunt.

Eccl. hier.
cap. 1.
Lib. de Spi-
ritu S. cap.
27.

Hom. 1. in
Acta.

Demonst.
Euag. li. 1.
Lib. 1. cõ-
tra Gell. 5.

De bapt.
con. Do-
nat. lib. 2.

c. 7. & lib.

5. cap. 23.
Her. 61.

De prin-
cip. fidelib.

12. cap. 15.

Caluini
crimina-
tione in
re grauif-
sima rudi-
cula.

atque interpunctionibus verborum occupata: putidis ineptijs fucata sunt omnia. Ego si stomachum mihi moueritis, triduo me iuris cōsultum esse profitebor in hæc verba Cato erupit: *Quàm ridiculum habemus Consulem!* Causam quippe grauissimam de renunciacō nouo Consule agens, suo iam Consulatu propè defunctus, hac oratoria licentia satis ridiculè vsus est. Nos verò in hac Caluini declamatione, bis ridiculum Censorem habemus, qui causam grauissimam tractans, & de diuinis dogmatibus, quæ Spiritus S. assumpto in cælos Christo, Apostolos docuit, disputans, ad summum eorum contemptum res quasdam leuiores proponit, ea quæ grauiora sunt dissimulat ac prætermittit, non vt rerum diuinarum tractator grauis, sed veluti in scena ac theatro rhetorculus leuis & ridiculus histrio. Iam ex grauissimis & antiquissimis Patribus Gregorio Nazianzeno, Iustino Martyre, & Origene tria grauissima fidei capita produximus, quæ à Christo præterita Spiritus S. Apostolos docuit. Multa sunt alia apud Dionysium Areopagitem, Basilium, Augustinum, locis à nobis citatis. Cuius etiam de toto ordine diuini sacrificij celebrandi, quam Cœnam Dominicam vocare malunt nouatores, hæc grauissima & vera vox est. *Saluator quòd vehementius cōmēdaret mysterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit insingere cordibus & memoria Discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat. Et idèd non præcepit quo deinceps ordine sumeretur, vt Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locum.* Hæc Augustinus. Ad hunc autem ordinem pertinent quæ de altaribus, calicibus, campanis, ac de muni M. ssa celebranda, hic histrio tam contemptum loqui ut. Qui sanè sic ea ludibrio exponit, vt suam plusquam puerilem fatuitatem ludibrio subiciat. Quid enim? Moriones & pueri Missam celebrare norunt? Sic enim loquitur: *Moriones & pueri ad unguem tenent hæc omnia.* Quàm hic ridiculum habemus criminatorem! Nihil apertius quàm Deo & sacris omnibus apertè illudere Caluinum, qui totam Christianorum Liturgiam in qua offeritur quotidie sacrificium pretij nostri, vt loquitur Augustinus; *litatur hostia & sacrificium consummatur,* vt loquitur Chrysostomus; *imò ipse Christus in sacris mysterijs se ostendit,* vt idem alibi loquitur, & *conspicimus Dominum immolatum.* Nam *omni die populis immolatur,* ait Augustinus; *vbi in horrendissimis mysterijs* (ait iterum Chrysostomus) *bene precatur sacerdos populo, & bene precatur populus sacerdoti: comprecamur enim tunc omnes* (ait Iustinus Martyr)

Epist. 118.
cap. 6.

Caluinus
histrio ri-
diculus.
Sacrificij
Christiani
testimo-
nia.

Confess. li.
9. c. 12.

Hom. 5. in
1. Timo. 5.

De incom-
prehens.

Dei nat.
homil. 5. &
lib. 3. de sa-
cerd.

Epist. 23.
Homil. 18.

in 2. Cori.

Apol. 2.

conclusisq; precibus, panis, vinum & aqua offeruntur; vbi statim omnes adorationem (ait Cyprianus) & sacerdos ante orationem prefatione premissa parat fratrum animos, dicendo, *Sursum corda, dum respondet plebs, Habemus ad Dominum: quod ne tunc frustra dicamus, nec cor in terra ponamus, sed sursum eleuemus, monet Augustinus: quia quum centum & sexaginta horas habeat hebdomada, illam unam & solam sibi segregauit Deus, ait Chrysostomus, de Missa diei Dominicæ loquens, cui ex præcepto totus populus interesse debet; hanc, inquam, totam Liturgiam, hunc totum Dei cultum, tam Ceteris aut Proserpinæ mylleria sapere quam à sincera Spiritus sapientia abhorere affirmat. Annon hoc est Diagorâ quendam aut Lucianum agere, totamque Christianorum religionem in quotidiano Missæ sacrificio maximè eminentem, & tot illustrium Patrum testimoniis commendatam, in summum opprobrium atque vilipendium adducere? Sed de his satis. Videamus nunc sequentia.*

Nos verò (inquit) nisi velimus ingrati esse Deo, acquiescamus in ea doctrina cuius auctores esse Apostolos scripta eorum testantur: quando summa illic cælestis sapientia perfectio nobis prodita est, quæ hominem Dei perfectum reddat: ultra eam progredi fas non esse putemus. Nam altitudo nosira & latitudo & profunditas in eo posita est, ut sciamus charitatem Dei quæ nobis exhibita est in Christo. Hac cognitio omnem scientiam supereminet, ut inquit Paulus: ut quum tradit in Christo absconditos esse omnes sapientia & scientia thesauros, non aliquem ignotum Christum fabricat, sed quem sua prædicatione ad viuum depinxit, ut cernatur quasi ante oculos nostros crucifixus, quemadmodum dicit ad Galatas. Huic orationi ad speciem honestæ, sed varia fallacia plenæ breuiter respondeo. Nos nisi velimus non ingrati tantum Deo, sed & sacrilegi ac rebelles esse, acquiescamus in ea doctrina quam ab Apostolis traditam esse, Ecclesia Dei summa consensione & ab ipsis Apostolorum temporibus nos docuit: quando summa cælestis sapientiæ perfectio ab Ecclesia nobis prodita est, quam columnam & firmamentum veritatis idcirco Paulus vocat, & in quam veluti amplum quoddam & diues depositorium Apostoli omnia quæ sunt veritatis contulerint, ait Irenæus; qui etiam accepta à Christo & Spiritu S. mysteria partim in sanctis ac theologicis libris commendauerunt, partim in animo in animum medio intercurrente (prædicationis) verbo sine literis transfuderunt, ait Dionysius Arcopagita:

In Sermo
de orat.
Domin.

De verb.
Domini
Serm. 20.
Serm. de
Euchar.
tom. 3.

Coloss. 1.
20.
Ephes. 3. 8.

Colos. 2. 3.
Gal. 3. 1.

Ecclesiæ
doctrina
tenenda.

2. Tim. 3.

Lib. .c. 4.
& lib. 5.
Dionys.

Eccle. hie.
rarch. c. 1.

quia & ad hoc dati sunt Ecclesiæ Pastores & Doctores, ut
Ephes. 4. *occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram etatis plenitudinis Christi.* Extra Ecclesiam aliquid sapere fas non esse putemus. Nam altitudo nostra & latitudo & profunditas in eo posita est, ut sciamus charitatem Dei, quæ nobis exhibita est in Christo. Hæc enim charitas Dei nobis per Christum exhibita hoc imprimis à nobis postulat, ut Deum vicissim diligentes, atque in Deo proximum, maximè domesticos fidei, totam fidelium societatem, eiusque societatis duces ac præfectos singulari quodam affectu, non amoris tantum, sed & reuerentiæ prosequamur; quando hæc societas sanctorum Christi corpus & sponsa est, in quo qui cæteris præficiuntur, positi à Spiritu S. ut regant reliquum Ecclesiæ corpus, ipsum Christum referunt; pro Christo legatione funguntur, & qui eos audit, Christum audit; qui eos spernit, Christum spernit. Hæc charitatis cognitio non speculatiua sed practica, omnem scientiam supereminet, ut inquit Paulus, quia quantum quisque diligit Ecclesiam, tantum habet & Spiritum S. ait sapienter Augustinus. Quare quum Paulus tradit in Christo absconditos esse sapientia & scientia thesauros, non aliquem ignotum Christum fabricat, qualem sibi quisque hæreticus fingit, sed qualis ab Ecclesia prædicatur; qualis in corpore suo apparet; qualiter eum illi describunt, quibus potestatem dedit docendi omnes gentes; ut ea omnia seruari ac facerent quæ Christus præcepit: qualis denique sua predicatione ad viuum depinxit Paulus, ut cernatur quasi ante oculos nostros crucifixus, quemadmodum dicit ad Galatas; quod cerè non ideò dixit, quia totam de Christo doctrinam, & omnes illos absconditos in Christo sapientiæ & scientiæ thesauros, per illa ad Galatas verba, Galatis à se explicata & tradita Paulus innuere voluerit; sed ideò dixit, quia veritatem de Christo crucifixo ita firmiter iam, dudum Galatæ crediderunt, ut non secus in Christum pro se crucifixum crederent, quam si ante eorum oculos ipsique videntibus crucifixus fuisset. Quis vos (inquit) fascinavit non obedire veritati ad eum, non manere constantes in fide accepta, ante quorum oculos Iesus Christus proscriptus est in vobis crucifixus? Nihil ergo ad rhombum hæc tota Caluini concio. Nos scripturis Apostolicis libentissimè ac tenacissimè adhæremus; sed Ecclesiæ vocem eadem propensione complectimur, ad quam arctissimè complectendam ipsa nos imprimis Apostolica scripta adhortantur. Calvinus cum suis, solis Scripturis acquiescere nos vellet, ut hoc modo

Caluini concio nihil ad rhombum. Solis Scripturis cur adherent hæretici.

tum Ecclesiam Iudicem magno suo commodo declinare, tum in deprauandis pro libito Scripturis licenter uersatus, omnem de fide quæstionem ad suum arbitrium ac iudicium (maximo totius religionis malo certaque pernicie) reuocaret. Sed has eius fraudes, ut Dei beneficio facile aduerimus, ita perlibenter aliis parefacimus.

Prosequitur adhuc, ut aliquid demum pro sola scripturarum perfectione conclusisse videatur. *Ceterum* (inquit) *ne qua maneat ambiguitas, Christus ipse postea suis uerbis explicat, quanam illa sunt quæ nondum ferre poterant Apostoli. Quæ uentura sunt* (inquit) *annunciabit uobis. Hoc quidem nonnulli ad Spiritum prophetia restringunt: sed, meo iudicio, potius futurum regni spiritualis statum designat, qualem paulo post resurrectionem eius Apostoli uiderunt, sed tunc comprehendere nullo modo poterant. Non ergo uaticinia illis promittit de rebus post eorum mortem futuris, sed tantum significat aliam fore regni sui naturam, & gloriam longè maiorem quàm nunc animis concipere possint. Cuius arcana sapientia (quam per Ecclesiam cælestes quoque Angeli cum admiratione discunt) thesauros Paulus explicat in Epistola ad Ephesios à primo capite usque ad finem quarti. Quare non est quòd à Papa archiuis vel scrinijs petatur. Hæc Calvinus. Summa est, ea quæ nondum ferre poterant Apostoli, ad futurum regni Christi spiritualis statum, eiusque arcanam sapientiam pertinere; cuius thesauros Paulus explicat in Epistola ad Ephesios, primis quatuor capitibus. Inuenit nunc ergo ipse Calvinus, quod ex uerbis Augustini inueniri non posse uoluit, quædam à Spiritu sancto Apostolis tradita quæ docente Christo portare non poterant. Ita aut profus ineptè Augustini uerba citauit, aut sibi ipsi contradicit. Quod autem nunc agnoscit Apostolos à Spiritu sancto didicisse, statum uidelicet regni Christi spiritualis, multò latius patet quàm quæ Paulus in Epistola ad Ephesios scribit, & omnia illa complectitur quæ iuxta noui testamenti statum, nouæque Ecclesiæ formam, de Trinitate, de Verbo incarnato, de Sacramentis, totòque externo cultu, uel distinctius & explicatius credenda, uel de nouo in religionis usum assumenda erant. Sanè fidem Trinitatis distinctam, fidem esse Christianorum propriam, sapienter annotarunt sancti Patres, Basiliius libro 2.*

Statum regni Christi spiritualis late patet.

Summa prioris 4. cap. Epistolæ ad Ephesios.

contra Eunomiam, & Cyrillus in Ioan. lib. 9. cap. 30. Paulus in Epist. ad Ephesios, primo quidem capite totum uocationis Christianæ mysterium Christi que Redemptoris

gloriosissima merita, & præmia gloriosa verbis magnificentissimis proponit atque enarrat, vt ad fidei profectum Ephesios suos horretur. In secundo cap. ipsorum Ephesiotum ad fidem Christi vocationem, eiusque beneficium multis verbis amplificat, partim à statu seruitutis peccati in quo prius erant, partim à redemptione per Christum facta, & gratia Iustificationis per illum accepta, partim denique ab vnione quæ nunc illis cum Deo est. In cap. 3. vocationis Gentium mysterium sibi cæterisque Apostolis reuelatum esse docet: ideoque ne ob eius tribulationes Euangelij causa animos remittant, sed ad omnem potius in fide perfectionem strenuè contendant, sublimi oratione verbisque magnificis hortatur. In 4. cap. ad vnitatem fidei mutuamque charitatem sollicitè retinendam studiosè hortatur: ideoque de hierarchica Ecclesiæ potestate ad hanc vnitatem conseruandam à Christo instituta, deque intima omnium fidelium connexionione sub vno capite Christo differit; moxque ad vitæ puritatem exhortationem aggreditur. Hæc est eorum quatuor capitum summa, & hos thesauros arcanae Dei sapientiæ Paulus in illis aperuit. Sed nunquid propterea omnes arcanae sapientiæ thesauros, aut omnem statum regni spiritualis Christi in illis 4. capitibus Paulus complexus est? In tot alijs Epistolis eius, & maxime in nobilissima illa ad Romanos Epistola, vbi quasi totum spiritum suum Paulus effudit, nullos præterea arcanae sapientiæ thesauros exprompsit, nihil præterea de regno Christi spirituali tradidit? Aut si multa in illis eaque amplissima arcanae sapientiæ mysteria ab istorum 4. capitum materia differentia deprompsit, multaque alia ad Christi regnum spirituale pertinentia docuit, quæ in his 4. capitibus non docentur; quomodo ex tota hac disputatione concludit Calvinus Apostolos omnem doctrinæ suæ à Spiritu Sancto acceptæ summam scriptis complexos fuisse? Aut si hoc non concludit, quorsum hæc omnia afferuntur? An non voluit ex Christi verbis certam rationem inuenire ad nos refellendos, qui in scripturis omnia contineri negamus? Hic illi huius disputationis scopus ac finis fuit. In qua tamen quum præter morem suum prolixus fuerit, nihil conclusit, nihil probauit, sed longa oratione detentum lectorem, attonitum magis reddidit, quam instructum reliquit.

*Catholica
sententia
frustra à
Caluino
impugna-
ta.*

Manet ergo hæc Christi sententia nobis integra, nequiquam reluctantante & recalcitrante Caluino; Spiritum S. Apostolos multa docuisse quæ Christus viua voce eos necdum omnium

omnium capaces non docuerat. Vnde concidit illud Caluini paradoxum quod cap. 14 suadere conatus est, Spiritum sanctum nihil aliud Apostolos docuisse, quàm quod eos Christus antea ore docuerat; & ad hoc restringi Spiritus Sancti officium, quòd suggerat quæcunque Christus dixit, non doceat aliquid de nouo. Quod etiam suum paradoxum infra iterum hoc eodem capite reperit. *Certè (inquit) non alia docuit Spiritus Apostolos, quàm quæ audierant ex ore ipsius Christi.* Ita sua placita mordicus tenet Caluinus, etsi absurdissima, etsi millies refutata. Rursum manet firmum quod Catholici asserunt, non omnia in Scripturis sanctis expressa esse quæ ad fidei doctrinam pertinent; nec illud assertum tota hæc Caluini disputatio vlla ex parte labefactant. Ingenti visus est hoc assertum ariete concutere. Sed non nisi verborum fumus ac strepitus est quem concitauit.

Nunc vim verborum Christi veram & orthodoxam paucis exponemus. *Multa (inquit) habeo vobis dicere, id est, multa adhuc supersunt quæ à me veritatis magistro, ipsaque veritate, dicere & audire debeat, quæ non potestis portare modo,* quorum necdum capaces estis; tam propter debilitatem vestram, quàm propter rerum ipsarum nouitatem, multitudinem, & magnitudinem. Sed tamen ne propterea hac necessaria doctrina mea vos destituendos putetis, *Cùm paracletus ille venerit, de quo iam dixi vobis, qui Spiritus veritatis est,* tum ratione originis, quia meus Spiritus est; tum ratione effectus, quia vera sunt omnia quæ docebit; *ille docebit vos omnem veritatem, siue de lucec vos in omnem veritatem.* *ὁ ἄγιος ἕως ἐς πᾶσιν ἀλήθειαν.* Deducet seu manuducet, quia illi reuelanti mysteria cooperari vos oportet. Ducitur enim ab alio qui etiam opera venit, non trahitur, non portatur. Sic Apostoli post magnam disquisitionem suamque operam præstitam deducti sunt in illam conclusionem: *Visum est Spiritui sancto & nobis.* Rursum, *deducet vos in omnem veritatem,* quia non simul & semel vno momento omnem veritatem aperiet, sed paulatim ab vna in aliam deducet. Sic Petrus, accepto Spiritu sancto in die Pentecostes, distinctè tamen adhuc ignorauit an Gentes essent baptizandæ, vt visione de cælo illa opus fuerit. Deinde *deducet vos,* quia perpetuò nobis aderit hic Spiritus veritatis, vt in fidei dogmate tradendo non possitis errare. *In omnem porro veritatem deducet multis modis.* Primum quia in memoriam vestram reduces omnia à me dicta ac facta, vt ea vel scripto committere (quod illorum nisi duo fe-

Ad ver. 23

Verba Christi explicantur.

Spiritus veritatis.

Act. 15.

cerunt, Ioannes & Matthæus,) vel absque scripto posteris tradere possitis, quod reliqui omnes fecerunt. Tum ipsa mea dicta ac facta vobis explicabit, suoque lumine efficiet, vt singula intelligatis quæ hæcenus non intellexistis. Deinde & *multa* alia quæ ego *habeo* quidem vobis dicere, sed nondum dixi, vobis manifestabit, siue quæ ad dogmata, siue quæ ad mores, siue quæ ad Ecclesiæ regimen spectabunt, prout vel populus credentium capere poterit, vel noua aliqua difficultas nouam & explicatiorem doctrinam postulabit. Tandem veteres scripturas, prophetias, figuras de me ac regno meo spirituali idem Spiritus veritatis vobis aperiet, explicabit, claras ac dilucidas efficiet. Sic in omnem veritatem vos deducet. Id autem certissimè fiet, quia *non loquetur à semetipso*, quasi suam aliquam sibi que propriam ac singularem doctrinam adferret, *sed quacumque audiet, loquetur*: quia videlicet sicuti essentiam sic etiam scientiam omnem aliunde accipit. *Et quæ ventura sunt, annuntiabit vobis*. Dono quoque prophetiæ vos donabit, quatenus ad Ecclesiæ meæ ædificationem vtile ac necessarium fuerit. *Ille me clarificabit*: meam diuinitatem toti mundo patefaciet: *in rō ipsō*, ex illo, inquam, meo, ex mea diuinitate, quatenus à me procedit: non quia non ab æterno eam accepit, sed dico, *accipiet, & annuntiabit vobis*, vt intelligatis eum eo ipso tempore de mea diuinitate (de *mea*, non *meam*, quia totam accipere & audire ab eo non potestis) accipere quæ vobis de illa annuntiat: quia quod æternum est, omne tempus complectitur. Nolite igitur anxij esse vel de meo discessu, vel quia non dixi vobis omnia. Per hunc Spiritum veritatis abundè vobis erit prospectum. Hæc hoc loco Christi sententia ac doctrina est.

Summa est, Christum Ecclesiæ suæ docenti Spiritum suum sanctum promittere, qui eam omnem veritatem doceat, vt Spiritus sancti doctrinam in Ecclesiæ voce quæramus, in Apostolorum prædicatione de manu ad manum per eorum successores ad nos deriuata, non in solis scriptis Apostolicis & Euangelicis, cum nec omnes Apostoli scripserint, sed quatuor aut quinque tantum, nec vt omnia scriberent, vel sibi propositum esse, ij qui scripserunt vsquam insinuant, vel mandatum ea de re vsquam extet, cum de prædicando & vna voce docendo luculentissimum mandatum acceperint, idemque suis scriptis consignarint.

14. *Ille me clarificabit.*

GARRIT iterum & rixatur ad hæc verba Calvinus contra Ecclesiam Catholicam, quasi hoc esset Christum à Spiritu Sancto clarificari. *Multi (inquit) Christo valere iusso, ac si regno perfunctus nihil nunc esset, Spiritum in eius locum subrogant. Ab hoc fonte Papatus & Mahometis sacrilegia fluxerunt. Nam etsi inter se multis rebus sunt dissimiles isti Antichristi, commune tamen principium habent, Euangelio quidem nos initiari in rectam fidem, sed aliunde petendam esse doctrinam perfectionem, qua nos penitus expoliat. Si Pape obijcitur scriptura, illic harendum esse negat, quia Spiritus superveniens multis additamentis supra illam nos euexit. Mahometes predicat sine suo Alcorano homines semper manere pueros. Falso itaque Spiritus prætenu fascinat fuit mundus, ut à simplici Christi puritate discederet. Nam simul ac spiritus à Christi sermone dissellitur, quibuslibet deliriis ac imposturis aperta est ianua. Hæc est Calvini hoc loco rixa, hoc iurgium, hæc fanatica debacchatio. Cui iustam & solidam hanc accusationem regerimus: Multi hodie novatores, sectarij, hæretici, Christo valere iusso, ac si regno perfunctus nihil nunc esset, ac si amplius per Ecclesiam suam non loqueretur, per quam se usque ad consummationem seculi locuturum promisit, spiritum in eius locum subrogant, de priuato suo spiritu iactitant. Ab hoc fonte Calvinismi & Mahometis sacrilegia fluxerunt. Nam etsi inter se quibusdam in rebus sunt dissimiles isti Antichristi, (in quamplurimis enim maximam inter eos similitudinem esse, Analysis Calvinismi luculenter docuit) commune tamen principium habent, à nouo quodam & proprio spiritu duci; totius veteris Ecclesiæ Spiritu, per quam Christus hætenus locutus est, penitus reiecto atque despecto. Et Euangelio quidem nos initiari in rectam fidem Calvinus affirmat, sed ex sua Institutione, ex suis Commentariis omni errorum & blasphemiarum turpitudine refertissimis, petendam esse doctrinam perfectionem qua nos penitus expoliat. Si Calvino obijcitur Scriptura apertissima, Hoc est corpus meum, illic harendum esse negat. Stultè (inquit) supersticiosi sunt Papista & similes (Lutheranos notat) dum verba mordicus arripiunt, & ut hinc loquatur, Spiritus superveniens multis additamentis supra illam scripturam nos euexit. Nam (ut alibi disertè scribit) utcumque verborum Christi reuerentia tangi se quiritentur quominus figuratè intelligere ausint*

Calvini
rixa contra
Ecclesiam

Hæretico-
rum prius
tu Spiritus

Calvinus
Scripturam
reijcit.
In Harm.
ad Matth.
c. 26. ver.
28. Instit.
lib. 2. c. 15.
num. 10.

qua sunt apertè dicta, non est tamen hic satis iustus pretextus cur omnes quas contrà obijcimus rationes respuantur. Nempe quas spiritus superucniens Caluino suggestit. Vnde & eodem in lib. ac cap. num. 25. *Hac Christi voce contentum esse. Hoc est corpus meum, fastuosam morositatem vocat.* Hic enim Caluini spiritus nequā multa illi additamenta ad illam nobilissimam scripturam suggestit, metonymias, canales, symbola, quibus ipsa Scripturæ veritas penitus opprimatur. Sicut Mahometes sine suo Alcorano, sic Caluinus sine sua Institutione, *Homines semper pueros manere predicat. Falso itaque pretextu spiritus Calviniani iam dudum fascinatus fuit mundus, ut à simplici verborum Christi puritate discederet.* Nam simul ac spiritus iste hæreticorū, Caluini in primis, ab apertis & disertis Christi verbis, *Hoc est corpus meum, diuelli voluit, quibuslibet imposturis & deliriis aperta est ianua.* Ad eò sanè ut illorum verborum Christi plusquam octoginta deprauationes ab horum temporum hæreticis adiuentæ fuerint, quas omnes cum suis authoribus enumerauit Claudius de Sainctes in opere suo Eucharistico. Tota igitur Caluini fabula, mutato nomine, de se ipso narrata est: & criminatio in Ecclesiam Catholicam coniecta, optimo iure, verè ac solidè, illustri dato exemplo in ipsum reicitur.

*Repetit. 1.
cap. 10. in
fine.*

Interim criminatio in Ecclesiam Catholicam non nisi generalis est, quia dolosus semper versatur in generalibus. Quòd Mahometem Catholicis adiunxit, accusatio ridicula est, ut alio in loco satis ostendimus, ideòque hic non repetimus. Sed & hoc loco quàm absurdè, quàm impudenter, quàm proiecto mendacio dicit Caluinus, *Mahometis hoc principium esse nobiscum commune: Euangelio nos initiari in rectam fidem!* An Mahometes Euangelio suos initiari patitur, aut ad rectam fidem Euangelium pertinere vllò modo affirmat? Annon omnem eius lectionem & notitiam suis feruissimè interdixit, & in solo suo Alcorano omnem religionis ac perfidiæ suæ regulam constituit? Sed bene ac feliciter se res habet. Aliquid Catholicis cum Mahomete commune fingere Caluinus non potuit, nisi quod cum aperto & luculentissimo mendacio coniunctum fuit. Hæc eius hoc loco impudentia, hæc cæcitas, hæc veluti capitis verrigo erat, dum in Ecclesiæ Catholicæ criminationem impotenter irumpere studuit. Vana est sine viribus ira.

27. *Ipsè Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis quia à Deo exiui.*

DOcet hic locus contra Calvinum, omnesque nostrite- Iustitia
inhiarans.
poris hæreticos, esse in nobis inherentem quandam no-
bisque propriam iusticiam, quam Deus in nobis diligit, ap-
probat, & novis beneficiis remunerat. Amare Deum, & cre-
dere Christum esse filium Dei (hoc est enim hoc loco, à Deo
exiuisse) actus nostri sunt, & potentiatarum nostrarum; tamen
non prorsus à nobis, sed à Dei gratia effecti. Dicit autè Chri-
stus, hos ipsos actus amandi & credendi, causam esse divini
erga nos amoris. *Pater (inquit) amat vos, quia me amastis, &
credidistis.* Amat autem amore quodam consequente, non
anteceiente. Alius est amor Dei quo prævenit nos in benedi- Amor Dei
in nos du-
plex.
tionibus, quo prior dilexit nos, quo elegit, quo vocavit, quo
iustificavit; qui non nisi in ipso Deo eiusque beneplacito cau-
sam habet. Alius quo iam semel dilectos, electos, vocatos,
iustificatos, diligit & amat, tum *complacendo in illis, & gratos* Tract. 102.
in Ioan.
habendo, vt D. Augustinus in hanc locum distinguit; cum
etiam noua semper & maiora gratiæ suæ beneficia huiusmo-
di conferendo: de quo genete Christum propriè hic loqui
verba proximè præcedentia conuincunt. *In illo die in nomine
meo petetis* (vtique gratiæ beneficia noua & auctiora) *& non
dico vobis, quia rogabo Patrem*, id est, non erit absolutè neces-
sarium, vt ego pro vobis in hac causa intercedam, non est
opus hac mea præsentia aut intercessione; adite ipsam con-
fidenter, illum rogate, & petite in meo nomine; *ipse enim Pa-
ter amat vos, quia me amastis, &c. Pater vos amat, dicit, quia
me amastis*; non dicit, Pater vos amauit, quia vos me amastis.
De præsentè & continuato Dei amore loquitur, causam eius
reddens discipulorum dilectionem & filiam. Non loquitur de
amore Dei præterito, & quatenus inchoatur erga suos. Ille
enim (vt dictum est) ex parte nostra nullam causam habet,
sed ex solo eius beneplacito, qui prior dilexit nos, promanar.

Nunc vt hæc verba Calvinus inuoluat atque inuertat, vi- Caluini
deamus. *Monemur (inquit) his verbis vnicum esse vinculum corruptelam*
nostra cum Deo coniunctionis, si Christo coniuncti sumus. Con-
iungimur autem fide non ficta, sed qua ex sincero affectu nasci-
tur, quem amoris nomine designat. Neque enim purè in Chri-
stum credit, nisi qui illum ex animo amplectitur: quare hoc ver-
bo vim & naturam fidei bene expressit. Hoc est Caluini artifi-
cium, hæc eius technologia, qua scripturam Euangelicam
insigni

insigniter deprauare didicit. Quod Christus de amore & fide dixit, ille ad vnā solam fidem artificiosè redexit. Duo Christus posuit: *Amastis & credidistis*. Vnum Caluinus concludit. Hoc (inquit) verbo amoris, vim & naturam fidei expressit: quia fides ex sincero affectu nascitur, quem amoris nomine designat. Fallit lectorem & mentitur Caluinus. Mendacium est luculentum, verbo amoris, vim & naturam fidei exprimi. Amor Christi à fide in Christum tota natura distinguitur. Tria sunt hæc, ait Paulus, *fides, spes, charitas*; maior autem horum est charitas. Christus hic quoque vtrumque distinguit: *Quia amastis me, & credidistis, quia à Deo exiui*. Naturam & vim fidei, quam hoc loco Christus commendat, ab obiecto suo commendat, *quia à Deo exiui*, id est, quod ego sum filius Dei naturalis. Amorem discipulorum adiunxit, vt virtutem à fide toto genere distinctam, & vt amorem ipsorum non humanum quendam aut moralem, quasi eum veluti amicum aut quemlibet magistrum amarent, sed diuinum & in Deo fundatum fuisse doceret; quia illum cum fide amabant; & talem amabant, qualem eum esse crediderunt. Qui sanè amor cum fide coniunctus in discipulis Christi iam regeneratis, causa erat, cur eos Deus vicissim amaret, complacendo se in eis, & ad maiora eis beneficia conferenda ita paratus, vt in nomine Christi Deum petentes, facilè à Deo exaudiendi forent, nec vt Christus singulariter pro eis intercederet, prorsus necessarium esset. Christum igitur amoris nomine, fidei vim & naturam expressisse, luculentum mendacium est, & innumeris scripturis aduersam, quæ charitatem à fide, vt distinctas virtutes, perpetuò determinant.

Amor ex fide nascitur, non contra.

Iam fallit lectorem Caluinus, quod *ait fidem non factam ex sincero affectu nasci, quem hic amoris nomine Christus designat*. Neque enim fides ex amore vllō modo nascitur, sed aliquo modo amor ex fide; quatenus natura prior fides est. Non credimus in Deum, quia eum diligimus, sed contra eum diligimus quia credimus. Notitia præcedit affectum, non affectus notitiam. Amare incognita non possumus; & vt amemus, aliquo modo cognoscere id necesse est quod amare volumus. Quæ causa est cur in hac vita mortali, vbi non nisi per speculum & in ænigmate, prout fides docet, Deum cognoscimus, debilis & imperfectus amor noster in Deum est. Quum autem fides in ipsam Dei visionem conuerteretur, & *facie ad faciem Deum videbimus, sicuti est*; tunc amor in Deum erit plenissimus, inuincibilis, & æternus. Caluinus

omnia confundit, sibi que ipsi ac suis placitis cōtradicit. Alibi enim ex fide amorem nasci, fidemque esse omnium virtutum radicem statuit, vt sic bona opera, si quam apud Deū laudem habent, ex sola fide eam accipiant, quia fructus censendus ex arbore est. Et est quidem fides bonorum operum vera radix, non autem charitatis ipsius. Immo vna radix fides est, quatenus ad bene operandum intellectus purificari debet, vt nouerit quid sit agendum & in quem finem. Altera radix charitas est, quatenus ad bene agendum voluntas accendi atque inflammari debet, vt quod agendum per fidem intelligit, alacriter exequatur. Ex amore igitur nascuntur sanè bona opera, sed non ipsa fides, quæ prima virtutum ordine generatio- nis est, sicut ordine perfectionis prima virtutum charitas est.

Omnia confundit Calvinus. *Coniungimur* (inquit) *Christo fide non ficta, qua ex amore nascitur: nec purè in Christum credit, nisi qui illum ex animo amplectitur.* Hæc non ad vim ac naturam fidei, sed ad eius perfectionem pertinent; nec fidem veram, sed viuam describunt. Qui purè credit in Christum, habet charitatem fidei adiunctam. Qui fide non ficta coniungitur Christo, cum affectu sincero, non simulato, non hypocritico, cum Christo coniungitur; sed hic affectus sincerus actus charitatis est, non fidei; & ex charitate nascitur, non ex ipsa natura fidei. Audi Paulum. *Finis* (inquit) *precepti, id est, impletio ipsa & executio legis mandatorum, est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta: id est, est illa diuina charitas, non terrena, carnalis, humana, quæ ex corde puro promanat, quod nullæ cupiditates vitiosè coinquinant & ex conscientia bona, seu mente nullius sibi sceleris conscia: & ex fide non ficta, non hypocritica, non simulata, sed veraci & sincera, quæ, quod ore confiterur ad salutem, hoc intimo corde credit ad iustitiam.* In ipsa natura fidei est actus quoque voluntatis, quatenus illis omnibus quæ intellectus à Deo illuminatus apprehendit esse vera, voluntas à Deo quoque mora obedienter acquiescit: ex cuius videlicet imperio non intellectus dictamine nascitur fidei virtus, seu obedientia fidei in scripturis tantopere laudata. Sed hæc voluntatis obedientia & affectio pia plurimum differt ab ipsa charitate, qua Deum diligimus, de qua hic Christus loquitur. Illa enim affectio nihil respicit quàm obiectum fidei intellectui propositum, vt actus fidei eliciatur. Charitas verò Deum & vltimū finem ac summum bonum pro obiecto habet, quatenus in illum toto impetu fertur, & eodem impetu tam ipsius fidei quam

In Epistol. ad Rom. c. 4. vers. 6.

Operum bonorum duplex radix.

Fides & charitas quomodo se ad inuicem habent.

1. Tim. X.

quàm aliorum omnium bonorum actus in Deum rapit, vt sic in Deum omnia relata Deo accepta & grata fiant, verarumque virtutum rationem, formam, perfectionem adipiscantur. Ideò dixit Paulus, *finem præcepti*, id est, perfectionem seu perfectam impletionem omnium mandatorum, esse *charitatem de corde puro*, &c. Illa enim & ad omne opus bonum extimular, & ipsa bona opera vt in Deum ferantur, ideòque perfecta fiant, sola efficit. Sic iterum dixit Paulus, *fidem per charitatem operari*; quia vt fides in opus exeat, vt, quod fide faciendum nouimus, opere præstetur, vt perficiatur & ad iustificationem in Christo valeat fides. *per charitatem*, Dei virtute, beneficio charitatis id totum fit. Hæc charitas non ad naturam, sed ad perfectionem fidei facit. Hæc charitas non ad actum fidei eliciendum, sed ad actum fidei perficiendum, atque in vltimum finem dirigendum concurrit. Denique non est ille affectus seu obedientia voluntatis, quæ ad actum fidei necessario requiritur, sed est aliud & distinctum Dei donum, alia & distincta virtus, quæ inchoatam per fidem regenerationem perficit, & vt in nouitate vitæ credentes ambulent, sua peculiari energia efficit. Ista Calvinus confundens, lectorem fefellit, vt in his Christi verbis vnus fidei vim ac naturam exprimi doceret, & ad vnã fidem id totum reuocaret, quod Christus in charitate & fide collocauit.

Quomodo
Deus a-
mar, quia
amatur.

Nunc præactam à nobis difficultatem mouet, quomodo dicatur Deus ideò discipulos amare, quia illi Deum amabāt, quum ideò potius discipuli Deum dilexerint, quia Deus prior dilexit illos. Ad hanc difficultatem quid respondeat videamus. *Respondeo* (inquit) *homines ante vocationem, si sunt electi, arcano modo à Deo amari, qui suos omnes diligit antequam creati sunt: sed quia nondum reconciliati sunt, merito censerentur Dei inimicos, sicut & Paulus loquitur. Secundum hanc rationem hic dicimur amari à Deo dum Christum diligimus, quia pignus habemus paternæ eius dilectionis, quem antè horruimus vt iudicem nobis infensum. Iterum Christi sententiam nefariè corrumpit Christus docuit discipulos suos à Deo amari, ideòque posse ab illo confidenter petere beneficia gratiæ: Quia* (inquit) *vos me amastis*, &c. vbi manifestè ponit discipulorū amorem causam esse cur hoc amoris genere Deus illos amet. Non est ita (ait Calvinus) nec vlla hic ponitur causa cur Deus quocunque tandem modo suos amat, sed exprimitur *pignus quoddam paternæ Dei in nos dilectionis. Deus vos amat, huius enim amoris diuini in vos hoc pignus, hoc*

Christo
Calvinus
contradi-
cit.

signum

signum habetis, quod vos ipsum amatis. Atqui si ita licet totam Christi sententiam invertere, primum rogo Calvinistas omnes, si amor discipulorum hoc loco non nisi pignus aut signum est dilectionis Dei erga eos, cur etiam & si lesorum pro solo quoque signo amoris diuini non ponitur? Vtrumque enim Christus dixit: *Quia vos me amastis, & credidistis in me.* si autem fides nostra in Christum & in diuinam in Christo virtutem, nempe vt esset nobis sapientia, sanctificatio, iustitia, & redemptio (hoc enim totum illis verbis contineri, *Quia à Deo exiui*, Calvinus hic exponit) non nisi pignus & signum est paternæ Dei in nos dilectionis; non erit amplius magis verum quod fides nos iustificat, quam quod bona opera nos iustificat. Bona enim opera nos non iustificat, iuxta Caluini perpetuam doctrinam, quia notæ, signa, & pignora sunt acceptæ iustificationis, non autem causa illius; Eodem igitur modo fides non iustificabit, quia iuxta Christi hoc loco sententiam non causa, sed pignus & signum est dilectionis Dei erga nos. In summa igitur hoc dilemma contra Calvinum statuo: Illa Christi verba, *Quia amastis me, & credidistis quod à Patre exiui*, aut causam notant cur Deus Pater discipulos amauit, aut pignus tantum & signum denotant dilectionis paternæ erga eos. Si prius, charitas non secus dilectionis Dei causa erit quam fides. Si posterius, fides non magis iustificabit quam charitas. Veritas autem orthodoxa hoc habet, propter vtrumque, charitatem & fidem, discipulos à Deo Patre dilectos fuisse, & ex vtroque hominem iustificari. Denique hæc verba non signum, sed causam propriè denotare, in superioribus explicatum dedimus. Ita vndique corruptelæ Caluini concidunt.

Iustificacionem enim sola fide Caluinus euertit.

IN IOANNIS CAP. XVII.

3. *Hæc est vita aterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.*



V v m id Patrem rogasset Christus, vt filium suum clarificaret, id est, toti mundo notum faceret, idq; in eum finem, vt iuxta potestatem omnis carnis à Patre acceptam, id est, iuxta redemptionis officium ei commissum, ad vitam æternam electos omnes à Patre datos perduceret, subiungit nunc huius suæ petitionis causam

impro

imprimis necessariam. *Hæc autem* (inquit) *est vita æterna*, id est, hoc modo ac via ad vitam æternam peruenitur (habent enim illa verba sensum causalem, vt illud: *Ego sum resurrectio & vita*, item illud: *Deus fortitudo mea & patientia*, multaque huiusmodi; non sensum formalem, vt aliqui existimarunt) vt cognoscant per fidem te solum verum Deum, id est, vnum esse solum Deum, veraciter talem, non multos Deos, vt cæca gentilitas putat; & quem misisti Iesum Christum; id est, præter vnus Dei diuinitatem, *incarnati filij Dei mysterium*: vt sic Iudæorum fides perficiatur; non quòd sola & plena ratio perueniendi ad vitam æternam sit credere in vnum Deum & Christum redemptorem (vt Brentius in hunc locum colligit; *Fides*, inquit, *est vita æterna, quia Christum possidet*) aut quòd nihil aliud ad vitæ æternæ consecutionem necessariò credendum sit; sed quòd ad hæc duo capita ceteri omnes fidei articuli reducantur, & quòd fides in Deum, ac Christum eius viua esse debeat, *per charitatem operans*, qualis in Scripturis describitur. Nec verò hic locus iuuat Arianos, aut nouos, aut veteres, quasi ita solus Pater Deus sit, vt quem misit Iesus Christus non sit Deus. Nam vt planè annotarunt contra Arianos SS. Doctores, in hac propositione illa copula: &, Patrem & Christum sub vna deitate coniungit, vt latè hunc locum tractant, August. tract. 105. in Ioan. & lib. 6. de Trinit. cap. 9. Ambros. de fide lib. 1. cap. 2. & Hilar. lib. 9. de Trin. Gregor. Nazianz. orat. 4. Theolog. & Athanas. in lib. de Incarn. Christi prope finem, & in disputatione contra Arium coram Probo iudice. Et Cyprianus lib. 2. contra Iudæos. Secundum quos omnes hæc est verborum Christi cõstructio: *Vt cognoscant te & quem misisti Iesum Christum, solum verum Deum*. Neque hic tamen persona Spiritus sancti excluditur, sed tacetur; quia eius perfecta notitia nondum fuit tradita. Alia nihilominus verborum cõstructio & simplicior hæc esse potest: *Vt cognoscant te solum verum Deum*, id est, nõ alios deos falsos, nisi te vnum Deum, in quo vno Deo omnes personæ comprehenduntur (sic enim sæpe in Euangelio Patrem alloquitur Christus, non vt personam, sed vt Deum, maximè quando vt homo loquitur, sicut hoc loco) & præter diuinitatis notitiam Christum quoque Redemptorem seu Filium Dei incarnatũ cognoscant. Hanc cõstructionem sequitur Cyrillus lib. 11. cap. 16. in Ioan. Chrysostomus homil. 79. in Ioan. Euthymius, Basilus lib. 4. contra Eunomium. Vtraque cõstructio bona est, sed posterior magis videtur probabilis, & Arianos satis refutat.

Ioan. 11.

Galat. 5.

Ariani re-
futantur.

6. *Tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum seruauerunt.*

Manifestus & perspicuus huius literæ sensus, quod ad solos discipulos Christi pertineat, ex verbis proximè præcedentibus apparet, quibus dixit: *Manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo.* An enim Christus aliis se manifestauit, quam propriis discipulis suis, quibus dixit, *Vobis datum est nosse mysteria regni calorum?* Turbas autem in parabolis omnia docuit. Ait igitur Christus Patri: *Ego nomen tuum, id est, me esse à te missum in hunc mundum, me esse Filium tuum, te Patrem; manifestaui, apertè docui, & demonstraui; hominibus quos dedisti mihi ex mundo, id est, non omnibus hominibus aut omnibus Iudæis qui me audierunt, sed istis hominibus quos ex hac vita mundana, tua gratia attraxisti, ut mihi adhærent.* Sic enim postea de illis ipsis & solis dicit: *Mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, id est, quia non eadem sentiunt aut sapiunt cum mundo.* Quum ergo dixisset, *quos dedisti mihi;* huius verbi rationem reddens, ait, *tui erant, scilicet per electionem æternam; & mihi eos dedisti, id est, mihi ut homini eos dedisti, ut mihi adhærent, & meam doctrinam addiscerent; & sermonem tuum seruauerunt, id est, omnia fecerunt quæ tuo nomine illis præcepi.* Fuerunt mihi & præceptis tuis per omnia obediens. *Sermonem Dei seruare, apud Ioannem, hunc perpetuum sensum habet, ut significet non doctrinam tantum retinere, sed & præcepta Dei facere.* *Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum: & paulò post; Scio eum, & sermonem eius seruo.* Disputat contra Iudæos qui legem Dei non seruabant, & ait se scire Deum, & seruare mandata eius. *Scire, ad doctrinam Patris; sermonem seruare, ad paternæ voluntatis executionem pertinebat.* Rursum: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* Nempe quia dilectio implet legem, ut Apostolus docet, unde addit Christus: *Qui non diligit me, sermones meos non seruat.*

Rom. 13.
Ioan. 14.

Nunc autem totam hanc Christi sententiam penitus corrumpit, inuertit, & corrumpit Calvinus. Vult esse generalem Christi sententiam, quæ ad solos discipulos pertinet, ut inde certitudinem suam præsumptione, & extrema impietate plenam constabiliat. *Certitudo (inquit) in eo consistit, quod Filio Deus tradit in custodiam quoscumq; elegit, ne pereant. Et huc conijcere oculos oportet, ut certò teneamus nos esse ex ordine*

Caluini
corruptela
pro certi-
tudine
gratia.

*filiorum Dei. Nam in se abscondita est Dei prædestinatio: in solo autem Christo nobis patet. Hæc ille. Patet fieri & manifestam esse cuiusque electionem in hac vita, ex eo esse vult quod in Christum credant. Atqui nihilominus adhuc incerta est electio. Multi enim vocati, ad externam fidei professionem: pauci electi, ad vitam æternam. Sunt quidam in vocatis & iustificatis aliqua signa & indicia electionis ac prædestinationis, sed certitudo nulla. Calvinus ex eo solo quod in Christum credimus, nos iam Filio datos in custodiam, & ex eo nos esse in ordine filiorum de certo concludit. Cuius adhuc sententiæ eò maior absurditas est, quod etiam signa electionis diuinæ, ex quibus conicere hoc saltem & optimè sperare liceat, e medio tollit, nempe quod Christus de Apostolis adiecit, *Et sermonem tuum seruauerunt*. Seruare enim mandata Dei, & gratiam electionis acceptam conseruare, vel, vt D. Petrus loquitur, *vocationem & electionem nostram per bona opera certam facere*, luculentum prædestinationis est indicium. Hoc ipsum tamen tollit Calvinus. Sic enim illa Christi verba peruertit. *Hic (inquit) tertius est gradus. Primus enim est electio gratuita, secundus est donatio illa qua transimus in Christi tutelam. Recepti à Christo per fidem in ouile aggregamur. Reprobis effluit sermo Dei, sed apud electos radicem agit, unde seruare eam dicuntur*. Ponit tertium gradum in fide, vt eam qui seruet, completam habeat electionis suæ certitudinem. In quo bis fallit ac fallitur. Nam nec tertius gradus fides est, sed secundus, nec seruare sermonem Christi hoc loco, fidei radicem tenere, sed Dei mandata facere significat, quorum posterius iam antea probatum dedimus. Prius refutat Paulus, qui gradus salutis nostræ aliter enumerat. *Quos, inquit, prædestinauit, hos vocauit: quos vocauit, hos iustificauit: quos iustificauit, hos glorificauit*. Quatuor hic gradus sunt. *Prædestinatio* seu electio gratuita primus gradus est, secundus *vocatio* per fidem, nam absque fide nulla vocatio est: nec vocatus in scripturis dicitur, nisi qui fidem professus fideique mysteriis initiatus est. Tertius *iustificatio* accedente ad fidem charitate, vel potius ipsa fide per charitatem operante, vt Apostolus loquitur. Quartus & vltimus est ipsa *glorificatio*. Donatio illa qua transimus in Christi tutelam, quam in secundo gradu ponit Calvinus, ad ipsam electionem gratuitam, & primum gradum pertinet. Hoc ipsum quippe eligi seu prædestinari ad gratiam à Deo, nihil aliud est quam ad Christi gratiæ participationem destinari, (*in quo placuit omnia restaurari*) quod est*

Matth. 22.

2. Pet. 1.

Salutis
nostræ
gradus.

Rom. 8.

Gal. 5.

Ephes. 1.

est Christo donari, quatenus illa donatio æternam Dei voluntatem significat. Eadem quippe vt temporalem Christo incorporationem notat, ab ipsa vocatione & fide non distinguitur, Christo enim in tempore & de facto incorporari, nihil aliud est, quàm in Christum credere, & per fidem in Christum ad salutem vocari.

Sic omnia cõfundit Calvinus, vt suam ex sola fide electionem statuat. Sanè non omnes seruari quos Pater Christo dat iuxta donationem temporalem ex fide, ex qua sola suam certitudinem Calvinus colligit, vnus Iudæ exemplum docere potest, de quo Christus infra dicit: *Quos dedisti mihi custodiri. Nemo ex eis perijt, nisi filius perditionis.* Quò dicit, *Nemo nisi,* manifestè docet Iudam quoque à Patre Christo datũ fuisse. Exceptio enim ab eodem fit genere quo cæteri comprehenduntur. Sed datus erat electione temporali iuxta vocationem ex fide: non erat datus electione æterna, vt iustus ac beatus perseuerans in finem. Ideò notare volens Christus causam ruinae, vocat eum *filium perditionis*, id est, filium perditum, nequam, voluptatibus suis & peccatis deditum, iuxta phrasim Hebræorum perpetuam, quam & annotauit Basilus in Psalmos. Impius Calvinus vult eum ita vocari, *quasi exitio deuotum*, vt perditionis causam in Deum referat: eamque ob causam illa Christi verba, *Nemo perijt, nisi Iudas*, ait esse *impropiam exceptionem; ad Grammaticam quod attinet.* Ita homo incredibiliter audax & perucax etiam Grammaticum Christi sermonem corrigit, vt suis horrendis placitis circa reprobationem diuinam locum faciat.

Homilin.
Psal. 7. ad
ver. 12.

20. *Non pro eis rogo tantum, sed & pro eis qui per verbum eorum credituri sunt in me, vt omnes vnum sint, &c. vt & ipsi in nobis vnum sint.*

ADuertere potuit hoc loco Calvinus, ex hac Christi oratione (in qua haud dubiè & exauditus fuit) Ecclesiae Christianae perpetuò docentis ac prædicantis perpetuam quandam vnitatem, firmitatem, ac stabilitatem, necessariò colligi. Quòd enim pro ipsis Apostolis tantum orauit, vt ipsi seruari in nomine eius, vt sanctificarentur in veritate, vt omnes vnum essent, (quæ omnia fidei ac verae doctrinae perpetuò in illis stabilitatem & vnitatem postulant) idem nunc ad omnes docentis & prædicantis Ecclesiae discipulos extendit, qui ad finem vsque mundi futuri erunt. Docet

Ecclesia
Christiana
perpetua
stabilitas.

ergo hic locus, Ecclesiae Christianae, veraeque & sanctae doctrinae penes eam docentem perpetuam stabilitatem, qualem in ipsis Apostolis perdurasse nemo Christianus dubitat: ut propterea horum temporum haeretici, qui à tot saeculis, sanè ab ipsis iam Apostolorum temporibus (quod enim antiquissimi Patres docuerunt, pro doctrina Papistica passim suggillat Caluinus, ut multa in his Antidotis exempla docuerunt) in plurimis & maximis dogmatibus totam, quae extabat, Christianam Ecclesiam turpissimè errasse dogmatizant, & consequenter hanc Christi orationem penitus inanem & infructuosam reddunt, summae & apertae impietatis ex hoc loco conuincuntur. Aduertere facile potuit hoc totum Caluinus, ideòque vafre & astutè ab illa cogitatione lectoris animum auocans, ad ipsos Catholicos ex hoc loco accusandos, & ad Ecclesiae Catholicae doctrinam exagitantem, stylum conuertit. Sic enim scribit. *Quod proxime sequitur membrum, Per verbum eorum in me, vim ac naturam fidei optimè exprimit: & simul familiariter nos confirmat, quò sciamus fidem nostram in Euangelio per Apostolos tradito fundatam esse.* Verum sanè istud est, quia in Apostolica doctrina per totum orbem praedicata, nobisque de manu in manum tradita, quemlibet Christianum acquiescere necesse est, illis verò qui aliud, praeterquam ex Apostolica traditione accepimus, nobis euangelizant, anathema dicere oportet. Natura & vis fidei hinc optimè exprimitur: *Fides quippe ex auditu est, auditus autem per verbum Christi, quod hinc Christus ipse vocauit, Apostolorum verbum: Qui per verbum eorum credituri sunt in me.* Vnde B. August. ex hoc loco colligit, *verbum fidei, & verbum Apostolorum, credere Deo, & credere Ecclesia, prorsus idem esse.* Haecenus ergo & rectè & nihil aduersus Catholicos dixit Caluinus, videamus sequentia. *Ergo ut millies à mundo damnemur, sufficiat hoc vnum, quòd Christus in suo peculio nos agnoscit, & Patri commendat.* Rectè quoque & istud. Nam quicquid haeretici contra Catholicam Ecclesiam obganniant, sufficit nobis quòd Apostolicis traditionibus inherentes, & doctrinam Apostolicam, quam ab Apostolis acceptam Ecclesiae praedicauerunt, piè & orthodoxè tenemus. Sed haecenus non nisi velitarus Caluinus, & non nisi generaliter loquens, veluti aërem gladio verberans, nunc cominus hostem petit. *Va autem Papistis, quorum tam longè ab hac regula aberrat fides, ut eos non pudeat execrabilem blasphemiam vomere, nihil nisi ambiguū & flexiloquum haberi in Scriptura.*

Caluini
impostu-
ra.

Gal. 1.

Rom. 1.

Traçt. 109
in Ioan.

Caluini
duplex &
putidum
mendacium.

Itaque

Itaq; sola Ecclesia traditio illis credendi magistra est. Hæc gladiator iste. Sed totus eius furiosus ictus non nisi ærem verberavit: homines, quos perit, nullo modo attingit. Putum ac putidum mendacium est quod narrat. Nihil haberi in Scriptura nisi ambiguum & flexiloquum, non est Papistarum execrabilis blasphemias, sed est Calvini & Calvinistarum execrabilis calumnia. Nec sola Ecclesiæ traditio illis credendi magistra est, sed pariter cum scriptura Ecclesiæ quoque traditio tam illis nunc est, quàm antiquissimis & doctissimis Ecclesiæ Patribus semper fuit Tertulliano, Basilio, Chrysostomo, Augustino, & aliis, vna credendi regula. An quia Catholici omnem scripturam perspicuam & claram esse negant, igitur & nullam esse perspicuam, aut nihil in ea nisi ambiguum & flexiloquum affirmant? Aut quia traditiones amplectuntur non scriptas, idcirco illis solis insistent? Putidum illud & duplex mendacium vno verbo notasse satis erit. Nos Catholici Scripturas sanctas veneramus, tractamus, & earum genuinos ac germanos sensus contra execrabiles Calvini corruptelas, quanto studio possumus, tuemur & propugnamus.

Sequitur adhuc in Calvino. *Sed nos meminimus solam à filio Dei probari fidem qua ex Apostolorum doctrina concipitur. Porro certum eius testimonium non alibi reperitur quàm in ipsorum scriptis.* Sic quidem tu, Calvine, narras. Sed audi quid aduersum te & hæreticos omnes, doctrinæ & prædicationis Ecclesiasticæ hostes, ab annis iam 1400. doctissimus præscripsit Tertullianus: *Quid prædicauerint Apostoli id est, quid Christus illis revelauerit, & hic præscribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando tam viva voce quàm per epistolas postea.* Apostolorum doctrina ab Ecclesiis, quibus illam tradiderunt, discenda est. Illæ Ecclesiæ nõ scripta tantùm Apostolica, sed & traditiones Apostolorum non scriptas, à suis maioribus acceperunt, nobis tradiderunt. Illud imprimis ac disertè Thesalonicensem Ecclesiam docente Paulo. *Tenete, inquit, traditiones quas accepistis siue per sermonem (quod est viva voce) siue per epistolam.* Censuit ergo Paulus non minus certum Apostolicæ doctrinæ testimonium in traditionibus Apostolicis viva voce datis, quàm in scriptis Apostolicis reperiri. Ita contra Calvinum multò magis præscripsit Paulus. Sed & à filio Dei Iudice illa hoc loco probatur fides, quæ per Apostolos viva voce tradita est, nulla scripturarum aut mentione facta aut insinuatione data. *Qui per verbum (inquit)*

In libro de corona m. litu.

De Spiritu Sancto c. 27.

In 1. Thes. 2.

Epi. 119.

Apostolorum doctrina non in solu Scripturis.

Tertul. in lib. Præscript. hæret. cap. 21.

2. Thes. 2.

Calvinus
ex seipso
refutatur.

eorum credituri sunt in me. Notanda est locutio (ait hoc loco Calvinus ipse) *Credere per sermonem: quæ significat fidem ex auditu nasci, quia organum, quo nos ad fidem trahit Deus, est externa hominum prædicatio.* Pulchre admodum, hinc enim liquidò constat illam Apostolicam doctrinam hoc in loco à Christo commendari, quæ per viam Ecclesiarum Apostolicarum prædicationem ad nos deriuatur, & quam ex tradita viua voce doctrina accepimus, non illam quæ in scriptis Apostolorum reperitur, vtpote quæ nec organum tale est à Deo institutum, nec vel hinc vel alibi tanquam vnicum & perfectum credendi medium proponitur.

21. *Vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.*

Vnitatis
fidelium
duplex.

1. Ioan. 3.

PRO duplici hinc fidelium vnitatem orat Christus: vna quæ ipsorum inter se ipsos est, ratione vnus fidei, eiusdem religionis, & mutæ charitatis. Hanc expressit in illis verbis: *Vt omnes vnum sint.* Altera quæ cum Deo & Christo est, vt per gratiam, fidem, charitatem Deo vniantur credentes, cum illo coniungantur, in illo maneat, ac denique Deus in ipsis sit, iuxta illud D. Ioan. *Qui manet in charitate, manet in Deo, & Deus in eo.* Hæc posteriorem vnitatem explanat Christus per illam quæ est inter ipsum & Deum Patrem vniõnem. *Sicut* (inquit) *tu Pater in me, & ego in te.* Hæc autem explanatio nõ ponit æqualem prorsus inter Deum & nos vniõnem, illi quæ Christo cum Patre vniõ fuit, sed similem tantum: quando vniõ Christi cum Patre naturalis est, nostra accidentalis, & per gratiæ dona. Quum igitur Ariani ex his Christi verbis non aliam esse Christi cum Patre vniõnem, quàm quæ nobis cum Deo est, probare vellent, ideòque aut nos esse Deo consubstantiales, aut Christum Patri consubstantialem non esse: antiquissimi & doctissimi Patres Athanas. Cyrillus Alexandr. & Hilarius, eo modo hanc illorum cauillationem repulerunt, vt agnoscerent quidem vniõnem inter Christum & Patrem non nisi naturalem his verbis designari, nostram vero cum Deo vniõnem ex similitudine, non ex æqualitate aut paritate, per illam à Christo explanari. Hanc doctissimorum Patrum responsionem ac sententiam in fauorem Arianorum vellicat, taxat, suggillat, ac damnat superbus & impius Calvinus, sic in hunc locum scribens. *Tenendum est, quoties vnum se cum Patre esse in hoc capite pronuntiat Christus, sermonem*

Sermons
4. cont.
Arianos.
Lib. 1. ca.
26 in Ioan.
nem.
Lib. 8. de
Trin.
Arianos
defendit
Calvinus
contra vet.
Patres.

non haberi simpliciter de diuina eius essentia, sed unum vocari in persona mediatoris (quasi persona Christi esset vnita Patri, cuius nec natura humana vnita Patri est, sed soli Filio; aut quasi ipsi Dei Filio aliqua persona mediatoris Christi vnita esset, ac non sola natura humana in vna & eadem vtriusque naturæ persona) & quatenus caput nostrum est. Sic quidem præcisè multi ex Patribus interpretati sunt, Christum unum esse cum Patre, quia æternus sit Deus. Sed hæc eos abripuit contentio cum Arianis, ut concisas sententias in alienum sensum torquerent. Hæc Aristarchus ille & censor superbissimus. Minus nunc miramur si recentiores interpretes Catholicos, Pastores, & Doctores, nouellus Ministellus despiciat, postquam columnas ipsas & potentissimos veterum hæreticorum Antagonistas fastuosus iste & turgidus Gallus sic ex alto despicit, ut in alienum sensum Christi verba torquere eos pronunciet ac proclamet. Audiamus tamen Aristarchi (si quas habet) tam arrogantis iudicij causas. Longè (inquit) aliud Christi consilium fuit, quàm ad nudam arcana diuinitatis suæ speculationem nos euehere. Siquidem à fine ratiocinatur, idèo nos debere unum esse, quia alioqui inanis & infructuosa esset quam habet cum Patre vnitas. Quid ego audio? Nisi nos unum simus per gratiam, Christi cum Patre vnitas inanis atque infructuosa erit? Quæ, obsecro, Christo cum Patre vnitas alia est, quàm naturæ diuinæ, quæ in Christo erat, cum Deo Patre identitas? An Christus vt mediator & homo Patri fuit vnitas? An Deus Pater humanam naturam assumpsit? Annon solus Dei Filius factus est homo? Christi igitur cum Patre, vt homo est, nulla naturalis vnitas est, sed cum sola persona Filij Dei. Christus cum Patre unum esse in Euāgelio dicitur quatenus Deus est, non quatenus homo. Hæc vnitas Christi Filij Dei cum Patre in vna & eadem diuina natura, à nostra vnitate siue inter nos, siue cum Deo, minimè pendet. Integra, perfecta, omnibus numeris absoluta ab æterno est, fuit, & erit, siue homines Deo per gratiam vniantur, siue non. Dicit fortè Calvinista aliquis Calvinum hoc non negare, sed de vnitate humanæ naturæ in Christo cum ipsa diuinitate loqui, quam Patris nomine expressit, non personam, sed naturam Patris, quæ cum Filio eadem est, hoc vocabulo denotans. Atqui nec ita excusari potest. Ait enim in sequentibus. Ita optimè stabit contextus, ne irrita sit vel inutilis Filij cum Patre vnitas, eius virtutem oportere in totum piorum corpus diffundi. Ecce loquitur de vnitate Filij Dei cum Patre. Hæc vnitas est vna & ca-

Caluini
crassa igno-
rantia.

dem diuinitas, seu vna & eadem essentia ac natura diuina. An hæc in duabus illis personis naturæ vnitas à nostra cum Deo vnitate pendet, vt absque hac nostra inanis & infructuosa illa altera sit? Quid absurdius, quid magis impium dici potuit? quasi Dei perfectio à nostra penderet, aut quasi ante constitutionem mundi, & creatum hominem ad imaginem & similitudinem Dei, Deus ab æterno non foret vnus in tribus personis, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

Cæterùm demas Calvinum in toto hoc sermone, non quidem absurdè & impiè, sed impropiè tantùm aut parum consideratè loquutum fuisse, & hoc eum dicere voluisse; *Nos debere vnum esse, quia alioqui inanis & infructuosa esset, non sanè Filij Dei cum Patre, sed assumptæ à Filio Dei sibi que vnitæ humanæ naturæ vnitas.* Sic enim adhuc prosequitur. *Ergo vt ritè comprehendas quò pertineat istud, Christum & Patrem vnum esse, caue ne Christum exuas mediatoris persona. Sed eum potius considera vt est Ecclesia caput, & membris suis coniūge. Ita optime stabit contextus, ne irrita sit vel inutilis Filij cum Patre vnitas (dicere debuit Christi mediatoris cum Deo vnitas) eius virtutem oportere in totum piorum corpus diffundi. Vnde etiam colligimus nos vnum cum Christo esse, non quia suam in nos substantiam transfundat, sed quia Spiritus sui virtute nobiscum vitam suam, & quicquid accepit à Patre bonorum, communicet.* Hæc ille. Hic sanè sensus quòd Christi mediatoris cum filio Dei vnitas, seu vnio hypostatica irrita & inutilis esset, nisi in eum credentes vnum cum Deo essent, probabilis & pius sensus est; quia ideò facta est hæc vnio, ideò *Verbum caro factum est*, vt qua dispersa erant, congregaret in vnum, & hospites atque aduenas, quasi que homines sine Deo in hoc mundo, sanctorum ciues ac domesticos faceret; denique vt *pax nostra esset, faciens omnia vnum.* Hic, inquam, sensus pius ac probabilis est, quia mundi conciliatio incarnationis dominicæ finis erat. Cæterùm Christus hoc loco non causam vnionis nostræ cum Deo tractat; sed pro illa Patrem orans, qualem & quantum illam esse velit, ex vnione ipsius cum Patre (quæ non nisi naturæ diuinæ vnitas est) exponit. Non dicit, *Vt sint vnum*, quia tu Deus in me es, & ego in te; sed dicit, *Vt sint vnum sicut tu Pater in me (Filio) & ego (Filius) in te Pater sum.* Nulla ergo hæc fuit ratio cur Patrum sententiam reprobaret Calvinus. Certum quippe ex his est, sententiam Christi iuxta eius verba optime illos tenuisse, Calvinum verò à sententia Christi longè recessisse,

Ioan. 1. &
13.

Ephes. 2.

At, inquires, utcumque à litera recessisse videatur, nec illam unitatem expressisse de qua propriè Christus loquitur, sensum tamen pium & probabilem ab eo redditum agnoscit. Sensus sanè quem suprâ expressi, qui ex Caluini verbis aliquo modo colligi posse videtur, pius ac probabilis est: verum enim verò in hoc pio ac probabili sensu impium nobis & pestilens toxicum coxit Calvinus. hæc enim Caluini verba, *oportere virtutem Christi in totum piorum corpus diffundi, & Spiritus sui virtute nobiscum vitam suam, & quicquid accepit à Patre bonorum, Christum communicare*, ad imputatiuam Caluini iustitiam obiter instillandam callidè concepta sunt. Sic enim, iuxta Calvinum; Christi virtus in omnes pios diffunditur, quatenus illi in sese impij atque immundi absque vlla inhærente ipsi iustitiæ qualitate, sola Christi iustitia vestiuntur. Sic rursus, iuxta Calvinum, Spiritus sui virtute Christus nobiscum omnia sua communicat, quatenus suam omnem iustitiam ac sanctitatem nobis imputat, quam eius Spiritus in nobis obsignat, suo testimonio eius nos certiores immò certissimos faciens. Hæc est vnitas nostra cum Christo iuxta Calvinum, non vera, non realis aliqua donorum participatio, non vera & realis conformatio animorum, aut vera interna renouatio, qua Deo assimilemur & vniamur, sed omnium quæ in Christo sunt per fidem quandam imaginariam fortis apprehensio, quæ dicit, *Crede quod habes, & habes*. Sic ille hunc locum veteratoriè tractans, nec unitatem inter Christum & Patrem tenuit (vereres Patres circa eius sensum superbissimè sugillans) nec unitatem nostram cum Deo, pro qua Christus hæc orat, piè ac salubriter, sed vafre ac fallaciter expressit. Hæc est vnitas nostra cum Deo, ut per fidem & dilectionem Deo vniamur. *Desponsavi te fide*, ait vna scriptura. *Qui manet in charitate, manet in Deo*, dicit alia; virumque coniungens Apostolus dicit, *Christum habitare per fidem in cordibus nostris, in charitate radicatis & fundatis*. Sed alia adhuc vnio nostra cum Christo maior atque perfectior est, quàm in proxima sententia à Domino traditam paucis explicabo.

*Caluini
occultum
toxicum
aperitur.*

*Vnitas nostra cum Deo qualis.
osea 2.
1. ioh. 3.
Ephes. 3.*

Et ego claritatem quam tu dediisti mihi, dedi eis, ut sint vnum, sicut & nos vnum sumus.

Postquam in proximè præcedentibus verbis rogasset Patrem Christus duo; vnum, ut credentes in se vnum faceret inter se ipsos; alterum, ut in Patre ac Filio siue in Deo

vnum essent, sicut ipsi inter se Pater ac Filius vnum sunt: nūc
 de alia quadam vnitāte loquitur, pro qua Patrem non orat,
 sed quam seipsum suis discipulis iam dedisse affirmat, me-
 diante quadam claritate ab ipso Deo Patre accepta: Ego (in-
 quit) *claritatem quam tu dedisti mihi, dedi eis, ut* (hac median-
 te claritate) *vnum sint, sicut & nos vnum sumus.* Quænam sit
 ista claritas, & quid huius claritatis vocabulo significetur,
 non parua quæstio est. Aliqui hoc nomine gloriam corporis
 futuram designari volunt, & verbum præteriti temporis si-
 gnificationem habere futuri. Sed ista corporis gloria non fa-
 cit beatos vnum cum Deo, quam nihil in Deo corporeum
 sit. Deinde illa quoque petenda erat à Patre, sicuti Christus
 sui corporis gloriam à Patre rogauit in verbis præcedenti-
 bus: *Clarifica me, Pater, claritate quam habui antequam mun-
 dus fieret.* Petit humanæ naturæ suæ glorificationem Filio
 Dei dignam, & qualem ipse ab æterno habuit, vt illa in cor-
 pus suum redundet. Alij hoc claritatis vocabulo filiationem
 significari volunt, quam Christus iam suis discipulis dede-
 rat, faciens eos filios Dei per adoptionem, sicut ipse erat filius
 Dei per naturam. Quæ certè expositio probabilis est. Sed quia
 illa in prioribus verbis expressa erat, vbi orauit Christus, vt
 vnum essemus in Deo, & hæc adoptio filialis ipsamet vnio
 nostra cum Deo est, non aliqua claritas quæ facit nos vniri
 (qualem hic exprimit) literalem sensum non attingit. Eisdem
 quoque de causis nec *imaginis diuine in nobis reformatio* (quæ
 hic ponit Calvinus) hæc claritas esse potest: vt pote quæ no-
 stræ vnionis cum Deo non causa, sed effectus est, vel certè
 ipsa formalis vnio: pro qua & Christus orauit, non quam ha-
 ctenus dederat. Denique nec glorificationem, nec filiationem
 nec reformationem nostram, Christus à Deo accepit. De ta-
 li autem claritate loquitur Christus, qualem ipse à Deo ac-
 ceperat. *Claritatem quam tu dedisti mihi.* Inuestiganda igitur
 claritas, quam & Christus à Patre accepit, & suis discipulis
 iam dederat, & talis denique sit vt vnum nos cum Christo fa-
 ciat, sicut Pater & Filius in diuinis vnum sunt. Hæc sanè cla-
 ritas non est alia quam ipsa diuinitas Christi, quam ille vt
 homo à Patre adeoque à tota Trinitate accepit, quia vnio
 illa hypostatica Dei & hominis in Christo, opus erat totius
 Trinitatis, tamen sola persona Filij Dei illum hominem as-
 sumpsit, & assumptionis illius terminus fuit. Dicit igitur
 Christus: *Hanc claritatem & gloriam, hanc diuinitatem quam
 tu dedisti mihi, id est, carni meæ vniam; ego etiam dedi illis,
 dando*

1. *Claritas
 Christo à
 Patre da-
 ta, & Apo-
 stolus Chri-
 sto, quæ &
 qualis.
 2. Sensus.*

2. *Sensus.*

3. *Sensus.*

4. *Sensus
 & verus.*

*Claritas
 Christi in
 Sacramē-
 to Eucha-
 ristie Apo-
 stoli data.*

dando eandem carnem meam diuinitati meæ coniunctam in cibum & alimentum spirituale: *ut sint unum*, non solum per gratiam, & spirituales quoad animas, sed etiam per realem quandam & corporalem vnionem; *sicut & nos unum simus*, non voluntatis tantum & spirituali consensu, sed etiam hypostatica naturarum coniunctione. *Ego in eis*, videlicet per carnem meam in cibum illis datam; *& tu in me*, quia diuinitas tua est carni meæ vnita; *ut sint consummati in unum*, id est, unum quoddam fiant nobiscum profecto modo: dum non solum vniantur inter se & cum Deo quantum ad animos (quod fit per Spiritum sanctum) sed etiam quantum ad corpora ipsa. *Et cognoscat mundus*, id est, ex hac illis claritate data, & hac in illis vnione facta, cognoscat & credant credentes; *quia tu me misisti*, id est, me esse Filium tuum à te missum. Non enim aliter vniri poterant nobiscum, nisi diuinitatem haberem in ea carne quam dedi eis; *& dilexisti eos, sicut me dilexisti*, id est, cognoscat quoque te simili quadam dilectione eos dilexisse qua me dilexeras; quando idem beneficium, eandem diuinitatem tuam, quam mihi dedisti, eis quoque à me dari voluisti. Simili dico, non pari, quia diuinitas carni Christi immediatè coniuncta fuit, nobis autem mediante Christi carne coniungitur. Hęc est hoc loco tota Christi sententia, ex variis membris plenòque sermone à doctissimo interprete Fracisco Toletò collecta. Sic ipsa Christi verba exactè tenentur, & cum consequentibus aptissimè connectuntur. Nec fuit hic sensus Patribus incognitus. Cyrillus Alexand. aduertens in illis verbis Christi, *Sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint*, maiorem quandam exprimi vnionem, quàm voluntatis & consensus, quia & inter Christum & Patrem maior vnio est. *Considerandum* (inquit) *est, si ad unitatem consensus & voluntatis, naturalem etiam inuenire possimus, per quam nos inter nos & omnes Deo colligemur*. Tandem post aliquam inquisitionem & disputationem ita concludit. *Vt igitur inter nos & Deum singulos vniret Christus, quamuis corpore simul & animo distemus, modum tamen adinuenit, consilio Patris & sapientie sue congruentem*. Suo enim corpore credentes per communionem mysticam benedicens, & secum, & inter nos, unum nos corpus effecit. *Quis enim eos qui vnus sancti corporis vnione in vno Christo vniti sunt, ab hac naturali vnione alienos putabit?* Hęc ille, multis postea verbis rem eandem confirmans, maximè ex illis Pauli verbis: *Omnes unum corpus & vnus panis sumus, qui de*

Vnio nostra cum Christo corporali.

In Ioan. lib. ii. cap. 26.

1. Cor. 10.

uno pane participamus. Rursum ad illa ipsa verba quæ nunc tractamus, Ego claritatem quam dedisti mihi, &c. postquam claritatem à Deo Christo datam exposuisset, ipsam diuinitatem humanæ eius naturæ coniunctã, quomodo eadem claritas nobis sit data, vt vnum simus cum illa, sicut ille & Pater vnum sunt; hoc iterum modo rem exponit. Corporaliter Filius per benedictionem mysticam nobis vt homo vnitur; spiritualiter autem vt Deus, sui Spiritus gratia, nostrum ad nouam vitam & diuinam naturam participationem, spiritum redintegrans. Denique & illa Christi verba, Vt sint consummati in vnum, hac eadem ratione exponit. Consummati sumus redactiq; ad vniõnem Dei Patris, mediatione saluatoris, id est, Christi: Filiũ enim Dei natura Patri vnitum, corporaliter substantialiterq; (vt dictum est) accipientes, clarificamur, glorificamurq;, supreme facti natura participes. Hæc iterum ille, literæ Euangelicæ sensum exactissimè secutus. Sed & B. Hilarius Latinæ Ecclesiæ lumen, vt Cyrillus Græcæ, hanc nostram cum Christo ac Deo vniõnem, de qua Christus hinc loquitur, eodem quoque modo intellexit; adeoque ex nostra cum Christo ac Deo vniõne plusquam spirituali probat Christũ cum Patre vnum esse non spirituali tantũ, sed & naturali coniunctione. Sic enim contra Arianos disputans scribit. Eos qui inter Patrem & Filium voluntatis ingerunt vnitatem, interrogo, vtrumne per naturam veritatem hodie Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis. Si enim verè Verbum caro factum est, & nos verè Verbum carnem cibo dominico sumimus; quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturam carnis nostræ iam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam aternitatis sub Sacramento nobis communicanda carnis admiscuit. Ita enim omnes vnum sumus: quia & in Christo Pater est, & Christus in nobis est. Hæc ille. Tenemus nunc quæ & quanta sit hæc vniõ nostra cum Deo, non solum spiritalis, pro qua Christus prius orauit, sed etiam naturalis & corporalis, quam ipsemer se Apostolis suis contulisse affirmat, vt sint consummati in vnum. Impie igitur Calvinus hoc loco conclusit. Vnde colligimus, nos vnum cum Christo esse, non quia suam in nos substantiam transfundat, sed quia Spiritus sui virtute omnia nobis bona comunicet. Iam enim didicimus, quòd claritatem quam dedit ei Pater, ipse nobis dedit, suam nobis substantiam & carnem & sanguinem suum cum diuinitate quam à Patre accepit coniunctam communicando, vt simus consummati in vnum, & vt cogno-

De Trinit.
 lib. 8.

scant omnes credentes, tum Christum Dei Filium esse, qui sua carne communicata, diuinæ naturæ consortes nos facit, tum maximam in nos Dei dilectionem esse, qui tanto & tam diuino Dei beneficiis nos donauit. Vtramque hanc fidei & consolationis nostræ partem, quam Christus Dominus tanto hinc cum affectu commemorat, impius Calvinus, & Sacramentarij omnes nefariè sustulerunt, eaque Ecclesiam Dei, vt robusti latrones spoliarunt, profanato hoc diuinissimo Sacramento, & ad vnum panis frustulum viniq; vulgaris haustum reducto. De qua impietate plura super Matth. cap. 26. diximus.

IN IOANNIS CAP. XIX.

7. *Nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori, quia Filium Dei se fecit.*

SERVAT hoc loco Calvinus, & in ipsos Catholicos contorquet, in quo ipse maximè peccauit, & quod vix in quempiam magis quàm in illū, vnum quadrat: *Hæc (inquit) accusatio non prorsus carebat pretextu; sed in hypothese grauiter errabāt. Generalis quidem doctrina vera erat, fas non esse hominibus, quicquam sibi diuini honoris sumere, ac morte dignos esse, quicumque ad se traherent quod vnius Dei proprium erat. Causa autem erroris in Christi persona fuit, quod neque reputarūt quibus elogijs Messiam predicet Scriptura, quia inde colligere promptum erat esse Filium Dei; nec etiã inquirere dignati sunt, essetne Iesus ille Messias olim à Deo promissus. Videmus ergo, vt ex vero principio falsam consequentiam deducūt, quia malè subsumunt. Quo exemplo monemur inter doctrinam generalem & hypotheses sedulo distinguere. Multi enim imperiti & leues homines, si semel decepti fuerint veri pretextu, ipsa quoque scriptura principia reijciunt. Quæ licentia hodie plus iusto in mundo grassatur. Memnerimus ergo sic cauendum esse à fallacijs, vt principia quæ vera sunt, integra maneant, nec labefactetur scriptura fides. Rursus hoc modo facile refutare impios licebit, qui scripturae testimonium, & quæ inde sumunt principia, malis causis falsò & perperam obtinent. Tota hæc Caluini narratio vera est & salutaris, sed in ipsum vnum potissimùm quadrat; qui quàm multa scripturae testimonia, & quæ inde sumpsit principia, malis causis falsò & perperam obtenderit, quoties ex veris principijs falsas cōsequencias deduxerit pessimè subsumens, quàm frequen*

Consequen-
tiam Cal-
vini ex scri-
pturis de-
pravatis
exempla.

frequenter inter doctrinam generalem & hypotheses non distinxit, hæc sola quæ hæctenus cõtra eius corruptelas posuimus Antidota lectorem docere possunt. Videat, qui volet, singularia & manifesta harum rerum exempla ad Matth. cap. 9. vers. 21. & 36. ad Matth. cap. 11. vers. 12. ad Matth. cap. 15. vers. 1 & 9. ad Matth. cap. 16. vers. 1. & 6. & 23. ad Matth. cap. 21. vers. 21. & 23. & 42. ad Matth. cap. 22. vers. 21. ad Matth. cap. 23. vers. 15. & 29. ad Matth. cap. 24. vers. 12. & 24. ad Luc. cap. 4. vers. 16. ad Lucæ cap. 9. vers. 54. ad Lucæ cap. 12. vers. 48. ad Lucæ cap. 23. vers. 43. ad Ioan. cap. 1. vers. 18. ad Ioan. cap. 8. vers. 39. & 41. & 53. ad Ioan. cap. 9. vers. 15. ad Ioan. cap. 10. vers. 1. ad Ioan. cap. 12. vers. 13. ad Ioan. cap. 16. vers. 2. Et tot quidem ille in locis inter doctrinã generalem & hypotheses non distinguens, Scripturæ testimonia pessimæ suæ causæ falsò & perperam obtendit, & ex veris principiis falsas consequentias deduxit.

Calvinus
suo iudicio
à numero
filiõrum Dei
segregatur
Instit. lib.
4. cap. 8.
num. 12.

Ibidem c.
9. num. 3.
& 4.

Nunc à nobis idem crimen patrari docere conatur, quod hoc loco dissimulandum non est. *Sicuti* (inquit) *quum hodie Papiستا Ecclesia auctoritatem magnificè extollunt, nihil afferunt in quò non consentiunt filij Dei. Ecclesiam esse fidelium matrem, esse columnam veritatis, esse audiendam, regi à Spiritu sancto contendunt, nihil horum negandum est.* Ergo impius Calvinus est, & à numero filiorum Dei segregandus, qui istud aperitissimè alibi negat. Cum enim vno in loco statuat, *Ecclesiam columnam & firmamentum veritatis, à Paulo vocari, eò quòd in Ecclesia conseruetur Dei veritas predicationis ministerio; quemadmodum Paulus docet, Christum dedisse Apostolos, Pastores, atque Doctores, ne circumferamur quolibet vento doctrinae, ut ab hominibus non deludamur* (in quibus verbis agnoscit Ecclesiam idèò non errare, quia Pastores in illa non errant, quorum ministerio conseruetur veritas) tamen capite sequenti longa disputatione eos refutare conatur, *qui in Ecclesia remanere veritatem non putant, nisi inter Pastores consistet.* Moxque probare contendit, ipsa concilia Episcoporum generalia errare posse, *quia veteris populi Sacerdotes errauerunt, quia Petrus in Ecclesia futuros pseudopphetas predixit: quia Paulus Antichristum in templo Dei sessurũ pronunciauit: quo* (inquit Calvinus) *significat Apostolus, non aliunde venturam horrendam illam calamitatem, de qua ibi loquitur, nisi ab ijs qui pro Pastoribus in Ecclesia sedebunt.* Cui nunc obscurum est, Calvinum illum esse, qui hæc omnia, quorum nihil negandum esse dixerat, negat impudenter: hæc, inquam, *Ecclesiam esse matrem fidelium, esse columnam veritatis, esse audiendam,*

regi à Spiritu sancto: ideòque errare non posse? Pergamus tamen, & sequentia videamus. Sed quum trahere ad se volunt quicquid iuris Ecclesia debetur, improbè & sacrilega audacia rapiunt, quod nihil ad se pertinet. Nam hypothese[m] expendere conuenit, an ipsi Ecclesia titulum mereantur. Hic autem prorsus deficiunt. Ita quidem Caluinus; sed nec vno verbo hunc in nobis defectum probans, seipsum prorsus defecisse demonstrat. Nec vno verbo docens cur Ecclesia Catholica, etiam ab ipsis aduersariis ita nuncupata, pro vera Ecclesia habenda non sit, hinc prorsus defecit. Cæterum hanc hypothese[m] verissimam esse, nosque Dei beneficio Catholicos antiquæ & Romanæ Ecclesiæ adhærentes, verè Ecclesiæ titulum ac rem habere, luculenter olim pro modulo nostro à nobis demonstratum est.

De Princ.
fidei lib.
4. cap. 18.
& seqq.

Aliud contra nos exemplum proponit Caluinus, in quo non minùs turpiter se dedit. Similiter cum furiosè in omnes pios seuiunt, hoc se colore excusant, quòd ordinati sint ad tuendam fidem & pacem Ecclesiæ. Sed ubi propius ad rem ventum est, clarè perspicitur nihil minus eos habere in animo quàm verè doctrinæ patrocinium, nulla minus quàm pacis & concordia cura tangi, sed pro sua tyrannide dumtaxat pugnare. Qui generalibus principijs contenti ad circumstantias non attendunt, nos meritò putant à Papistis oppugnari, sed causæ cognitio fumos illos, quibus illudunt, facile discutit. Error in hypothese[m] quem hic ponit Caluinus, in hypothese[m] magis erronea fundatur, idque duplici nomine. Primùm, quia de intentione Ecclesiæ hæreticos persequentis iniquè & impiè iudicat, eam videlicet non concordia & pacis studio, sed pro sua tyrannide pugnare. Tu verò quis es qui iudicas alienum seruum? & cur ante

tempus iudicat de aliorum factis Caluinus, qui neque de se ipso iudicare potuit; sed magis aliam ob causam erronea est Caluini hypothese[m]: Se videlicet ac suos immeritò à Papistis oppugnari, quia causæ cognitio fumos omnes discuteret. Atqui de causâ Caluini iam in istis Antidotis Euangelicis vtrunque cognouimus, in Apostolicis adhuc vberius cognituri, eum esse impostorem maximum, diuinæ Scripturæ deprauatorem pestilentem, hæreticorum dogmatum assertorem ac defensorem acerrimum, ac denique, vt à quodam Lutherano doctore meritissimè vocatur, acutum diaboli organum. Cuius videlicet artibus aleatorijs, strophis, præstigijs, metaphoris ac metonymijs, plurima & apertissima diuinorum Scripturarum testimonia eladuntur, nobisque eripiuntur,

Rom. 14.
1. Cor. 4.
Caluini
causa excussa qualem eum demonstrat.
Aegidius Hunnius professor Vvirmbergensis in libro Caluinus iudaizans.
pag. 57.

quæ

quæ S. Trinitatem, Christi Redemptoris nostri diuinitatem, eiusdem aduentum, & natiuitatem, & passionem, mortem, resurrectionem, ascensionem in cælos, tam in veteri quam in nouo testamento contra Iudæos probant, confirmant, elucidat, vt variis exemplis doctor ille Lutheranus ex Caluini scriptis demonstrat. Hæc sanè tota causæ Caluinianæ cognitio non fumos nostros discutiet, quibus nos illudimus; sed fumos Caluinianos excutiet, totique mundo propalabit, quibus ille hætenus innumeris sectariis suis ad certam eorum perniciem, pestilenter illudit. Tam aptè & dexterè sua contra nos exempla prouulit Caluinus, vt quo ipse crimine flagrat maximè & creberrimè, idem aliquo modo in nos Catholicos retorqueat.

Simili hypothefi ad sequentia proximè verba vtitur: *Dicitur horrendum esse, quàm superbè & ferociter à Papistis damnetur clara & testata Dei veritas, & innoxius sanguis fundatur. Scilicet Caluini hæreses, & diuinarum Scripturarum deprauationes foedissimæ, clara sunt & testata Dei veritas.* Caluino quoque licuit Seruærum Arianum flammis absumere, & Catholicis Principibus nõ licebit de seditiosis & impiis Calvinistis supplicium sumere. Tales sunt Caluini hypothefes.

20. *Et scriptum erat Hebraicè, Græcè, & Latinè.*

PUICHRAM hinc sibi in Catholicos oblatrandi occasionem canis Caluinus inuenisse visus, vt nullam nõ arripit, hunc in modum allatrat. *Notandum est quòd execranda sit tyrannus Papistica, quæ plebem ab Euangelij & totius Scriptura sacra lectione arcet. Pilatus homo reprobus, & alioqui Satanae organum; arcano tamen instinctu destinatus fuit Euangelij præco, vt breuem eius summam tribus linguis vulgaret. Qui ergo eius notitiam, quantum in se est, suppressam curant, quo loco nobis habendi sunt, qui se prodant Pilato nequiores? Redigamus in breuem argumenti formam, confusam hanc importuni hominis vociferationem. Pilatus in tribus linguis doctis, Græca, Hebraica, & Latina, titulum cruci impoluit, qui nomen, patriam, & causam Christi crucifixi præsentibus Hebræis, Græcis, Romanis, demonstraret. Ergo qui totam Scripturam toti vulgo in lingua vulgari legendam negant, Pilato nequiores sunt, & execrandam tyrannidem exercent. Quis vel mediocriter literis imbutus, hæc stolidam & insulsam consecutionem statim non irridet, explodit, & execratur? Vide enim in*

*Consequen-
tia Calui-
ni ridicu-
la.*

quot

quot & quàm multis toto penè cælo discrepant, quæ tam affi-
 nia & coniuncta Calvinus voluit; vt vnum ex altero necessa-
 riò consequi debere iudicauerit. Pilatus non nisi in linguis
 doctis illum titulum posuit. Calvinus concludit de lingua
 cuiusque vernacula & barbara. Pilatus solum titulum erexit
 qui nomen, causam, & patriam Crucifixi designaret. Calui-
 nus, de tota scriptura concludit. Pilatus presentibus tantum,
 nec ad vllam instructionem, sed vel ad iudæos irridendos
 quorum pertinaciæ infensus erat, vel ad ipsius Christi con-
 temptum, quasi regnum affectantem crucifixisset, talem ti-
 tulum erexit. Calvinus de toto populo Christiano conclu-
 dit, cui hoc exemplo tota Scriptura ad necessariam instru-
 ctionem promiscuè legenda permitti debeat.

1.

2.

3.

August. in
 Psalm. 56.
 Chrysost.

Deinde quàm ridiculè narrat *breuem Euangelij summam*
tribus linguis Pilatum vulgasse! An ad Euangelium pertinet,
 Christum esse regem Iudæorum? Immo nihil magis Euan-
 gelio contrarium, quod propriè in omnium Gentium voca-
 tione, salute, redemptione per Christum facta consistit, vt
 tota Scriptura Euangelica & Apostolica demonstrat.

Ad rem ipsam quod attinet de Scripturis populo in lingua
 vernacula communicandis, nullam tyrannidem exercet Ec-
 clesia Catholica, quæ communicationem illam nec in vni-
 uersum prohibet, nec in vniuersum probat, sed *veluti prudēs*
paterfamilias sciens dare in tempore tritici mensuram, vulga-
 rem aliquam S. Scripturæ editionem illis de populo cōcedit,
 quibus expedire ordinarij Pastores iudicabunt. Sic enim cen-
 suit atque præscripsit Conciliū hodie Tridentinum in Indice
 librorum prohibitorū; idque doctissimorū Patrum vestigiis
 inhærendo, Hieronymi, Gregor. Nazianzeni, & aliorum, qui
 promiscuè à toto populo scripturarum lectionem, rem esse
 periculi magis plenam quàm vtilem & salutarem iudicarūt.
 Nam Chrysostomus & alij Patres, qui ad Scripturarum le-
 ctionem suos hortantur, non ad quosuis è plebe, sed ad gra-
 ues & cordatos viros illam exhortationem fecerunt.

S. Scriptu-
 ra lectio
 an plebi
 concedenda

Reg. 4.

Hieron. in
 Epist. ad
 Paulin.
 Gregor.
 Nazianz.
 in oratione
 de mode-
 rat. in di-
 sputat.
 seruanda.

23. *Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta*
per totum. Dixerunt ergo ad inuicem: Non scin-
damus eam, sed sortiamur de illa cuius sit.

CVM tunica Christi inconsutilis hoc loco ex communi
 Doctorum sententia atque imprimis sancti Augustini,
 quam Christi Ecclesiam, quæ vna semper & indiuisa est, my-

Tract. 118.
 in Ioan.

sticè significet; vestimentorum verò diuisionem hæreticos significare, qui diuinas scripturas discerpunt ac lacerant, alij interpretes in hunc locum scribant: ægerimè hoc ferens Caluinus, hoc iterum in loco magna vociferatione allatrat. *Minimè (inquit) ferenda est Papistarum improbitas, cum horribili Dei blasphemia coniuncta. Scripturam dicunt ab hæreticis lacerari, tunicam verò, hoc est, Ecclesiam, integram manere: ut, reiecta Scripturæ autoritate, fidei unitatem in solo Ecclesia titulo cõsistere euincant.* Aduerte impostoris artem, qui duplici mendacio Catholicorum sententiam obliterauit. Primùm, non in solo Ecclesia titulo, sed in sola vera Christi Ecclesia, unitatem fidei consistere affirmamus. Deinde, Ecclesiam manere integram & vnã, Scripturas verò ab hæreticis lacerari, non ob eam causam affirmamus, ut, reiecta Scripturæ autoritate, fidei unitatẽ in sola Ecclesia ponamus; sed ut ad Scripturæ autoritatem purè & illibatè seruandam, ab Ecclesia discamus quid Scriptura doceat, quis diuinarũ Scripturarum sensus legitimus sit, & quæ demum sint veræ & canonicæ Scripturæ: ne vel apocryphos libros pro veris, vel sensus aduertesinos pro legitimis admittere cogamur. In hoc ergo duplici mendacio tota nititur & fundatur Caluini subsequens declamatio. Sic enim posterius mendacium prosequitur. *Quasi verò ipsa Ecclesia unitas, alibi fundata sit, quàm in Scriptura fide. Quum ergo fidem à Scriptura diuellunt, ut uni Ecclesia addicta subiaceat, tali diuortio non iam Christum despoliant, sed crudeli sacrilegio discerpunt eius corpus.* Fingit homo nequam despici ac reici à nobis Scripturas, quia Ecclesiam saluam & integram esse volumus; nos verò idèò Ecclesiam vnã tenemus; nec nouos magistros, alienos ac lupos audire sustinemus; ut de ipsa diuina Scriptura eiusque legitimo sensu certi ac securi esse possimus. Quæ vna res ut melius intelligatur, & qua fraude Caluinus tam suam solius Scripturæ reuerentiam tueri & colorare, quàm Catholicos autoritati Ecclesiasticæ inuitores traducere nititur. certius omnes perspiciant (est quippe res maximi momenti, & in quatum nos maximè accusant, tum sese plurimum venditant horum temporũ hæretici) totam hęc Caluini disputationem artificiosam alio in loco habitam subiiciam, eiusque vanitatem mutatis tantùm terminis perspicuè aperiam; sic enim in sua Institut. scribit Caluinus. *Atq; ut melius intelligant lectores, in quo potissimum cardine versetur hæc questio, quid postulent nostri aduersarij, & in quo ipsi resistamus, paucis exponam.*

Caluini duplex mendacium.

Ecclesia autoritas nihil derogat Scripturæ.

Instit. lib. 4. c. 8. u. 13.

Quod

Quod illi negant errare posse Ecclesiam, huc spectat, atque ita ^{Calaini} interpretantur: quando Spiritus Dei gubernatur, tunc incedere ^{disputatio} sine verbo posse quocumque pergat, non posse sentire aut loqui ^{pro Scri-} nisi verum: proinde si quid extra aut præter Dei verbum sta- ^{pturū con-} tuerit, id habendum esse non alio loco quam certum Dei oracu- ^{tra Eccle-} lum. Nos si demus illud primum, errare non posse Ecclesiam in ^{siam.} rebus ad salutem necessariis, hic sensus noster est, idcirco hoc esse quod abdicata omni sapientia sua à Spiritu sancto doceri se per verbum Dei patitur. Hoc igitur est discrimen. Illi Ecclesie auctoritatem extra verbum Dei collocant, nos autem volumus verbo annexam, nec ab eo separari patimur. Et quid mirum, si sponsa ac discipula Christi suo sponso magistroq; subijcitur, ut ab eius ore assidue ac sedulo pendeat? Hæc enim est domus bene composita ratio, ut mariti imperio uxor obtemperet. Hæc schola bene morata regula, ut magistri solius doctrina illic audiatur. Quamobrem non ex se sapiat Ecclesia, non ex se cogitet quicquam: sed sapientia sua terminum statuatur ubi loquendi finem ille fecerit. In hunc modum & omnibus rationis sue inuentis diffidet, in quibus autem verbo Dei nititur, nulla diffidentia aut hesitatione vacillabit, sed magna certitudine firmaq; constantia conquiescet. Sic etiam earum, quas habet, promissionum amplitudine confisa habebit unde fidem suam præclare sustineat: ut nihil addubitet, Spiritum sanctum sibi semper adesse, optimum rectæ viæ ducem: sed memoria simul tenebit quem è suo Spiritu usum percipi Deus velit. Spiritus, inquit, quem à Patre ^{Ioan. 16. 7.} mittam, ducet vos in omnem veritatem. Sed quomodo? Quia ^{& 13.} suggeret, inquit, omnia quæ dixi vobis. Nihil ergo plus ex suo Spiritu denunciat expectandum, quam ut mentes nostras illuminet, ad percipiendam doctrinam suam veritatem. Proinde scitissime Chrysostomus: Multi (inquit) Spiritum sanctum iactant: sed qui propria loquuntur, falso illum prætendunt. Ut Christus non à se ipso loqui se testabatur, quia ex lege loquebatur & Prophetis, ita si quid præter Evangelium sub titulo Spiritus obtrudatur, na credamus. Quia sicut Christus Legis & Prophetarum ^{Serm. de} impletio est: ita Spiritus Evangelij. Hæc ille. Iam colligere in ^{adorando} promptu est quam perperam faciant nostri aduersarij, qui non ^{& S. Spi-} alio fine iactant Spiritum S. nisi ut peregrinas & extraneas à ^{ritu.} verbo Dei doctrinas eius titulo cõmendent: cum ipse indiuiduo ^{Ioan. 11.} connexu cum verbo Dei coniunctus esse velit, idq; de eo profi- ^{50. & 14.} teatur Christus dum Ecclesie sue eum promittit. Sic est sanè. ^{10.} Quam sobrietatem semel Ecclesie suæ præscripsit Dominus, eam ^{Rom. 10. 4.} perpetuò vult obseruari. Veruñ autem ne quid verbo suo adderet,

ne quid ex eo detraheret. Hoc inuiolabile est Dei ac Spiritus sancti decretum, quod abrogare conatur nostri aduersarij, quum Ecclesiam sine verbo regi à Spiritu fingunt. Hæc hæctenus Caluinus; cui vt respondeam, ac disputationis factæ vanitatem ostendâ, vestigijs eius insistens, quomodo sub scripturarum prætextu non Ecclesiæ tantum, sed & ipsis Scripturis certitudinem omnem adimit ac firmitatem, lectori aperiam. Vt melius intelligant lectores in quo potissimum cardine versetur hæc quæstio, quid postulent hodie hæretici, & in quo nos Catholici ipsis resistamus, paucis exponâ. Quod illi Scripturarum diuinarum autoritatem factam ac testâ esse volunt, huc spectat, atque ita interpretantur; Scripturas sacras, quâdo ex Spiritu Dei intelliguntur, tuto ac securè intelligi posse absque Ecclesia. Illas nihil aliud loqui ac docere nisi verum: proinde quod in illis legitur ac intelligitur, id habendum esse non alio loco quàm certum Dei oraculum. Nos si demus illud primum, Scripturas ex Spiritu Dei, quo scriptæ sunt, cognosci atque intelligi, hic sensus noster est, ideò & tum demum hoc fieri, quando, abdicata omni nostra sapientia, ab Ecclesia, quæ Spiritum Dei habet, & ideò vberius habet, vt doceat omnem veritatem, vtrumque nos doceri pasimur. Hoc igitur discrimen est. Hæretici Scripturarum cognitionem & intelligentiam extra Ecclesiam ponunt: nos autem volumus Ecclesiæ esse annexam, nec ab ea separari patimur. Et quid mirum si sponsam Christi sponso suo, & corpus eius Spiritui suo coniungimus, vt ab ore sponsæ, quid sponsus dicere voluerit, intelligamus; & ab eius ore assiduè ac sedulo pendeamus, à cuius ore omnè veritatem nos accipere voluit? hæc est enim domus bene compositæ ratio, vt quos Dominus patres familias ac præpositos reliquit, illi audiantur: & sicut ipsi Domino præpositi ab eo relictæ, ipsiusque viri imperio vxor obtemperare debent, id est, Christo Ecclesia; sic ipsis quoque præpositis, & vxoti, absente marito, filijs familias, reliquique vernaculi obtemperet. Hæc est scholæ bene moratæ regulâ, vt magistri quidem solius doctrina illic audiatur, sed ex ore eorum quos magister docendi munere perfunctus, doctrinæ suæ vicarios constituit. Neque enim patitur nostra infirmitas à schola nos dimitti, donec toto vitæ cursu discipuli fuerimus. Et Deus qui posset momento suos perficere, non vult tamen eos adulescere in virilem ætatem nisi educatione Ecclesiæ. Quamobrem non ex se sapiant hæretici, non ex se cogitent quicquam: sed sapientiæ suæ terminum statuunt, vbi loquendi finem Ecclesia fece

*Scriptura
quomodo
eo Spiritu
intelligun-
tur quo
scripta
sunt.*

*Discrimen
inter Ca-
tholicos &
hæreticos.*

*Sponsi vox
ex ore spō-
sæ audien-
da.*

*In schola
Christi
Ecclesiæ
præpositi
docent.
Caluinus
Instit. lib.
4 c. 1. nu.
4 & 5.*

fecerit. Omnes enim ad unum in hunc ordinem coguntur, ut mansueto & docili spiritu regendos se Ecclesia doctoribus in hunc usum creatis permittant. Et si enim externis medijs non est alligata Dei virtus, huic tamen ordinario docendi modo nos alligauit: quem dum recusant tenere fanatici homines, multis se exitiis laqueis inuoluunt. Digni enim sunt qui fame & inedia pereant, quicumque spiritualem animam cibum diuinitus sibi per manus Ecclesie porrectum respuunt. In hunc igitur modum omnibus rationum suarum inuentis diffident hæretici. In quibus autem Ecclesie voci ac magisterio nuntur, nulla diffidentia aut hæsitacione vacillabunt, sed magna certitudine firmæque constantia conquiescent. Sic ergo earum, quas Ecclesia habet, promissionum amplitudine confisi, habemus vnde fidem nostram præclare sustineamus. Quia nihil dubitamus Spiritum S. illi semper adesse, optimum rectæ viæ ducem.

*Ibidem
num. 5.*

*In Eccle-
sia voce
fidei certis-
simo.*

Memoria quoque tenemus, quem è suo Spiritu vsum percipi Deus velit. Non solum vt suggerat omnia quæ dixerat Christus, sed etiam vt doceat omnem veritatem, multaque doceat quæ Christus viua voce non docuerat, sicuti supra accepimus. Illud ergo ex Spiritu suo denunciat expectandum, partim vt mentes nostras illuminet ad percipiendâ doctrinæ suæ veritatem, partim vt quæ Apostoli præsentem Christo portare non poterant, Ecclesiam doceat. Et Chrysostomus in persona Christi scitissimè dicit: Si quis eorum qui dicuntur habere Spiritum sanctum, dicat aliquid à seipso, & non ex Evangelio, non credite, meam doctrinam sequimini (quæ verba Chrysostomi sunt, non ea quæ Calvinus citauit) quia ex seipso qui loquitur, hæreticus est. Impletio quoque Evangelij Spiritus S. est, sicut Christus legis & Prophetarum, quia vterque, quod in altero defuit, impleuit: & hic Spiritus per os Ecclesie loquitur. Iam colligere in promptu est, quàm perperam faciunt hæretici, qui non alio fine iactant Scripturas, nisi vt peregrinas & extraneas ab Ecclesie fide doctrinas earum titulo commendent: quum Christus indiuiduo nexu cum scripturis Ecclesiam suam coniunxerit, & ad Scripturatum infallibilem cognitionem Spiritum suum Ecclesie perpetuum promiserit. Ita est sanè. Quam sobrietatè semel populo fidei præscripsit Dominus, eam perpetuò vult obseruari. Iussit autem Christus Ecclesiam suam audiri. Qui vos audit, me audit. Posuit illam, columnam & firmamentum veritatis, affirmat se cum illa esse usque ad consummationem seculi. Hoc inuiolabile est Dei ac

*Spiritus
S. cur &
quomodo
Ecclesia
promissus.*

*Chrysosto-
mi verba
explandis-
tur.*

*Scripturas
cur hære-
tici iactent.*

*Luc. 10.
2. Tim. 2.
Matth. 28.*

Spiritus Sancti decretum, quod abrogant & abrumpunt hæretici, quum Scripturas sine Ecclesiæ voce ac magisterio intelligere volunt, & fidem Scripturarum ab Ecclesiâ diuellunt, quo quidem diuortio, non iam Christum despoliant, sed crudeli sacrilegio discerpunt eius corpus. Hæc hæctenus, Caluini disputationem imitati, qua rationem reddere voluit, cur Scripturis ille cum suis adhærereat, Ecclesiæ voce non nisi sub conditione admissa, si consensanea Scripturis loquatur. Eadem quippe disputatio mutatis vocabulis apertam rationem reddit, cur Ecclesiæ vocem, magisterium, auctoritatem, Catholici sustinent. Non sanè vt absque Scripturis Ecclesiâ ambulet, sed vt quæ sint scripturæ, & quis earum sensus, Ecclesiâ nos doceat. Hæretici, cum Ecclesiæ à nobis vnitas, obedientia, fides vrgetur, aiunt contemni à nobis Scripturas, & magnum se aliquid aduersum nos euincere videntur, quum Ecclesiâ à verbo diuelli non posse confirmant. Sed non aduertunt, sicut Ecclesiâ à verbo non diuellitur, sic nec verbum ab Ecclesiâ. Illi Scripturas obtendunt, quia Ecclesiâ ab illis seiungi non potest: nos Ecclesiâ obtendimus, quæ Scripturarum veritate carere non potest. Nec nos, cum Ecclesiâ prædicamus, à Scripturis recedimus: nec illi, quum scripturas prædicant, ab Ecclesiâ recedere debebant, quia in sola Ecclesiâ sunt veræ Scripturæ, & verus earum sensus. Hoc ergo breue & apertum discrimen est. Hæretici *Ecclesiâ verbo annexam aiunt*, vt propter verbum à seipsis quoquo modo intellectum Ecclesiæ sensum despiciant, ab eius vnitate recedant, & crudeli sacrilegio Christi corpus discerpant: nos verbum Ecclesiæ annexum dicimus, vt verbum verbique sensum ab Ecclesiâ discamus, Christoque capiti in suo corpore adhærereamus. Hæc de posteriori Caluini mendacio hæctenus: ideo vberius, quia fructuosius.

Alterum mendacium his verbis suffulcit. *Quamquam, vt illis demus Ecclesiâ symbolum esse inconsutilem tunicam, minime obtinebunt quod capiunt, quia probandum restabit penes ipsos esse Ecclesiâ, cuius nullum prorsus signum obtendunt.* De hac futili exceptione iam semel atque iterum in aliis locis dictum est. Sed nunc breui dilemmate Caluinum iugulabo.

Sola vera Ecclesiâ, adeoque soli legitimi ministri ipsius Ecclesiæ, baptizandi potestatem habent, iuxta Caluini manifestam doctrinam, vnde factum inter Caluinistas legimus, vt à Diaconis illorum baptizari rebaptizari debuerint. Atqui in Ecclesiâ Romana, & in ciuitate Nouiodunensi in Picardia à

Ecclesiâ magisterium quo modo sustinetur.

Nota.

Ecclesiâ veram penes Papistas esse præbatur.

Sacer

Sacerdote Catholico baptizatus Calvinus fuit. Ergo aut Ecclesia Romana vera tunc fuit Ecclesia, aut Calvinus nunquam baptizatus exstitit. Si prius, satis firmum & luculentum Ecclesiae signum dedimus, cuius ille nullum signum à nobis obtēdi affirmavit. Si posterius, quid Caluino cum Scripturis & dogmatibus Christianorum, qui nunquam Christianus fuit? *Quorquot baptizati estis, Christum induistis,* ait Paulus: Calvinus non baptizatus quomodo Christum induit? Si Christum non induit, quid illi cum rebus Christianis? Aut ergo Ecclesia Romana vera Ecclesia est, aut Calvinus in Ecclesiae corpus nunquam cooptatus fuit.

30. Consummatum est.

Nihil in Scripturis tam sanctum ac salutare, ex quo aliquid veneni haurite, aliquam aduersus veritatem pugnandi causam arripere, inquieta, maleuola, & astuta haereticorum pectora non valeāt. Christus Redemptor hoc brevissimo verbo, veluti omnium quæ & quatenus pati debuerat conscius, & accepto iam aceto, postremam hanc esse passionis suæ periodum cognoscens, pronunciat finem iam ac terminum adesse eorum quæ pro humano genere pati debuerat, & ait, *Consummatum est.* Peracta & perfecta sunt omnia, *verba eius.* Terminus & finis iam adest, eorum quæ à me toleranda aut Prophetæ prædixerunt, aut Dei Patris voluntas decreuit. Nihil hoc verbo simplicius, nihil sanctius, nihil salutaris. Ostendit in eo Christus & summam erga Deum Patrem obedientiam, & ardentem pro nostra salute amorem, (de qua iam procurata veluti triumphat) & divinam suam rerum omnium cognitionem, vnde hoc verbo dicto, *Inclinato capite tradidit spiritum.* Inuenit tamen in his verbis Calvinus, quod, sub specie ac larva pietatis, plenis buccis contra orthodoxam veritatem declamaret. *Sensus* (inquit) *est, quicquid ad salutem hominum facit, in Christo constare, nec alibi quarendum: vel, quod idem est, salutis perfectionem in eo esse inclusam.* Subest autem tacita antithesis, quia mortem suam veteribus sacrificiis & figuris omnibus opponit Christus. Huic doctrina annexa est omnium Legis rituum abrogatio. Quod si in hac voce acquiescimus, vna eius morte ad salutem contentos esse nos decet, nec vlla aliunde subsidia accersere fas est. Atqui huc spectat tota Papatus religio, ut homines sibi innumeros quarendæ salutis modos excogitent: vnde colligimus abominandis sacrile-

giis scaterere. Præcipuè hæc Christi voce damnatur Missæ abominatio. Quod statim, ut mox videbimus, pluribus verbis prosequitur. Quis verò ex hoc simplici verbo tantam declamationem expectasset? Sed hæc Caluini immensa nocendi cupido est. Corradit vnde quaque, siue aptè siue ineptè, per fas nefasque, vnde Ecclesiam Catholicam, eiusque sacrosanctam fidem arrodit, laceret, & apud lectorem suum traducat, quasi omnibus hodie hæreticis tela subministrans, quibus Christi Ecclesiam hostiliter & certatim impugnent. Ad rem quod attinet; prorsus in solo Christo eiusque morte ac passione conquiescendum est: nec alia salutis subsidia quæreda. Sed hæc propositio sanè & salubriter intelligenda est. Nempe quia ex morte & merito Christi omnia alia salutis subsidia vim ac virtutem accipiunt, ut talia sint, atque ut ad salutem valeant. Calvinus cum suis sic vna Christi morte contentos nos esse vult, nec vlla aliunde subsidia accersere, ut in sola huius mortis per fidem apprehensione omnem & plenam & certissimam salutem ponat, ut nec mandatorum Dei observatio, nec vlla prorsus opera bona, nec vlla Sacramenta, nec vllus demum Dei cultus, siue internus, siue externus, vel vnâ guttam salutis adferant, sed aut notæ tantum ac signa aut sigilla quadam & oblationes sint acceptæ iam dudum salutis per solam fidem quæ Christi mortem apprehendit: hoc ille venenum in his verbis coquit. Sed vna Pauli sententia tum hoc mellitum Calvinus venenum, quo vna Christi morte contentos alia salutis subsidia accersere prohibet, veluti Antidotum fortissimum expellit, tum Catholicorum sanam doctrinam de aliis adhuc salutis subsidiis adhibendis validè confirmabit. *Christus* (inquit) *per passionem consummatus, factus est causa salutis omnibus obtemperantibus sibi.* Non igitur vna Christi morte contenti esse debemus in sensu Calvinus, illam solam per fidem apprehendendo, sed Christi mortem causam salutis esse intelligere debemus, si Christo obtemperamus, si eius præcepta facimus, si eius Sacramenta percipimus, si alia salutis subsidia ac media suscipimus, & exequimur quæ ille præscripsit. Quæ tamen omnia quia per Christi mortem ad salutem valent, & merito mortis Christi efficaciam salutis sunt, hoc certè sensu vna Christi morte contenti sumus, veluti fonte & radice cæterorum omnium quæ ad salutem valent. Catholica igitur Ecclesia, quæ per opera pietatis, per mandatorum observationem, per Sacramentorum usum, per varios Dei cultus externos & internos salutem suam ac suorum quærit,

Caluini
immensa
nocendi
cupido.

Mors
Christi sola
quomodo
tota salus
nostra.

Heb. 5.

nulla

nulla exercet sacrilegia abominanda, vt sacrilegus Calvinus voce abominanda loquitur. Sed iuxta Paulum obtemperat Christo, vt Christi passio causa salutis illi fiat.

Nunc de Missa quæ homo impius blasphematur audiamus. *Præcipue, inquit, hac voce damnatur Missa abominatio. Cur ita? Cessare, inquit, omnia legis sacrificia oportuit, quia unico mortis sacrificio perfecta fuit hominum salus. Quo igitur iure vel præterit sibi licuisse Papistæ dicent sacrificium erigere quod Deum hominibus reconciliet? Vidit Calvinus totam hanc rixam nihil ad rhombum esse, quia nullam nouum sacrificium in Ecclesia Catholica erigitur, vt antiquissimi Patres Chrysostomus, Primasius, Theodoretus, & alij propter vnam Christi in cruce oblationem, qua consummavit in æternum sanctificatos, diligenter annotarunt. Ait igitur. Excipiunt non esse nouum, sed illud idem quod Christus obtulit. Hæc planè est exceptio nostra, hæc veterum Patrum fuit, & iusta & sufficiens. Quid ad hanc exceptionem Calvinus? Atqui (inquit) facilis est refutatio, quòd nullum offerendi mandatum ipsi habeant. Deinde quòd Christus semel vna oblatione defunctus pronunciet ex cruce totum esse perfectum. Ergo plus quàm falsarij sunt, qui Testamentum sacro filij Dei sanguine obsignatum perfidè corrumpunt ac violant. Duo respondet, quorum est facillima refutatio. Primum ait, nos nullum habere offerendi mandatum. Mentitur, habemus clarissimè expressum in illis Christi verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*: vt suprâ ex SS. Patribus comprobatum dedimus: quæ propterea verba Calvinus in suis commentariis penitus intacta omisit. Alterum quod dicit, nihil ad rem facit, & contra factam exceptionem nihil concludit, sed eandem reperit atque confirmat. Idcirco enim nullum nouum sacrificium offerimus, quia vna oblatione Christus semel perfunctus, totum in cruce perfecit. Quod autem nos offerimus, idem est, & eiusdem cruentæ oblationis commemoratio incruenta, de qua in Epist. ad Heb. (loco proprio) vita comite plura dicemus. Ex his patet non esse falsarios Catholicos, neque Testamentum Christi sanguine obsignatum violare, qui id faciunt quod Christus faciendum præcepit, quòdque tota Christi Ecclesia per totum mundum ab Apostolis acceptum (vt Irenæus loquitur) religiosissimè semper obseruauit, sed bis falsarium & ter impium esse Calvinum, qui tum sanguinem noui Testamenti à Sacramento Eucharistico penitus remouit, tum oblationem à Christo institutam ad mortis dominicæ & effusi sanguinis filij Dei*

Missa Sacrificium defenditur

In Comment. ad Heb. cap. 10.

In Matth. cap. 26.

Lib. 4. cap. 32.

perpetuam commemorationem, omnibus locis expulit, quibus eam expellere potuit.

Calvinus
ex seipso
refutatur.

Tandem vt aliqua in Calvinum reconuentione vtamur: Si vna Christi morte ad salutem contentos esse nos decet (vt certè docet maximè) nec vlla aliunde accersere fas est subsidia, quàm impietatem docuit ipse Calvinus, qui vna Christi morte nihil ad salutem nostram actum fuisse disertè scripsit, sed aliud idèmq; maius & excellentius salutis nostræ pretium confinxit!

Institut.
lib. 2. c. 16.
num. 10.

Verba eius hæc sunt: Nihil actum erat si corpora tantum morte perfunctus fuisset Christus: sed opera simul pretium erat vt diuina vltionis seueritatem sentiret, quo & ira ipsius intercederet, & iusto iudicio satisfaceret. Vnde etiam oportuit cum inferorum copiis aternæq; mortis horrore quasi confertis manibus luctari. & paulò post: Non modò corpus Christi in pretiū redemptionis fuit traditum: sed aliud maius & excellentius pretium fuit, quòd diros in anima cruciatus damnati ac perditii hominis pertulerit. Hæc quidem eius blasphemia & execranda verba, & omni impietate plenissima, alio in loco copiosè refutauimus: hoc nunc in loco id vnum notamus, Calvinum,

In Prom-
ptuario
Catholico
part. Qua-
drages. ad
Feriam 4.
heb. vlti-
mæ.

qui vna Christi morte contentos nos esse oportere, nec vlla aliunde subsidia accersere hîc & nunc affirmat, vt contra Catholicos rixandi ac debacchandi causam arriperet, alio in loco ad eò vna Christi morte contentum non esse, vt illa vna morte nihil actum fuisse proclamet; ad eò quoque aliunde subsidium accersere, vt affirmet, aliud idèmq; maius & excellentius quoddam pretium fuisse, præter corpus Christi in pretium redemptionis traditum. Est ergo iterum plusquam bis falsarius & ter impius Calvinus, qui Testamentum sacro filij Dei sanguine obsignatum ita perfidè corrupit ac violauit, vt illud si solum esset, nullius valoris fecerit; atque aliud eò maius & excellentius è suo cerebro confinxerit: rem planè dictu horrendam & execrabilem, vt est alio in loco à nobis fusè & copiosè disputatum.

Vbi supra,
& ad
Matth. c.
27. ver. 46

IN IOANNIS CAP. XX.

6. Vidit lintheamina posita, & sudarium quod fuerat
7. super caput eius, non cum lintheaminibus positum, sed separatim inuolutum in vnum locum.



VT in omnibus suis diuinarum Scripturarum commentariis, sic in huius maximè Euangelij commentario propositum Caluino fuit, aduersus Ecclesiæ Carho

Catholicæ seu dogmata, seu cultum, seu quælibet ceremonias ac religionis ritus, velut infesto ac rabido cani, dentem, ubi potuit, caninum infigere; ubi id non potuit, clamosè allatrare. Hoc in præfatione suis Geneuensis, quibus hunc commentarium seorsim dicauit, se sedulo facturū promittit. *Papatum (inquit) nihil aliud quam monstrum ex innumeris Satana fallacijs conflatum esse, & quam obtendunt Ecclesiam, Babylone magis confusam, vnus hic commentarius erit (ut spero) luculentus testis.* Hæc ille. Et verò vt hætenus diligentem huic rei operam nauarit, frustra tamen contra stimulum calcitrans, tot à nobis in hoc vno Euangelio contra illius rabidos morsus explicata & defensa loca manifestum lectori fecerunt. Nunc in duobus quæ restant capitibus, veluti promissi sui memor, & ne in extremo certamine animum remississe videatur, omnem protus mouet lapidem, omnem versat textum, omnia oculatissimè scrutatur & indagat, vnde carpendi, allatrandi, mordendi materiam capere queat. Ad hæc igitur verba, quæ simplicissimā narrationem continent exuiarum quas in sepulchro Dominico Ioannes noster oculatus testis inuenerat, sic insurgit coluber iste, aut Cerberus potius infernalis. *Quod sudario (inquit) caput obtectum esse dicit, inde refellitur Papiatarum vanitas, qui fingunt totum corpus linteo vno fuisse insutum, quod adorandum misera plebe-cule ostentant. Omitto Latina lingua inscitiam, qua factum est, vt totius corporis tegmento imponerent lintcoli nomen, quo sudor è facie abstergitur. Omitto impudenciam, quòd quinque aut sex in locis diuersis idem se habere sudarium iactant. Sed hoc tam crassum mendacium minimè tolerabile est, quod Euangelica historia palàm repugnat. Huc accedit fabulosum miraculum quod sinxerunt de exarata in linteum corporis Christi effigie. Obsecro, si tale miraculum editum fuisset, an silentio suppresseret Euangelista, qui tam sedulo commemorat qua minus habebant momenti.* Hic est hoc loco lattratus eius, hæc sibila serpentina. Quatuor sunt quæ obiectat quibus ordine responditur. Ait nos fingere totum Christi corpus vno linteo fuisse insutum. Ergo fabulam sinxit Matthæus, quando scripsit de Ioseph, qui Christi corpus sepeluit: *Inuoluit illud in sindone munda.* Annon linteum hæc sindon erat, totumque corpus inuolutum contextit? Deinde *linteamina in sepulchro inuenta*, quæ hoc ipso loco Euangelista commemorat, ad quid ibi erant, nisi vt corpus mortuum inuoluerent, quibus resuscitatum & gloriosum corpus iam non indigebat? Cur

Caluinus
canis ra-
bidus.

1.

2.

3.

4.

Lattratus
Caluini
campe-
scuntur
Ad I.
Matt. 27.

*Histo. Ec-
cles. lib. 7.
cap. 15.*

in tam proxima luce cæcutit Calvinus? nisi quòd cæco furore percitus non intelligit vel de quibus loquitur, vel quæ affirmat? Siue istorum linteaminum ipsa sindon, cuius mentionem facit Matthæus, vna erat, siue ab illis diuersa; manifestè constat totum Christi corpus aliquo linteo insutum & inuolutum fuisse: vt nò sit mirum, illam, vel illorum aliquod à Christianis reseruatam, non à misera plebecula adorandù, sed à populo deuoto vt insignem reliquiã ueneratione prosequendam expositum fuisse. Si enim *Apostoli Iacobi cathedra* (vt memorat Eusebius Pamphili) *cum ingenti studio ad ipsius usque ætatem seruata, & cum magna ueneratione à fidelibus habita fuit*; quid mirum aut à communi fidei sensu alienum, si linteamen, quo Christi pretiosum corpus (quod etiam in sepulchro diuinitati coniunctum erat) inuoluebatur, in ueneratione quoque habitum fuit? Sed sensus veterù Christianorum, & sensus Caluini si latissimè differant, minimè mirari debemus, quum ille à Spiritu vnitaris, qui facit vnanimis in domo; hic à Spiritu priuato, qui generat schismata, proficiscatur.

Ad 2.

Obiectat secundo loco linguæ Latinæ incitiam, quòd sudarium capitis pro totius corporis integumento Catholici acceperint: homo vanissimus, lectores suos omnes fungos ac stipites futuros ratus, fingit Catholicos sudarium pro linteamine totius corporis tegumento accipere: & ita bardos ac truncos vel ipsos vel suos lectores præsumit, vt non aduertent præter sudarium fuisse linteamina seorsim posita; adcoque sindonem mundam (apud Matthæum) qua totum corpus fuit inuolutum. Nihil tam miserum & absurdum, quod cæca maledicendi libido proferre formidet.

Ad 3.

Aliquid in speciem grauius habet quod sequitur. Impudentes nos vocat, qui quinque aut sex in locis diuersis idem nos habere sudarium iactamus: & hoc crassum mendacium historię Euangelicę repugnare affirmat. Sed maior istius nebulonis impudentia, & crassius mendacium est, qui nec vnũ ex istis quinque aut sex locis designans, generaliter mentitur, vt in nulla specie conuinci mendacij queat. Si loca ipsa aut locum vnum designasset, criminatori poterat in facti specie responderi. Nunc delatorem nihil nisi in genere debacchantem, vel ad facti speciem descendere, vel vt infamem tabulam è toto iudicij loco exturbari, & foro cedere, omnis iustus iudex iubebit.

Ad 4.

Quod postremò exagitat fabulosum miraculũ de exarata

in linteum corporis Christi effigie, spiritui quidem Caluina-
no, superbo, incredulo, prophano, huiusmodi omnia fabulo-
sa videri minimè mirandum est. *Omnia munda mundis: coin-*
quinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed inquinata
sunt eorum, & mens & conscientia: id est, falsis opinionibus
preoccupatur tum iudicij & intellectus ratio, tum voluntatis
affectus. Sic tam paganis quàm Arianis aliisque hæreticis nõ
nisi fabulosa & ridicula visa sunt quæ ad martyrum memo-
rias ac reliquias miranda Dei opera ad suam ac Sanctorum
gloriam, fidemque ipsam Christianorum commendandam,
subinde præstita ac exhibita sunt. Appositè D. Ambrosius de
Arianis. *Sanctorum miracula idè non credunt, quia Sanctorum*
fidem non tenent. Sed alia fuit Christianorum omnium non
de vulgo tantum, sed & præstantissimorũ Ecclesiæ luminum
fides, qui reliquias Sanctorum, nedum Christi ipsius, in ma-
gna semper veneratione habuerunt, operaque Dei circa illas
miranda non pro fabulosis contemnere, sed pro illustribus fi-
dei testimoniis gratanter accipere, Christiano homine di-
gnum esse existimarunt. Quorum plurima & grauissima te-
stimonia alio in loco produximus.

Ad rem præsentem quod attinet, adhuc integra permanet
ac diuina virtute illæsa sindon illa sanctissima, qua Redem-
ptoris nostri corpus in sepulchro conditum inuoluit Ioseph;
quæ adhuc Domini in sepulchro iacentis imaginem expres-
sit, asseruaturque debito honore in Ecclesia Taurinensi. Eius
odorem tam vicinum Calvinus in lacu suo Geneuensi ferre
non potuit. Nouimus enim eundem Christũ, eandem fidem,
eadem Dei opera, aliis esse odorem vitæ in vitam, aliis esse
odorem mortis in mortem. Atqui varia passionis, sepulturæ,
resurrectionis, & ascensionis Dominicæ monimenta, diuina
misericordie ac prouidentia ad piorum consolationem (qui
quicquid Christi est, magno in honore ac pretio habent, etiã
corrigan calceamentorum pedum eius, quã sanctus ille Præ-
cursor Ioannes tanta veneratione dignam existimauit, vt di-
ceret, se dignum non esse qui illam solueret, aut calceamenta
portaret) posteris fidelibus relicta, & ab illis magno studio as-
seruata esse, veteres historici, & Ecclesiarum antiquissimarum
monimenta prodiderunt. Spinam coronæ Iesu, columnam ad
quam alligatus est, arundinem, spongiam, Gregorius Turo-
nensis ac Beda suis temporibus asseruata fuisse scripserunt.
Tunicam Christi inconsutilem in Galatia suo tempore repo-
sitam idem scribit Gregorius. Sudarium Christi aliud, quod à

Tit. 2.

Epist. lib.
10. Epist.
85.Reliquia-
rum vane-
ratio.In Prompt.
Catholic.
Dom. 23.
post Pen-
tecost.Ioan. 1.
Passionis
Christi re-
liquia.
De gloria
martyrum
cap. 7.
De locis
sanctis
cap. 20.
Ibidem
cap. 8.

*Veronica
sudarium
cum vultu
Christi.*

Berenice (aliàs Veronica) fœmina Tharsensi, crucem suam baiulans. Christus acceptum, facieque sudore ac sanguine plena eo absterfa eidem reddidit, sanctissima vultus sui effigie in eo relicta, Romæ asseruatum vidimus, & venerati sumus, & libellum ipsum manuscriptum in Vaticana Bibliotheca legimus, qui historiam totam de translatione huius sudarij ex Tharso Ciliciæ Romam facto describit; Tiberio videlicet tunc imperante, & graui morbo laborante, Veronicam illam cum suo sudario, cuius efficaciam ac virtutis fama (quod multas sanitates operata esset) ad Imperatoris aures peruenerat, euocatam fuisse; eaque occasione (sanato Imperatore) Veronicam in vrbem vsque ad mortem hæsisse, & præclarum hoc Christi Redemptoris monumentum Christianis in vrbem reliquisse. Sanè de hac Berenice, Christi que imagine velo excepta, consentanea scribit Methodius antiquissimus Chronographus apud Marianum Scotum in Chron. ad annum Domi.

*Pedum Christi
vestigia in monte
Oliueti.*

39. Sed & hodie vsque in monte Oliueti pedum Christi vestigia integra & expressa videri, eo videlicet loco quo in calum ascendens terras reliquit, qui nostra ætate illuc peregrinati sunt, se vidisse attestantur. De istis Domini vestigijs in monte Oliueti relictis & expressis varia habemus antiquitatis testimonia. De illis enim scribit D. Hieronymus in tract. de locis Hebraicis, Optatus contra Parmenianum lib. 6. Paulinus ad Seuerum Epist. 11. Seuerus Sulpitius histor. sacræ lib. 2. Beda de locis sanctis, cap. 7. Hæc illustria antiquitatis testimonia, profano Caluini cerebro qui non anreponit, emortæ mentis homo meritò videatur. Quòd si vestigia Domini in loco aperto & eminenti, tot hominum pedibus calcato (quo etiam in loco Romanus exercitus in vltima illa Hierosolymæ obsidione consedit) post tot secula integra manere poterunt, quid præter fidem dicitur, quòd in sindone, qua inuoluum Christi corpus iacuit, eiusdem corporis effigies expressa remansit?

*Caluini
putidum
argumen-
tum.*

*Act. 20.
Euangeli-
sta nò om-
nia de Chri-
sto scripse-
runt.*

Sed magnum, quæso, & validum Caluini argumentum attendamus. *Obsecro* (inquit) *si tale miraculum editum fuisset, an silentio supprimeret Euangelista, qui tam sedulo commemorat quæ minus habent momenti?* Nihil ergo de Christi factis, dictis, miraculis, fide dignum erit, quod Euangelistæ silentio presterunt? Age, affirmat Paulus verbum Domini fuisse, *Beatius est dare quam accipere.* At quis Euangelista hoc narrat? Ergo sic Euangelistas credimus, vt præter Euangelistas alium neminem fide dignum existimemus? Apostolis, dices, & Apo-
stoli

stolicis literis non secus credimus. Primum igitur futile erit Caluini argumentum: Euangelista tacuit, ergo fabulosum est. Deinde, an etiam sic Apostolis credimus, ut alium neminem fide dignum arbitremur? An solos Euangelistas & Apostolos reliquit nobis Christus, à quorum ore pendeamus? Annon præter Apostolos & Euangelistas, quorum officium planè extraordinarium fuisse ipse Caluinus agnoscit, *dedit nobis Pastores & Doctores ad consummationem fidelium, & ad adificationem corporis sui?* Annon reliquit nobis Ecclesiam *columnam & firmamentum veritatis?* Cur igitur fabulosum existimabimus, quod Pastores ac Doctores in Ecclesia Christi credere & amplecti videmus, quod tota credentium multitudo vno sensu & consensu per tot secula amplexa est? Credidit tam multa hætenus Ecclesia, crediderunt Ecclesiarum Pastores ac magistri, quæ nec Apostolicis nec Euangelicis literis comprehensa sunt. Non credit Caluinus. Cui aut quibus magis credendum erit? Sed grauissimè ac verissimè scripsit doctissimus Augustinus. *Quod tota per orbem frequentat Ecclesia, an ita faciendum sit dubitare, insolentissima insania est.* Si dubitare, quanto magis fabulosum asserere? Caluinum igitur ut insolentissimè insanientem dimittamus: Ecclesie fidei ac traditioni firmiter adhæteamus. Credimus quippe vnâ Ecclesiam Catholicam, non credimus Caluinum, Calvinistas, aut alios quoslibet sectarios.

17. *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum.*

Diuinæ Scripturæ corruptor Beza ex his Christi verbis argumentum format, non secus stolidum atque insulsum, quam à Christi verbis alienissimum. *Quid igitur? inquit, An postquam ascendisset ad Patrem, licuit tangere? Ita certè, sed spiritualiter, & animis in calum subuectis, quæ vnâ est saluifica Christi carnis apprehensio, cui externa & carnalis illa presentia plurimum officiebat. Poterant igitur vel istis Christi verbis doceri homines, carnalem illum Christi manducandi modum, quem tanta pernicacia defendunt, nõ modo imaginariam esse, sed etiam cum Dei verbo & institutione ex diametro pugnare.* Hæc Beza. Vult in his verbis docere, Christum non adesse in Sacramento carnem suam verè & realiter tangeudam ac manducandam, sed spiritualiter tantum, & animis in calum per fidem subuectis. At quo argumento? Quia docet

Magda

*Beza suo
ipſius ar-
gumento
reſutatur.*

Magdalenam ſe tangere non oportere donec ad Patrem
aſcenderit. Atqui annon planè contrarium optima ratione
ſequeretur, ſi quidem de illo tactu Chriſtus hic loqueretur,
quem in manducatione carnis ſuæ Eccleſiæ ſuæ reliquerat?
Vetat quippe Chriſtus Magdalenam tangere tactu corporeo
& familiari. Si ergo ſenſus verborum Chriſti eſt: Nolo ut
iam me tangas, quia nondum aſcendi ad Patrem: poſtquam
autem aſcendero, licebit tangere (ſicuti Beza colligit) planè
contra Bezam ſequeretur, poſt Chriſti aſcenſionem carnem
eius corporaliter & familiariter tangi debere: hoc enim mo-
do (non ſpiritualiter, aut animo in cælum ſubuecto) tangere
Magdalena voſuit. Hunc tactum Chriſtus Magdalena pro-
hibuit. Ad ſenſum Magdalena, & de tactu quem illa expere-
bat, Chriſtus indubiè loquitur. Si ergo illum tactum tunc
quidem verabat, ſed poſt aſcenſionem futurū conceſſit (quod
Beza colligit) procul dubio tactu corporali poſt aſcenſionē
ſuam Chriſtus tangendus erit. Et ſi in Sacramēto carnis ſuæ
hunc tactum præbet, profectò in illo non ſpiritualiter tan-
tùm, ſed & corporaliter adeoque familiari & viſibili modo in
ſenſu Magdalena tangendus erit. An igitur Beza quicquam
dementiùs, qui argumentū ſtruxit quo ipſemer ſtrangulatur?

Sed & alia dementia eſt, de tactu aliquo ſuo poſt aſcenſio-
nem ſuam futuro Chriſtum hoc loco loqui; ſive in Sacra-
mento, ſive extra illud. Neque enim ſedens ad dexteram Pa-
tris Chriſtus in præſenti cum hominibus amplius conuerſa-
tur, ut ab illis familiariter & viſibiliter tangatur, quem tactum
Magdalena experebat. Hoc ſolùm Chriſtus dicere videtur:
Noli me nunc, Magdalena, familiariter tangere, *nondum
aſcendi ad Patrem: nondum à vobis penitus recedo.* Dabitur ti-
bi adhuc tempus & ocaſio melior, quando me præſentem &
tangere & familiariter ac prolixius alloqui poſſis. Id vnum
nunc age, ut ad diſcipulos meos conſeſtim reuerſa, meam il-
lis reſurrectionem & futuram aſcenſionem annuncies. *Vade
autem, id eſt, quin potius extemplo vade, ad fratres meos, &
dic eis: Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum, &c.* id
eſt, non ideò reſurrexi, ut vobiſcum denuo in mundo con-
uerſer, ſed ut ad Deum Patrem meum ac veſtrum aſcendam.
Alioqui tam Magdalena cum aliis mulieribus Chriſtum
poſtea tetigerunt, & pedes eius tenuerunt, quàm omnibus
Apoſtolis ſuis palpandum ſe Chriſtus obtulit, dicens: *Palpate,
& videte, &c.* Dupliciter igitur abſurda & dementia plena
hæc Beza collectio eſt. Accedit putida cauillatio ſeu putidū
potius

*Verborum
Chriſti
ſenſus.*

*Matt. 28.
Luc. 24.
Beza puti-
dum men-
daciūm.*

potius mendacium, *carnalem manducandi Christi modum magna peruicacia defendi*. Veram siue realem Christi carnis præsentiam, & veram ac realem manducationem, iuxta vtrumque à Christo assertum, *Hoc est, & Hoc manducate*, Catholica Christi Ecclesia credit, & credidit semper. Modum manducandi carnalem Capharnaitis reliquit, & spiritali atque inuisibili modo tam existere quam manducati Christi carnem Ecclesia Catholica docet. Quod si Beza nunquam intellexit, minimè mirum videri debet: quum magister potius erroris quam discipulus veritatis esse elegerit.

19. *Cum ergo serò esset die illo vna sabbatorum, & fores essent clausæ, venit Iesus, & stetit in medio, &c.*

Docet aper. è hic textus sacer, corpus Christi, tametsi post resurrectionem verum ac naturale natura tamen legibus subiectum non fuisse. Clausis foribus, Christus domum ingreditur, ipsas fores clausas penetrans, seseque in conspectu discipulorum, qui intus latebant propter merum Iudæorum, derepentè dans. *Admirandum est* (ait in hæc verba Chrysostomus) *quòd phantasma esse non sunt suspicati*. *Clausis enim foribus & repentè est ingressus*. *Moli corporis* (ait in eadem verba Augustinus) *ubi diuinitas erat, ostia clausa non obstiterunt*. Ille quippe eis non apertis intrare potuit, quo nascente virginis matris inuiolata permansit. *Clausis foribus* (ait in eundem locum Cyrillus) *repentè Dominus omnipotentia sua, natura rerum superata, ad discipulos ingressus est*. *Quid mirum* (ait Gregorius) *si clausis ianuis post resurrectionem suam in æternum iam victurus intrauit, qui moriturus veniens non aperto virginis utero exiit?* *Quid nunc ad tam clara Scripturæ verba, & post tot nobilissimorum Patrum consentientem sententiam, Calvinus? Neutràm reueretur. Neutrùm reformidat. Ingenio suo confidens, vtrumque eludit, Patres contemnit, Scripturam inuertit. Sic* (inquit) *habendum est, Christum non sine miraculo ingressum esse, ut documentum ederet sue diuinitatis, quo suos discipulos magis attentos redderet*. Hoc contra eos dicit qui referatas fuisse per aliquem Christo fores, & humano more ingressum affirmabant. Calvinus autem ingressum hunc cum miraculo coniunctum esse pro suo libito agnoscit, quia aliud miraculū excogitare & miraculum miraculo substituere potuit. Sic enim profecquitur. *Interea tamen verum esse minimè concedo, quod asserunt Papistæ, Christi*

Christus clausis ianuis penetrat.

Hom. 89. in Ioan.

Tracl. 11. in Ioan.

Lib. 12. c. 13. in Ioan.

Hom. 20. in Euan.

Calvinus miraculū miraculo substituit.

Patris senti-
entiam Pa-
pistam af-
fingit Cal-
vinus.
Beza Cal-
vino con-
trarius.

corpus penetrasse per ianuas clausas. Atqui sic asseruerunt ve-
tustissimi & doctissimi Patres superius allegati. Aut igitur &
illi Papistæ fuerunt, aut hunc sensum Papistis ridiculè affin-
git, qui non ab ipsis adinuentus, sed à Patribus doctissimis
traditus fuit. Sed nec ipse Beza ab hoc sensu abhorret, qui
sic in hunc locum annotat. *Vel sponte patuerunt Christo fores,
vel ipsi etiam parietes ei fuerunt peruij: quum ista non fue-
rint ei difficiliora quàm super aquas ambulare.* Sic hoc in loco
doctissimum interpretem corrigere ausus fuit Beza. Sed cur
hunc sensum non concedit bonus Calvinus? Hoc (inquit) *ideo
contendunt, ut corpus gloriosum non modò reddant simile spiri-
tui, sed immensum esse, nulloq; loco contineri obtineant.* Pri-
mùm quicquid Papistis obiecit, idem Patribus ipsique Beze
conueniet. Deinde tam de Papistis quàm de Patribus men-
tiri illum dicimus. Tam Papistæ quàm Patres hoc ideo con-
tendunt, quia litera Evangelica sic clarè loquitur; quia cor-
pori Christi diuinitati coniuncto talis potestas neganda non
est, quod tam Patres quàm Beza discretè profitentur, & altero
similis potestatis exemplo cõfirmant; illi quidem cùm clau-
so matris utero Christus nasceretur, iste verò quia super
aquas Christus ambulauit. Interim Christi gloriosum cor-
pus vel immensum esse, nulloque loco contineri, vel ita simi-
le spiritui esse ut verum & naturale corpus humanum non sit,
(nam aliquo modo spiritui simile esse, ex dotibus nouis omni
corpori glorificato concessis, de quibus Paulus dixit, *Resur-
get corpus spirituale*, ipse, opinor, Calvinus non negabit) nec
Patres nec Papistæ propterea contendunt. Tribuerunt hoc
Patres, tribuunt quoque Papistæ Christi corpori, ut aliud cor-
pus possit penetrare, quia filij Dei corpus erat; & verus ho-
mo modo diuino multa operabatur; non quia aut immen-
sum, aut sine loco, aut aliquid interè spirituale, ipsum corpus
iudicarunt. Ita nihil quàm mentitur Calvinus, ut verum
Scripturæ sensum lectori exosum reddat.

Calvinus
magister
mendax.

Quam quomodo nunc inueniat, attendamus, Nihil (in-
quit) *itale sonant verba; quia non dicit Euangelista intrasse
per ianuas clausas, sed repente sterisse inter discipulos, quum ia-
men clausa essent ianua, nec aditus illi esset patefactus manu
hominis.* Atqui dicit Euangelista *intrasse Christum clausis
ianuis*, quæ verba omnem aditum patefactum excludunt, siue
manu hominis, quem reicit Calvinus, siue potentia aliqua
diuina, ut vult Calvinus. Si enim aditus patefactus erat, siue
humana siue diuina ope, profectò non clausis ianuis, sed
aperis

Verba sa-
cri textus
expendun-
tur.

apertis ianuis intrauit. Ita tam Caluini commentum quam aliud quod ipse reiicit, itémque aliud quod alternatiuè Beza posuit, literæ ac textui Euangelico repugnant. Suum commentum his verbis insinuat Calvinus. *Scimus Petrum è carcere obserato egressum esse. An idèò dicendum erit per medium ferrum & asseres penetrasse?* Sic fingit diuino miraculo fores Christo patefactas fuisse, quòd alterum erat à Beza positum, ne à suo magistro penitus dissentire videatur, sicuti Petro carceris fores referatæ per Angelum erant. Sed vide stupidum hominis commentum. An dicit Scriptura Apostolica Petrum exiisse carcerem foribus clausis, sicut dicit Scriptura Euangelica, *Christum intrasse foribus clausis?* Immodò uonne aperte narrat Scriptura *portam ferream ciuitatis exeuntem. Petro uero apertam fuisse?* Unde bene colligitur, carceris quoque ianuas illi uero apertas fuisse, sicut & colligatæ cathedrae uero ceciderunt de manibus eius. At in hoc Christi ingressu nihil tale insinuat historia Euangelica: sed aperte contrarium narrat, affluens Christus repente ingressum, & repente stetit inter discipulos, cum fores essent clausæ, non cum fores essent patefactæ. Literæ Euangelicæ Patres inhæserunt: inhæremus & nos. Arrogans & impius Calvinus non quod Scriptura narrat miraculum, sed quod ipse comminiscer potuit, audacter & impiè (Scripturæ contradicens) substituit.

Caluini
stupidum
commentum.

Act. 12.

Scripturâ
non reueretur
Caluinus.

Mox simili audacia hanc in modum concludit. *Facebant ergo pueriles ista arguita, quæ nihil prorsus habent solidi, & multa secum trahunt deliria.* Insistere & inhætere literæ Euangelicæ uocat pueriles arguitas. Sic ille Scripturam reueretur. Agnoscere in Christi corpore vim & facultatem alia corpora penetrandi, ait, *nihil habere solidi, & multa secum trahere deliria.* Atqui breui docebo quantum ea sententia solidum habeat, & quàm multa secum deliria Caluini sententia trahat. Patrum & nostra sententia hoc solidum habet, quòd hoc exemplum alias ueritates Euangelicas confirmat: Christum utero uirginis clauso egressum esse: Christum clauso sepulchro resurrexisse à mortuis, ut docet D. Hieronymus ex textu Euangelico in epist. ad Hedibiam: Christum ambulasse super aquas; Christum à Iudæis circumdatum; & eum lapidare uolentibus per medium eorum transisse, nemine illi aditum patefaciente; denique & Christi uerbo Lazarum manibus ac pedibus ligatis (nemine iuante) è sepulchro prodiisse. Omnes istas ueritates Euangelicas hic Christi ingressus clausis ianuis confirmat, & hoc solidum hæc sententia habet, Caluini sententia totidem

Quest. 5.
Mar. 16.
Matt. 14.
Luc. 4.
Ioan. 11.

Sensus Cal-
viniani
delirio.

secum deliria trahit; quot noua commenta adinueniri pos-
sent ad omnes illas veritates Euangelicas simili artificio elu-
dendas. Illud quoque delirium trahit, quod Petri exitus è car-
cere similis fuerit ingressui Christi clausis ianuis; cuius lata
fuit differentia, vt iam explicatum est. Sed & hoc delirium
trahit, quod Christo sic (vt Calvinus vult) ingresso, aut fores
semel patefactæ ita manebant, iamque Apostoli intus clausi
non erant; sed ad cuiuslibet ingressum expositi, quod nec
Christi cum illis præsentia (qui noluit se omnibus manife-
stare) nec Apostolorum timori necdum confirmato conue-
niebat; aut iterum statim oclusi erant Christo semel in-
gresso; quod vel cum strepitu aliquo fieri debuit, vt com-
muniter fieri solet, atque ita non steterit repente inter disci-
pulos Christus (quod cum fecisse Calvinus affirmat) vel nouo
miraculo alio sine strepitu firmiter clauderentur, vel certe
Christum ipsum magna modestia & cautela fores iterum clau-
dite fingere oportet: quæ omnia ab historia Euangelica lon-
gissime discrepantia, non nisi eõmenti Caluini deliria sunt.

21. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.

Caluini
ludus an-
ceps.

Calvinus hoc loco quasi lupum auribus tenens, Ecce-
lesiasticam auctoritatem quam luculenter stabiliri vidit,
nec tamen stabiliri velle, modo agnoscit, modo reiicit; mo-
do prædicat, modo deprimit, modo statuit, modo destruit;
modo affirmat, modo negat. Vt eam agnosceret, prædicaret,
statueret, affirmaret, loci euentia compulit. Vt eam tamen
quibus posset artibus reiiceret, deprimeret, destrueret, ac ne-
garet, animus eius fecit hæreticus, superbus, arrogans, qui
obedientiæ Ecclesiasticæ iugum ferre nequit, sed per se sape-
re, non per alios; nec magistros sequi, sed ducere, seducere,
abducere post se discipulos, vult. Hunc eius improbum ludum,
quo sectorem ludificat, aduertere & refutare operæ pretium
est. Priores veritatis patres hinc agit. Perinde (inquit) valent
hæc verba ac si diceret se Doctoris officio hætenus defunctum
esse. Completo igitur cursu sui stadio, se nunc eisdem illis man-
dare vices. Nam intelligit se hæc lege creatum fuisse à Patre
Ecclesie Doctorem, vt præiret reliquis ad tempus, deinde subro-
garet in suum locum qui absentis vices supplerent. Qua etiam
ratione Paulus dicit eum dedisse alios Apostolos, alios Euange-
listas, alios Pastores, qui Ecclesiam usque ad finem mundi gu-
bernent. Primum itaque testatur Christus, quamuis ipse habuerit
tempo

Ecclesia-
stica au-
thoritas à
Caluino
agnita.

Ephes. 4.

temporale docendi munus, Euangelij tamen prædicationem non exigui esse temporis, sed æternam fore. Deinde ne minor sit doctrina authoritas in ore Apostolorum, iubet in eandem, quam à Patre accepit, functionem succedere, eandem illis imponit personam, ac idem iuris assignat. Atque ita sanciri eorum ministerium oportuit (erant enim ignari & gregarij homines.) Deinde ut in illis esset summus splendor, ac dignitas, scimus tamen, quicquid est hominum, longè esse fide inferius. Quare non abs re Christus cum Apostolis suis communicat quam à Patre auctoritatem accepit: ut hoc modo declararet, non humanitatis, sed Dei iussu illis iniungi Euangelij prædicationem. Hæc ille hæctenus pro veritate. Agnoscit Apostolos & alios in Ecclesia Pastores & Doctores, iuxta Pauli verba, *absentis Christi vices supplere.* Prædicat hoc eorum munus fore perpetuum usq; ad finem mundi. Statuit doctrinæ auctoritatē tantam esse in ore Apostolorum, Pastorum, & Doctorem, ut suam illis personam Christus imponat, & idem iuris assignet. Affirmat denique hoc iudicium factum esse, ut Euangelij prædicationem quam facit Ecclesia, non humanam sed diuinam, & ex Deo esse intelligeremus. Hæc igitur veritatis confessio, quam literæ Evangelicæ perspicuitas Caluino extorsit, duo nos in primis contra hæreticos horum temporum docet. Vnum est, Euangelij prædicationem esse æternam, ideoque eam hæctenus, ex quo propagari cœpit, nunquam cessasse, quod huius ætatis sectarios manifesti schismatis, erroris, impietatis conuincit, qui ab Ecclesia se segregant, & omnes hæctenus in Ecclesia Pastores ac Doctores seu vetustissimos, seu doctissimos, à vera Scripturarum intelligentia, veraque fidei Evangelicæ doctrina aberrasse statuunt, ut propterea eorum iudicium in alterutra equi prorsus recusent, & Caluinus omnium maximè. Alterum est, doctrinæ ecclesiasticæ non secus obediendum esse quam doctrinæ Christi, quando personam Ecclesiæ Doctores sustineat, & idem à Christo iuris accipiunt, quod ille à Patre.

Hoc posterius quia ferre Caluinus non potuit, alteram nunc personam induit, & in rebellionis hæreticæ fauorem, quæ hæctenus agnouit, reicit; quæ prædicauit, deprimit; quæ statuerat, destruit; quæ affirmauit, negat. Caterum (inquit) non ita substituit in locum suum, ut summo magisterio cedat, quod penes eum residere voluit Pater. Manet igitur ipse, æternumque manebit, vnicus Ecclesiæ Doctor. Quid ergo? An adhuc magisterium in mundo exercet Christus? Adhuc nos vna voce

Ecclesiastica doctrina perpetua. Eiusdem auctoritas.

1.
2.
3.
4.

Caluini confessio Caluinianos omnes cõdemnat.

Ecclesiastica auctoritas ab eodem Caluino peritura euertitur.

alloquitur, docet, regit? Dixisti modo Caluine, *Subrogauit in suum locum qui absentis vices supplerent*. Si hoc verum est, quomodo adhuc penes vnum Christum, quasi presentem, summum magisterium residet? Quomodo vnicus Ecclesie Doctor Christus est, qui tot alios dedit Doctores, Pastores, &c. Explicabit magis suam mentem Caluinus. *Sed hoc, inquit, tantum interest, quod locutus ore suo, quam diu in terris versatus est, nunc per Apostolos loquitur*. Non est igitur vnicus et si supremus Ecclesie Doctor Christus. Dignatus est autem facere doctores. Loquitur nunc Christus per alios doctores. Nihil istud aut supremo Christi magisterio, aut Apostolis aliisve doctoribus derogat. Audiamus adhuc Caluinum. *Talis ergo est successio, ut nihil Christo decedat, sed illi ius suum saluum & intactum maneat, honorque integer*. Est enim inuolabile illud decretum, quo iubemur, *ipsum audire, non alios*. Paulatim se aperit Caluinus, & venenum, quod pectore corit, calamo exprimere perentat. *Est, inquit, inuolabile decretum, quo iubemur, ipsum audire, non alios*. Si alij audiendi non sunt, ergo falsa sunt omnia quae hactenus dicta sunt. Falsum est Apostolis suas Christum mandasse vices. Quas enim vices mandauit, nisi vt Euangelium praedicantes audirentur a populis? Falsum est subrogasse Christum in suum locum qui absentis vices supplerent. Quid est enim absentis Christi vices supplere, quam docere, & docetes audiri? Falsum est Apostolos in eandem quam Christus accepit a Patre functionem succedere. Si enim in eandem succedunt, debent audiri sicut Christus auditus est. Falsum est suam personam Apostolis Christum imposuisse. Si enim eandem personam sustinent, similiter audiri debent. Denique falsum Apostolis idem iuris assignatum esse. Si enim idem iuris illis assignatum est, eodem iure tum illos docere, tum ab aliis audiri oportet. Postremo vbi legitur, vbi scribitur, vbi inuenitur, hoc inuolabile decretum, quo iubemur *ipsum audire, non alios*? Legimus in Euangel. *Ipsam audite*: sed non legimus; *Ipsam audite, non alios*. Immo ipse ita audiendus iubet nos audite alios: *Qui vos audit, me audit*. & hoc loco dixit: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*. Sicut ego hactenus audiri debui, sic volo nunc audiri vos. Est hoc ergo execrabile Caluini mendacium, non inuolabile Dei decretum. Immo inuolabile Dei decretum est, *Ipsam audite, & alios*, quos ille mittit: quod Scripturae Evangelicae iam citata nos docuerunt.

Vno verbo
ho no alios,
Scriptura
intoxicat
Caluinus.

Matth. 17.
Luca 10.

Pergamus adhuc cum Caluino, vt improbam eius mentem
magis

magis intelligamus. *In summa*, inquit, *Christus non homines ornare voluit, sed Evangelij doctrinam*. Iam totum suum venenum effudit: paucis quidem verbis & concisè more suo, sed sic ut à suis satis intelligatur, ab aduersario difficilius capiat. Capimus tamen Dei beneficio quid homo improbus dicere velit. Ecclesiæ Pastores, Doctores, ipsosque Apostolos omni autoritate spoliare vult, ut nō in illis, non in illorum voce ac prædicatione, sed in Evangelij doctrina tota autoritas à Christo data collocetur. Iam si per Evangelij doctrinam quid intelligat, roges respondebit Calvinista in Calvini placitis bene institutus, Scripturam eo nomine intelligi. Sic enim alibi Calvinus scribit. *Meminisse oportet quicquid auctoritatis ac dignitatis Spiritus in Scriptura siue Sacerdotibus, siue Prophetis, siue Apostolis, siue Apostolorum successoribus defert, id totum non propriè hominibus ipsis, sed ministerio cui præfati sunt dari: vel (ut expeditius loquamur) verbo, cuius ministerium est illis commissum*. Et post longam disputationem causam concludens ait. *Non est igitur Ecclesia potestas infinita, sed subiecta verbo Domini, & in eo quasi inclusa*. Postea quoque, quid hoc verbo Domini intelligat, pleno ore profiteretur. *Apostoli fuerunt certi & authentici Spiritus sancti amanuenses, & idè eorum scripta pro Dei oraculis habèda sunt. Alij autem non aliud habent officij, nisi ut doceant quod sacris Scripturis proditum est, ac consignatum*. Tenemus nunc quid per Evangelij doctrinam, quam solam à Christo hoc loco ornari Calvinus vult, intelligat Calvinus: & hæc secundum illum tota est huius loci resolutio: *Sicut misit me Pater, ita ego mitto vos*: id est: *Sicut misit me Pater viva voce docere, sic posthac volo ut vos quidem omnia scripto comprehendatis, & post vos sola scriptura doceat*. Sic iterū falsa erunt omnia quæ de Apostolorum & aliorum in Ecclesia Doctorum (iuxta Pauli verba) perpetuò docentium post Christum successione, non minori autoritate, eadem functione, eadem imposita persona, eiusdem iuris assignatione, tam splendide dixerat. Cæterum illa omnia vera sunt, quia Christi verba hoc totum euidenter loquuntur; hoc posterius Calvini commentum falsum est, quia nulla id Scriptura loquitur.

Christus hoc loco ipsos homines ornare voluit, ad doctrinæ Evangelicæ commendationem; non ipsam doctrinam, unde homines commendarentur. Doctores Christus mittit, qui viva voce doceant, sicut ille docuit; doctrinam ab illis petere iubet, non ipsam doctrinam in culmine autoritatis ponit. A Do-

ctore doctrinam, à Pastore pabulum, à Magistro scientiam accipere debemus. *Fides est ex auditu* Pastorum, Doctorum, Magistrorum, quos Christus dedit, non ex lectione Scripturarum. Scripturas ab istis Magistris accipimus, & per easdem eas intelligimus: Magistros, Pastores, Doctores à Scripturis non accepimus. Frustra Calvinus, frustra cæteri hæretici rem totam inuertunt. Nos Christi verbis in hæremus: eius inuolabile decretum tenemus: *Qui vos audit, me audit. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Homines ornat Christus, ad homines nos mittit, homines audire debemus. Sed tales homines, qui Spiritum Dei indubitanter habent, quibus Spiritum veritatis Christus promisit & dedit. Immo quos statim insufflando iubet *accipere Spiritum Sanctum*, & acceperunt. Cum quibus Christus *perpetuò se affuturum* prædixit, nec fallit. Quos *Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam suam*; nec quos posuit, sua gratia destituit. Hæretici hodie, quia Scripturam in manus accipere, vertere, inuertere, pervertere, ad omnem quem voluit sensum trahere, pertrahere, torquere possunt; illam solam prædicant, in illa sola omnem auctoritatem collocant, illam solam audiri volunt. Ecclesiæ gubernacula quia non tenent, nec tenere possunt, Ecclesiæ Pastores, Doctores. Magistri quia esse non possunt, nec locum illorum tenere, aut illis succedere, à quorum doctrina abhorrent, idcirco Pastores & Doctores omni fide spoliare contendunt. Sed tales Christus dedit, teste Paulo, *ad opus ministerij, ad consummationem sanctorum, ad ædificationem corporis Christi.* Tales nos audimus. Christus tales hoc loco mittit. Nos talibus autem præbemus. Ab hac veritatis columna, ab hoc firmamento, nulla nos hæreticorum vastities aut violentia abducere debet.

Rom. 10.

Ioan. 14.

et 15.

Vers. seq.

Matt. 28.

Act. 20.

Scripturas

solas cur

hæretici

in auctori-

tate ponunt.

Ephes. 4.

22. *Hoc cum dixisset, insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum.*

Atum sibi hic campum aperiri putauit Calvinus, quo in Ecclesiæ Catholicæ Episcopos ac Pastores, eius excutere possit oratio. Laxatis igitur habenis toto fertur imperu, ut lethali aliquo ac certo ictu hostem conficiat. Pro hoste enim capitalis omnis hæreticus eos habet, qui vetæ Ecclesiæ gubernaculis præsumunt. Videamus quam fortiter dimicat, & an non sit yana sine viribus ira. *Quod Christus (inquit) in Apostolos sufflauit, & hoc externo simbolo se Spiritus sui virtutem in eos proferre testatus est, non quadraret, nisi ab eo prodiret*

Spiri

*Spiritus. Quo magis detestabile est Papiſtarum ſacrilegium, qui honorem Filio Dei proprium ad ſe rapiunt. Nam cornuti eorum Episcopi, in creandis ſacrificis Spiritum ructando ſe eſt flare iactant. Sed res ipſa clare demonſtrat, quantum à diuino Christi flatu differat putidus eorum anhelitus: quia nihil aliud quàm ex equis aſinos faciunt. Videmus quàm acri impetu fertur, & quàm altum ac lethale vulnus toti ordini Episcoporum infligere contendit. Sed totus hic impetus vno verbo ſiſtitur, & totus hic ictus facile auertitur. Detestabile aut eſt ſacrilegium quòd honorem Filio Dei proprium Episcopi ad ſe rapiunt, quando in creandis Presbyteris Spiritum ſe illis dare profitentur. Odiſa Caluini vocabula & caninæ eius facundia ſchemata nihil moror. Non eſt illa diſputatio grauis, ſed iuxta ſcutilis. Atqui eiſdem detestabilis ſacrilegij Apoſtolum Paulum reum eſſe, inſani hominis oratio conuincet. Sic enim ille ad ſuum Timotheum, quem Presbyterum creauit, ſcribit. *Admoneo te vt reſuscites gratiã Dei qua eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* Hæc Dei gratia an aliud quàm Spiritus ſancti gratia erat? Quum hanc Paulus per impoſitionem manuum Timotheo dedit, an aliã dedit quàm in eo Presbytero creando? Si ergo dare Spiritum Sanctum, quod non eſt aliud quàm dare aliquam Spiritus gratiam, donum, poteſtatem, ſoli Chriſto proprium eſt; & Chriſti honorem cum detestabili ſacrilegio ad ſe rapiunt, qui illam gratiam ſe dare profitentur: non Episcopi tantùm Catholici, in quos Caluinus excurrit, ſed Paulus ipſe ſacrilegij detestabilis reus perageatur. Sed detestabilis eſt & ſacrilega hæc tota Caluini criminatio, quando quàm Chriſtus Apoſtoliſ hoc loco poteſtatem dedit, eandem ſuis Apoſtoli ſucceſſoribus, vt Paulus Timotheo, aliique aliis iudubitanter dederunt, & neceſſariò dandam eſſe, vt perpætua eſſet Paſtorum ſucceſſio, facile intellexerunt.*

At magno ſe argumento niti putat Caluinus, quòd Chriſtus in Apoſtolos ſufflando Spiritum illis nõ daret niſi ab eo prodiret Spiritus. Hinc enim inferit detestabile Episcoporum ſacrilegium, qui eodem ſymbolo externo vſi Spiritum Sanctum inſtitutiſ ſuis cõferunt, atque honorem filio Dei proprium ad ſe rapiunt. Sed non aduertit, aut diſſimulat potius, vt cæcus ac maleuolus hæreticus, à Chriſto hoc factum eſſe, vt perſona filij Dei, propria authoritate, ab Episcopis idem fieri authoritate non propria, ſed ministeriali, & à Chriſto accepta, & per homines quidem dari Spiritum Sanctum, ſed non ab

Caluini
declama-
tio contra
Episcopos
in clerum
ordinatos.

Paulum
Caluinus
ſacrilegij
detestabi-
lis accuſat
2. Tim. 1.

Episcopi
dantes Spi-
ritum S.
honorem
Chriſto
proprium
non aſſu-
munt.

Contra
Par. lib.
2. cap. 14.

Ibidem ca.
11.

De nupt.
& concup.
lib. 2. c. 18.
& lib. 1.
cap. 28.

ipsis hominibus. Vnde & Paulus non dixit Timotheo: *Resuscita gratiam qua data est tibi à me, sed, quæ data est tibi per me, per impositionem manuum mearum.* Quare B. Augustinus acerrimè disputans contra Donatistas, *Deum, nõ hominem, dare sanctitatem in Sacramentis*, obiicienti tamen aduersario, *Deum per hominem dare*, concedit simpliciter. Et ex hoc ipso, quem tractamus, loco ostendit, non quidem ab homine, sed tamen per hominem dari remissionem peccatorum, qui proprius est diuini Spiritus effectus. *Esset, inquit, contra nos, & cogeremur fateri ab homine non per homines remitti peccata, si postquam dixit Christus, Sicut misit me Pater, ego mitto vos, subiiecisset continuo. Quorum remisistis peccata, remittuntur eis, cum verò interpositum est. Hoc cum dixisset, insufflauit, & ait illis, Accipite Spiritum Sanctum & deinde illatum, per eos remissionem fieri peccatorum, satis ostenditur non ipsos id agere, sed per eos utique Spiritum Sanctum.* Hæc Augustinus. Sicuti ergo non ab homine, sed per hominem datur remissio peccatorum, siue in pœnitentia, siue in Baptismo; sic non ab homine, sed per hominem datur potestas absoluendi peccata, & baptizandi, & Euangelium prædicandi, idque eisdem ceremoniis, quibus Christus usus est. Nisi fortè vt impositione manuum à Christo accepta Apostoli vsi fuerunt, sic etiam insufflatione à Christo accepta uti non potuerint. Iam verò quid potentius aut diuinius est, exsufflando Diabolum eicere, quàm insufflando Spiritus Sancti gratiam dare? Atqui illa altera ceremonia vsa semper est Ecclesia, recte locupletissimo D. August. *In Ecclesia (inquit) toto orbe diffusa ubique omnes baptizandi infantuli non ob aliud exsufflantur & exorcizantur, quàm vt ab eis princeps mundi eiciatur foras, à quo necesse est vasa ira possideantur.* Non ergo honorem filio Dei proprium Ecclesia Catholica sibi arripit, sed potestate sibi à Christo data legitime utitur, qua non quidem ab illa, sed per illam eiusque ministerium variæ diuini Spiritus gratiæ conferuntur, & Diabolus ipse foras eicitur.

Pergamus iam cum Caluino, qui hanc causam adhuc magis premit. *Adde quòd non modò Spiritum Christus, quem accepit, communicat cum suis discipulis, sed tanquam suum largitur, nempe quem habet cum Patre communem. Quare diuinitatis gloriam sibi usurpant, quicumque Spiritum flatu se dare profiterentur.* At quid interest siue per flatum, siue per impositionem manuum, siue aliquo alio externo symbolo à Christo accepto, Spiritus S. conferatur? Si ergo flatu Spiritum S. dare

est

est diuinitatis gloriam sibi vsurpare; eam sibi Paulus vsurpauit, qui per impositionem manuum suarum Spiritus sancti gratiam Timotheo creato presbytero dariam fuisse profiteretur. Atqui nec Paulus, nec alij Episcopi, hanc se dare gratiam profitentur, quasi ab illis hæc gratia promanaret, sed quia per illos hæc gratia promanet. *Ministerium suum exhibent* (ait S. Ambrosius) *non ius potestatis exercent. Linguam & manum præbet Sacerdos* (ait D. Chrysostomus) *in his autem quæ à Deo donata sunt, neque Angelus, neque Archangelus efficere quicquam potest. Si minister iustificat impium* (ait Augustinus) *consequens est ut credamus in eum. At cur hæc omnia rectissimè à Patribus dicuntur? Sanè quia qui dat, Deus est; per quem multa dantur, Ecclesiæ minister Sacerdos est. Cùm igitur Nouatiani veteres hæretici potestatem remittendi peccata penes Ecclesiam esse negarent, dicerentq; quod nunc Caluinus quasi ex eorum dictatis repetit, Nulla in his hominis potestas est, ubi diuini muneris gratia viget: respondet S. Ambrosius, & ex perpetua Ecclesiæ praxi ac fide, quæ & ipsi exercebant, eos repellens ait. Cur ergo manus imponitis, & benedictionis opus creditis, si quis fortè releuauerit egrotus? Cur præsumitis aliquos à colluione diaboli per vos mundari posse? Cur baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? Quid interest utrum per pœnitentiam an per lauacrum hoc ius sibi datum Sacerdotes uendicent? Vnum in utroque ministerium est. Hæc ille. Et paulò antè dixerat: Vult Dominus ea fieri à seruis suis in nomine suo, quæ faciebat ipse posuit in terris. Idem & S. Basilus scribit. Axiomata sua Iesus largitur alijs. Quæ sua sunt, largitur seruis suis. Nec dissimiliter Chrysostomus: Omne iudicium Pater dedit Filio; sed hoc totum video à Filio esse Sacerdotibus commissum. Quare vetustissimus & doctissimus Arcopagita, ministros Ecclesiæ ait, purgare, illuminare, perficere. In his nihil filio Dei proprium sibi arrogat Ecclesia; sed filij Dei ministram se agnoscit Ecclesia; ut per illam fiat, quod solus Dei Spiritus facit.*

Atqui necdum suum cursum confecit Caluinus. Currentem insequamur. *Iam verò (inquit) notandum est, quos ad munus Pastorale vocat Christus, necessarijs etiam donis ornare, ut pares sint exequendo muneri, vel saltem nõ inanes undique accedant. Quod si verum est, nullo negotio refellitur stultiæ Pa-*

pistarum iactantia, qui dum suam Hierarchiam magnificis præconijs extollunt, ne minimam quidem scintillam Spiritus sancti possunt in suis Episcopis ostendere. Volunt ut legitimos credamus

Eccle

De Spiritu sancto lib. 3. c. 59. Homil. 75. in Ioan. Contra Crescon. lib. 3. cap. 11.

De pœnitent. lib. 1. cap. 7.

In Homil. de pœnit. De Sacerdot. lib. 3. Cælest. hierarch. par. 1. cap. 5.

Rixa Caluini contra Episcopos.

Ecclesia Pastores, adeoque Apostolos, & vicarios Christi, quos apparet omni Spiritus gratia prorsus esse vacuos. Atqui hic nobis certa regula præscribitur æstimanda eorum vocationis, qui Ecclesia Dei præsent; si videamus Spiritu sancto donatos. Hæc ille ita præcipiti cursu contra Ecclesiam raptus, vt tam extra huius loci metas quam extra omnem rationis limitem sese abripuerit. Nec ad hunc locum quicquã pertinet quod garrit, nec nisi rixa quædã scurrilis totus eius garritus est. Certa (inquit) hic regula præscribitur æstimanda eorum vocationis, qui Ecclesia Dei præsent, si eos videmus Spiritu sancto donatos. Dona autem exponit, necessaria illa, vt pares sint exequendo muneri, aut saltem non inanes undique accedant. Menitur ac fallit impostor. Cùm Christus insufflando dixit, Accipite Spiritum sanctum: non dedit Apostolis dona illa necessaria quibus pares essent Apostolico muneri exequendo; sed illã tantùm spiritualem potestatem ac facultatem dedit, qua peccata remitterent aut tenerent, vt verba proximè subsequẽtia manifestum faciunt, nõsque in illis explicandis statim ostendimus. Sed & Calvinus ipse hoc ex parte astringit, seque ipse hoc eodem in loco refutat. Ait enim. Si ritè omnia expendimus, non tam in præsentia necessarijs eos dotibus instruit, quam in futurum tempus Spiritus sui organa destinat. Quare hic status ad magnificam illam Spiritus missionem, quam toties pollicitus fuerat, magna ex parte referri & extendi debet. Agnoscit non hic dari Apostolis necessaria illis dotes quibus exequendo suo muneri pares sint, sed in die Pentecostes illas datas esse; quod est verissimum: ideoque hoc in loco regulam præscribi æstimandæ vocationis ex donis & dotibus exercendæ vocationi necessariis, quæ nos videmus, est falsissimum. Cur & quorsum Spiritus S. hoc loco datus fuerit, in proxima sententia explicabitur. Nũc tenemus dona necessaria vocationi sacerdotali nec data nec promissa isto in loco. Sic extra huius loci metas præcipiti & infano cursu longissimè se abripuit.

Caluini rixã a seipso refutat.

Caluini furor bacchicus.

Nunc vt omnes rationis atque honestatis limites excesserit, quid opus est ostendere? Quid nisi scurrile conuivium & bacchicus furor est, omnes in vnam Ecclesiæ Catholicæ Episcopos, Sacerdotes, Pastores, Doctores, superba voce damnare, quod nec minima scintilla Spiritus sancti in illis ostendat? Quis Calvinum talem Aristarchum constituit? Quis illi hanc censoriam potestatem contulit? Quis eum huiusmodi Dictatorem creauit? Annon verè rabulam & scetram agit, flagro potius & loro coercendus, quã iusta oratione referendus?

Sed & cæcus hæreticus (quidni enim superbia cæca sit?) non videt totam hanc orationem in se libosque, siue verè siue falsè, eodidem tamen verbis regeri posse. Quod qui faceret, siue vera, siue falsa, narraret, hominis tamen insaniam pari insania compefceret. Docet quippe experientia ad insaniam compefendam optimum esse remedium, vt duo inter se insani committantur; vel certè vt insanū se fingens aliam insanum pari furore aggrediatur. Sed mihi in hac descriptione tam seria & graui cum Caluino insanite non libet: & habet adhuc alia quæ contra Catholicos disputet. Illa videamus.

Obferuent (inquit) lectores, externo & visibili flatus symbolo simul verbum coniungi. Nam & hinc Sacramenta vim suam mutuantur. Non quod in voce, quæ auribus personat, inclusa sit Spiritus efficacia: sed quia à testimonio verbi pendet omnium eorum effectus quæ ex Sacramentis percipiunt fideles. Hæc hætenus vera sunt, si verbi vocabulo forma Sacramentalis intelligatur elemento visibili coniuncta, non verbi prædicatio, vt latè cõtra Caluinum supra disputauimus. Audiamus sequentia. *Flat Christus in Apostolos. Hi non flatum modò, sed Spiritum quoque recipiunt. Cur, nisi quia illis Christus p: omittit?* Hic fallit impostor. Non enim quia Christus promittit, sed quia Christus dat, Apostoli hoc loco Spiritum sanctum accipiunt. Ait illis Christus, *Accipite Spiritum sanctum: non ait, Accipietis Spiritum sanctum. Dat illum, nõ promittit illum. Fallit igitur & mentitur Caluinus. Pergamus nunc. Similiter (ait Caluinus) in baptismo Christum induimus, abluimur eius sanguine crucifigitur vetus homo nosier, vt regnet in nobis Dei iustitia. In sacra Coena spiritualiter Christi carne & sanguine pascimur. Vnde tanta vis, nisi ex Christi promissione, qui Spiritu suo efficit ac prestat quod verbo testatur?* Iam apparet cū antea mentiri Caluinus voluit, quum promittere Christum dixit, quod non promisit, sed dedit. Nempe vt totam vim Sacramentorum doceat à verbo promissionis pendere. Sed vt antea mentitus fefellit; sic & quod hic narrat, aliud Caluini mendacium est. Non ex Christi promissione, sed ex Christi institutione, ex materia elementari & certa verborum forma ab ipso institutis, pendet tota illa ac tanta Sacramentorum vis, vt loco iam citato contra Caluinum latius disputauimus.

Nunc quid ex his omnibus inferre Caluinus velit, audiamus. *Sciãmus ergo quacunque commenti sunt homines Sacramenta, seipso iustum iudicium. nihil aliud quàm mera ludibria esse, aut frivolosus: quia nulla signis potest constare veritas, nisi ubi adest verbum Domini.*

Quo

Quoniam autem nunquam ita in sacris luditur sine impia Dei contumelia & animorum interitu, summo studio cauenda sunt tales Satanae praestigia. Sunt haec omnia verissima; quo magis execrabiles Calvinistae, qui ex diuinissimo venerabilis Eucharistiae Sacramento profanam coenam fecerunt, vbi nihil quam panis communis manducatur, quem etiam manducant canes, & cuius reliquiae in eorum coena canibus dantur; vel si e manu accipientes forte delapsam canis deuorauerit, pro nihilo ab illis habetur: cuius rei in Anglia nostra exempla habemus. Sed vt in Caluini fabula maneamus, qui sunt homines, & quae sunt haec Sacramenta quae commenti sunt? Aperte non dicit; sed quos intelligi velit, subsequens oratio satis demonstrat. Si quis (inquit) obijciat non esse culpandum quod faciunt Episcopi Papales, dum flammam suam inaugurant sacrificios, quia illic verbum Christi annexum est signo; responsio in promptu est, Christum non loquutum esse Apostolis, vt perpetuum Sacramentum in Ecclesia institueret, sed semel testari voluisse quod nuper diximus, non aliunde quam a se solo prodire Spiritum; deinde se nunquam minus iniungere, quin simul virtutem superpediret ministris suis, eosque facultate instruat. Hac ille satis demonstrans, Sacramentum poenitentiae, in quo fit remissio peccatorum, quod iuxta haec Christi verba Ecclesia Catholica perpetuo celebravit, ipsius iudicio merum esse ludibrium, lusum friuolum, ac Satanae praestigias. Sed quam adfert horum omnium rationem? hanc vocat, quod Christus hic perpetuum Sacramentum non instituit. Sed hoc ipsum quomodo probat? sola & simplici negatione: & quia aliam ille verborum Christi rationem iam assignauit, quod est dicere: Non est verum quod Papistae dicunt, sed quod ego dico. Ita quod tota Ecclesia hactenus semper intellexit & credit; non aliunde infirmat Caluinus quam quia illud negat, & aliud affirmat. Ista sunt mera ludibria, friuoli lusum, & Satanae praestigia; quae exerceat Caluinus a Satana edoctus. Sic ille in sacris ludit cum impia Dei contumelia, & animarum interitu. Quod vniuersa seruat per orbem Ecclesia, & tota contestatur antiquitas, hoc simplici negatione destruere satis putat esse Caluinus. Antiquitatis testimonia in proximo textu explicatione proferentur, vbi & quale hic Sacramentum Christus instituit, apertius explicabitur.

Nunc quid adhuc in Caluino contra Ecclesiae fidem sequatur, dispiciamus. Omitto (inquit) quod in Papatu in finem longe diuersum vel potius contrarium sacrificii creantur; nempe

*Ecclesia
receptissi-
mam fide
simplici ne-
gatione de-
struit Cal-
uinum.*

ad mactandum quotidie Christum, quum ad homines Euangelij gladio immolandos creati fuerint Apostoli. Alia adhuc hæc accusatio est, à præsentis Euangelici textus sententia longissime remota. Neque enim hic de toto & proprio Sacerdotalis ordinis Sacramento, sed de poenitentiae Sacramento, & potestate remittendi peccata, quæ ordinis Sacerdotalis & iurisdictionis ordini annexæ propria est, disputat Christus, vt in proximo textu docebitur. Arripit tamen hanc qualemcunque ansam Caluinus, vt stomacho suo indulgeat. Ait in Sacramento ordinis, quod ex hoc loco deduci supponit, creati sacrificos qui mactent quotidie Christum. Impuro hæretico grauissimos & vetustissimos Patres opponimus, qui Sacerdotalis muneris in Ecclesia Christi hanc esse potissimam functionem docent, vt quotidianum sacrificium corporis & sanguinis Christi peragant, Dionysius Areopag. Sacerdotalia munera & totam Hierarchiam Ecclesiasticam ex instituto describens, excellentissimam eorum partem in sacrificio & liturgia ponit, quam prolixè & accuratè pertractat. *Post sacras* (inquit) *diuinorum operû laudes, hostiam salutarem litat, se excusans,* &c. Chrysostomus Sacerdotalem dignitatem & functionem libris sex enarrans, non in alia re magis eam collocat, quàm in quotidiani sacrificij oblatione. *Eum* (inquit) *qui pro ciuitate tota, quid dico ciuitate? immò uniuerso mundo legatus intercedit, deprecaturq; est apud Deum, vt hominum omnium non uiuentium modo, sed & mortuorû peccatis propitiu fiat, qualem, quæso, esse oportet? Quum autem ille & Spiritum sanctum inuocauerit, sacrificiumq; illud horrore ac reuerentia plenissimè perfecerit, communi omnium Domino manibus assidue pertrahato, quæro ex te quoto illum ordine collocabimus?* Hæc ille. Diuus Ambrosius in libro de dignitate Sacerdotali, ordinem Sacerdotalem hoc potissimum nomine extollit, quod Regum colla & Principum genibus Sacerdotum submittantur; & exosculatum eorum dextris, orationibus eorum & sacrificijs credant se communiri. Neque aliam exponit gratiam per manuum impositionem presbyterij (de qua Apostolum ad Timotheum) quàm *verba mystica quibus confirmatur ad opus electus, accipiens au horitatem recte conscientia sua, vt audeat vice Domini sacrificium Deo suo offerre.* De hoc proprio Sacerdotali munere hanc in modum Cyprianus. *Ille sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id quod Christus fecit imitatur: & sacrificiû verum ac plenum tunc offert Deo Patri, si sic incipiat offerre secundum quod ipsum Christum videat obtulisse.* Rursum alio

Sacerdotale officium proprie in sacrificio quotidiano.

Ecclesiast. Hierarch. c. 7. pars. 3.

De Sacerdotio lib. 6.

Cap. 10.

In cõment. in 1. Tim. 4.

Lib. 2.

Epist. 1.

in loco Sacerdotes quasi etymologicè explicat, *Qui sacrificiū Dei quotidie celebramus: ac similiter Gregorius Nazianz. in carmine: O sacrificia incruenta mittentes Sacerdotes! Diuus Hieronymus Sacerdotum reuerentiam & honorem allegaturus: Absit (inquit) ut de his quicquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiūt.*

Lib. 1. Epist. 20. Eusebius Pamphili Sacerdotum officium in eo positum demonstrat, *ut diuinum numen placantes pro se ipsis & pro confratribus suis sacrificium perficiant: ἀποτελέσωμεν ἑαυτοῦ καὶ τοῦ θεοῦ ἕνεκα, καὶ ἄλλων.* Justinus martyr ita hoc Sacerdotibus Christianis proprium censet Deo sacrificare, ut scribat: *Non accipit à quocquam Deus sacrificia (τὰς θυσίας) nisi à sacerdotibus suis, ἐκ τῆς ἀγίας τοῦ ἑσπερίου αὐτοῦ.*

Epist. 4. ad Heliodorū. Demonst. Euangel. lib. 1. c. 6. Ignatius Apostolis proximus, ad eò hanc functionis Sacerdotalis partem excellentem iudicauit, ut uerit sine Episcopo præsentē sacrificare, quod tribus quasi synonymis variat: *ἄτε προσφέρειν, ἄτε θύειν, καὶ προσκεῖσθαι, ἄτε δοῦναι τὰ ἁγίασματάς.* Irenæo, Polycarpi discipulo, ita hæc res comperita fuit, ut scribat: *Sacrificia in veteri populo, sacrificia in Ecclesia: oblationes illic, oblationes & hic: species tantum mutata est. Quæ autem illa species sit, eodem in libro paulò superius explicuerat. Christus (inquit) accipiens panem, &c. noui testamenti nouam docuit oblationem: quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in uniuerso mundo offert Deo.*

Cap. 32. De hoc quoque sacrificio D. Augustinus. *Sacrificium (inquit) & oblationem noluisse, corpus autem apertasti mihi: quia pro illis omnibus sacrificijs & oblationibus corpus eius offertur, & participantibus ministratur.* Rursum alio in loco. *Hebræi celebrabant in uictimis pecorum prophetiam futurae uictima in cruce. Vnde iam peracti eiusdem sacrificij memoriam celebrant Christiani sacrosancta oblatione & participatione corporis & sanguinis Domini. Vide ut utrumque coniungat Augustinus, oblationem & participationem. Solam participationem agnoscūt hæretici: oblationem & sacrificium negant, quod mactationem Calvinus vocat, familiari sua auxilij usus. Quibus hæc in parte idem respondebimus quod Augustinus Manichæis, diuinum etiam hoc sacrificium sua profana impietate contaminantibus, sicut cœna Calvinistica idem hodie contaminat, eodem in loco respondit. Manichæi (& Calviniani) nescientes quid damnandum sit in sacrificijs Gentium, & quid intelligendum in sacrificijs Hebræorum, & quid tenendum vel obseruandum in sacrificio Christianorum, uanitatem suam sacrum offerunt diabolo. Satis sunt hæc & clara & numerosa totius antiquitatis testi*

testimonia, quum ad sacrificium quotidianum peragendum creantur Sacerdotes, non in finem longè diuersum aut contrarium (vt garrit Calvinus) sed in proprium & excellentissimum illius ordinis finem illos creari. Ex qua etiam tot nobilissimorū testiū concordī sententia perspicuè refutatur quod alio in loco Ecclesiæ Catholicæ impius impingit Calvinus. De Episcopis & eorum authoritate disputans ita cauillatur. *Presbyteros creandi ius sibi solis competere dicunt. Rem in tota antiquitate testatissimā vide & attende quo modo refuter. Sed (inquit) in hoc pessimè corrumpunt vetus institutum, quod non Presbyteros sua ordinatione creant, qui populum regant ac pascant, sed sacerdotes qui sacrificent.* Sic ad rem ipsam nihil respondens, & aliò disputationem conuertens, hac futili cauillatione lectorem ludificat. Nunc enim ex tot illustrium Patrum testimoniis clarissimè constat, *vetus institutum non corrumpi, sed rectissimè teneri, & obseruari, quod in Presbyterorum ordinatione Sacerdotes creantur, qui sacrificent Deo victimam salutarem, & sacrificium quotidianum. Ad pascendum quoque & regendum, ad euangelizandum, ad Sacramentorum administracionem ordinantur Presbyteri: sed eorum primariam ac præcipuam functionem esse sacrificia quotidiana pro se ac pro populo Deo offerre, omnes, quos produximus, celeberrimi & vetustissimi Patres vno ore testantur.*

Instit. lib.
4. c. 5. nu-
mer. 4.

23. *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis.*

STrenuam hinc operam nauat Calvinus, vt luculenta & perspicua Christi verba de potestate remittendi peccata Apostolis suis & eorū successoribus data deprauet, & in alienum sensum nouitium, profanum, à se suisque adinuentum, violenter contorqueat. Hunc in finem præcedentia illa Christi verba, *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, ita egregiè contaminauit, vt non ad homines vlla potestate ornandos, sed ad solam Euangelij doctrinam commendandam Christum illa dixisse exposuerit. Hunc in finem illa verba, Accipite Spiritū S. promissionem esse de donis ac dotibus verbi Euangelici ministris conferendis, nullam autem præsentem spiritualis gratiæ aut potestatis collationem affirmavit. Vtramque illam corruptelam in locis præcedentibus explosimus. Nunc his suis corruptelis conformiter totam hanc remittendi peccata potestatem Apostolis hoc loco verbis expressis datam, nihil*

aliud esse quam in Euangelica prædicatione perpetuam quandam peccatorum remissionem gratuitam credentibus denunciata, (nouum huius temporis portentum, & prophetiam vocis nouitatem) modis omnibus probare contendit. Sed antequam eius corruptelas propono, sanam doctrinam veluti amuletum præmittam, sanam & genuinam totius huius loci expositionem, non à meo cerebro excogitatam, non nouellam & profanã, sed à vetustissimis Patribus acceptã, & literarum Euangelicarum perspicuè in hærentem in mediũ proferam.

Varia A-
postoli po-
testas var-
ijs tempo-
ribus data.

Luc. 22.

Iuan. 17.

Matt. 28.

Luce 4.

Verborum
Christi ex-
plication.

Christus Dominus variam, quam in terris exercuit, potestatem Apostolis suis, & eorum futuris successoribus, non totam simul & semel, sed variis temporibus ac locis, prout suæ sapientiæ conuenire videbat, maximè circa vitimos conuersationis suæ humane dies, communicauit. In vltima Cœna supremi sui & diuinissimi Sacramenti ministris eos constituit dicens, *Hoc facite in meam commemorationem*, vt supra ex veterum consensu ostendimus. In concione postrema ampliorem illis potestatem iam iam daturus, sic Patrem alloquitur: *Sicut tu me misisti in mundum, ita & ego misi eos in mundum*, id est, constitui & decreui eos mittere in mundum. Quod enim in proximo futurum erat, quasi iam confectum narrat Christus. Sicut & illud aliud eodem in capite: *Opus consummaui quod dedisti mihi, vt faciam*, cum necdũ in cruce consummatum illud opus esset. Post mortem ac resurrectionem, hanc in particulari missionem facit. Et quidem ad Euangelij toto orbe prædicationem iam iam ad Patrem ascensurus eos mittit, simulque baptizandi potestatem confert. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus S.* Nunc hoc in loco ipso die resurrectionis suæ cõgregatis Apostolis suis (vno absente Thoma) apparens dat illis potestatem remittendi peccata, qualem ipse exercuerat: Antequam hanc potestatem conferat, præmittit: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Ego sum missus à Patre euangelizare pauperibus, sanare contritos corde, predicare captiuæ remissionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, predicare annũ Domini acceptum, & diem retributionis.* Quod mihi maneris Pater cõmisit, hoc ego nũc vobis resigno: eius ego vos vicarios cõstituo. Qua authoritate Pater misit me, eadẽ ego mitto vos. Ego non solum docui, euangelizauit, prædicaui, veritatẽ manifestauit super terram (quam totam potestatem alio loco ac tempore, maiori numero collectis tribuã) sed & sanauit contritos corde, dimisi confractos in remissionem peccata

peccata remisi & condonaui, *Magdalena, Paralytico, & aliis. Luce 7.*
 Docui verbo & miraculo, *filium hominis habere potestatem Matth. 9.*
remittendi peccata super terram. Hanc potestatem vobis iam
 daturus, tum insufflationis externo symbolo, tum verbo de
 presenti Spiritum sanctum vobis confeto. *Accipite Spiritum*
sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Quia
 enim solius Dei est remittere peccata, & propriū Spiritus S.
 & dilectionis diuinæ opus, propterea vt de hac vobis data
 vera ac certa potestate nemo ambigat, *Accipite Spiritum S.*
 Sic in hunc locum Cyrillus Alexandr. *vetus ac nobilis interpres* *Ad Ioan.*
pres (ait Beza) & *ὡς καὶ ὁ ἀπὸ τοῦ ἁλλοῦ* commentatur. *Solius* *c. 18. v. 13.*
(inquit) veri Dei est, vt possit à peccatis homines soluere. Quia
igitur ratione diuina natura potestatem ac dignitatem disci- *In Ioan.*
pulis suis, saluator largitus est. Respondet. Quia certè absurdum *lib. 12. c.*
non est peccata remitti posse ab illis qui Spiritum sanctū habent *56.*
in se ipsis. Nam cum ipsi remittunt aut detinent, Spiritus S. qui
est in eis, per eos remittit aut detinet. Hæc ille. Sic & D. Am- *De pœnit.*
brosius. Ipsum (inquit) munus Spiritus sancti fit nunc officium *lib. 1. c. 2.*
Sacerdotis. Ius autem Spiritus sancti in soluendis ligandisque cri-
minibus est. Nec dissimiliter D. Augustinus. Remissio peccato- *Serm. 11.*
rum quoniam non datur nisi in Spiritu S. (hoc est, illi appro- *de verb.*
priatæ remissio peccatorum, vt copiosè declarat) in illa Ec- *Domini.*
clesia tantummodo dari potest quæ habet Spiritum sanctum, &
paulò potè: Deus quum mortem peccatorum nollet, sed vt reser-
tatur & viuat, dedit Ecclesie suæ Spiritum S. vt cuiuscumq; in eo
peccata dimideret, dimitterentur ei. Sed & alio in loco idem
August. Nemo sibi dicat, Occultè ago pœnitentiam, apud Deum. *Hom. 49.*
ago: nouit Deus, qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine *ex Homi-*
causa dictum est: Quæ solueritis super terram, erunt soluta & in *lys. 50.*
caelis? Docet luculenter potestatem à Christo Ecclesie datam,
 vt in Spiritu S. peccata remittat. Id ex hoc loco colligit
 Chrysostomus. *Sacerdotibus (inquit) datum est vt hanc po-* *Lib. 3. de*
testatem habeant, quam Deus nec Angelis, nec Archangelis *Sacerda-*
dari voluit. Neque enim ad illos dictum est, Quorumcumq; re- *tia.*
miseritis peccata, remittuntur eis. Idem ex iisdem verbis col-
 ligit Ambrosius. *Amunt Nouatiani se Domino deferre reueren-* *De pœnit.*
tiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reseruent. *lib. 1. c. 2.*
 Immo nulli maiorem iniuriam faciunt, quàm qui eius volunt
 mandata rescindere, & commissum munus refundere. Nam cum
 ipse in Euangelio suo dixerit Dominus Iesus, *Accipite Spiritum*
sanctum. Quorū remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum
retinueritis, detenta erunt: quis est qui magis honorat? utrum

qui mandatis obtemperat, an qui resistit? Ecclesia in utroq; seruat obedientiam, ut peccatum & alliget & relaxet. Hæc ille.

Audiamus nunc ergo Caluissum an non sit hereticis Nouatianis in hac causa similis. Non dubium est (inquit) quin hic breuiter complexus sit Dominus Euangelij summam. Non dubium est quin audacter & confidenter mentiatur Caluissus: quod ex ea, quam subnectit, probatione statim apparebit. Neque enim (inquit) separanda est hæc potestas remittendi peccata à docendi officio, cui uno contextu annexa est. Atqui nec hoc verum putamus, & ut verum sit, non sequitur tamen: In eodem contextu ponitur docendi officium, & potestas remittendi peccata, ergo potestas remittendi peccata non debet separari ab officio docendi, aut remittere peccata nihil aliud est quam Euangelij summa; tum quia alia quam plurima complectitur Euangelij prædicatio, tum maxime quia Euangelicæ prædicationis hic finis ac fructus est, ut qui verbo fidei audito crediderunt, postea poenitentia agentes à peccatis soluantur; non autem hoc ipsius prædicationis officium est, prædicando remittere & condonare peccata. Petrus post prædicationem factam videns auditores suos compunctos, ac dicentes; *Quid faciemus, viri fratres?* iubet eos poenitentiam agere, & baptizari in remissionem peccatorum. Non dicit eis: iam credendo prædicationi factæ remissa sunt vobis peccata.

Sed pergamus cum Caluino, & ut suum paradoxum prober, videamus. Dixerat paulo ante Christus: *Sicut misi me uiuens Pater, ita & ego mitto vos.* Nunc quorsum spectet, ac quid sibi velit ista legatio, declarat: tantum anteposuit quod necesse erat, se illis Spiritum S. dare, ne quid ex se ipsis agerent: hic ergo præcipuus est Euangelij prædicandi finis, ut Deo reconciliemur homines. Est sanè finis Euangelij prædicandi, & hoc sensu illa verba, *Ego mitto vos*, de prædicatione Euangelij possunt intelligi, & non de hac peculiari & stricta potestate, quâ subiunxit remittendi peccata, ut nos exposuimus: sed non est ipsum prædicandi officium, ut Caluissus postea docebit. Hoc etiam sensu non separatur ab officio docendi, potestas remittendi, quia hic finis & fructus illius est: sed certè sic separatur potestas remittendi peccata ab officio docendi, ut aliud sit remittere peccata, aliud prædicare Euangelium; nec in ipsa prædicatione aut per ipsam remittantur peccata, sed post illam, post fidei doctrinam acceptam & creditam. Interposuit Christus se Spiritum sanctum illis dare, ut remitterent peccata; ut hunc finem & maximum fructum prædicationis suæ Euangelicæ

Remissio
peccatorum
Euangelica
prædicatione
nec
officium,
nec
summa
est, sed
finis & effectus.

Act. 2.

Potestas
remittendi
peccata à
prædicatione
Euangelij
quomodo
separatur
&
quomodo
agn.

auditorum

auditoribus & discipulis suis impartirent. Quod ergo hic dixit Calvinus, libenter amplectimur. Sed alium ille sensum coquit, alia cogitat consilia.

Primum, hanc reconciliationem, in quo consistat, multis verbis, sed fallacibus & impijs (quæ propterea præterite nolimus) explicat. Quod (inquit) sit gratuita peccatorum venia: quod & Paulus docet 2. Cor. 5. 18. ubi Evangelium hac ratione appellat ministerium reconciliationis. Reconciliantur quidem homines Deo gratuita venia peccatorum: sed nec in sola hac gratuita venia consistit reconciliatio, ad quam internam etiam renouatio requiritur: nec in hac reconciliatione gratuita Evangelij finis ac summa consistit; nec Paulus loco citato de Evangelio loquitur; nec Evangelium appellat ministerium reconciliationis, vt Calvinus mendaciter affirmat; sed hoc tantum dicit: *Omnia ex Deo, qui nos reconciliauit sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis.* Hic de Evangelio aut de Evangelica prædicatione nihil Paulus. Immo multo plus & longè aliud ibi loquitur Apostolus. *Si qua (inquit) in Christo noua creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua:* id est: Cum simus noua creatura in Christo facti, veteris hominis desideria, seu legalia omnia iam transierunt: Nouus cultus & noua vita in Christo successit. *Omnia autem ex Deo,* id est: tota hæc innouatio ex Dei bonitate est: *qui nos reconciliauit sibi per Christum,* id est, qui omnes credentes per mediatorem Christum nouas creaturas fecit: *& dedit nobis (noui testamenti ministris) ministerium reconciliationis,* id est, officium & potestatem ea faciendi per quæ homines reconciliantur Deo: videlicet non solum verbum prædicandi, sed & baptizandi, & peccata remittendi, & quælibet Sacramenta administrandi. *In ministerio enim reconciliationis omnia ista continentur.* Ipsa quoque Evangelica prædicatio latius patet, quam vè gratuitam peccatorum veniam annunciet. Quod, videns ipse Calvinus subiungit. *Multa quidem alia continet Evangelium. Sed hoc in primis agit illic Deus, vt recipiat homines in gratiam, peccata non imputando.* Quare si fideles Ecclesie ministros prestare volumus, summo studio in hanc partem incumbere decet. Nam in hoc maxime differt à præphana philosophia Evangelium, quia hominis salutem in gratuita peccatorum remissione constituit. Nam & hinc fluunt alia Dei beneficia, vt nos illuminet Deus ac regeneret Spiritu suo, vt reformet ad imaginem suam, vt inuicta fortitudine contra mundum & Satana nos armet. Itaque tota pietatis doctrina & spirituale Ecclesia

Reconcilia-
tionis hinc
stra minis-
terium
quid.

Fabula of-
torum ple-
na.

edificium fundamento illo nititur, quod Deus nos à peccatis omnibus absolutos gratis sibi adoptat. Fabulam narrauit multis erroribus plenam. Ostendere vult Euangelij summam in gratuita peccatorum remissione consistere, vt hac demonstratione per modum proloquij facta, sic ad textus enarrationem

*Impostura
Caluini.*

seu verius corruptionem scdam descēdat. Agnoscit alia multa continere Euangelium, præter hanc gratuitam peccatorum remissionem. Sed quæ illa alia multa sunt, vafer dissimulat; ne si illa in mediū proferret, mendacij, quod stabilire nititur, turpitudō confestim se proderet. Atqui iam in præmio co-

*Euangelij
vita noui-
tas.*

tius huius operis opportunè ostendimus, Euangelium præter remissionem peccatorum gratuitam, maximè & imprimis esse totius vitæ nouitatem seruire Deo in sanctitate & iustitia omnibus diebus vitæ nostræ, & in hoc maximè apparuisse gratiam Saluatoris nostri Dei (teste Apostolo) vt abnegantes impietatem & secularia desideria, sobrie, pie, & iuste viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem, & aduentum gloria magni

*Euangelij
perfectio
in primis
eius rudi-
mentis po-
nunt hære-
tica.*

Dei. Hoc ergo imprimis agit Deus per Euangelij prædicationem, non vt recipiat homines in gratiam, peccata non imputando, vt Caluinus narrat; est quippe exordium hoc tantum & principium prædicationis Euangelicæ, vt illa prima vox testatur Ioan. Baptistæ, *Pœnitentiam agite*, & illa prima vox Christi, *Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cælorum*. Item illa prima Petri concio: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum*. Prima hæc fidei & religionis Christianæ rudimenta sunt, & vt

Act. 2.

Paulus loquitur, *elementa sermonum Dei. Est sermo inchoationis Christi, iacere fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis & scisci ad Deum*. Doctrina remissionis peccatorum gratuita per fidem in Deum & pœnitentiam, est initialis & elementalī hominis Christiani doctrina. Perfectio doctrinæ quæ Christus in postrema concione docuit, hæc est: *Manete in dilectione mea. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea: sicut ego præcepta Patris mei seruauī, & maneo in dilectione eius. Si quis diligit me, sermones meos seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Hic est præcipuus Euangelij finis. In hoc maximè differt à prophana philosophia Euangelium, non quod hominis salutem in gratuita peccatorum remissione constituit, vt

Heb. 6.

Caluinus affirmat, quasi Epicuream vitam in voluptate & flagitijs agentes, non nisi perpetuò peccantes perpetua peccati remissione & aliena iustitia, eaque imputatiua, saluaremur,

Ioan. 13.

sed

*Euangelij
finis pro-
prius.*

*Euangelij
à prophana
philosophia
quod distet.*

Caluinus affirmat, quasi Epicuream vitam in voluptate & flagitijs agentes, non nisi perpetuò peccantes perpetua peccati remissione & aliena iustitia, eaque imputatiua, saluaremur,

sed quòd facit nos veros Dei cultores, facit diligere Deum, seruire sermones eius, manere in Deo, vniri Deo per charitatem in hac vita, & frui Deo per visionem in altera vita. Neque ab hac remissione peccatorum gratuita, fluunt alia Dei beneficia, vt narrat Calvinus; sed ab hac incipiunt tanquam ab imperfectiori ad perfectius tendendo, & tanquam à necessario ad magis excellentia progrediendo. Vt illuminet nos Deus per fidem, non facit remissio peccatorum gratuita; quia ipsam remissionem præcedere debet fides, & illuminatio per fidem. Qui enim non credit in filium Dei, ira Dei manet super eum. Vt autem Deus nos suo Spiritu regeneret, vt ad imaginem suam reformat, vt inuicta fortitudine contra mundum & Satanam nos armet, non hæc ex remissione peccatorum gratuita fluunt, nõ ex ea deriuatur, sed ex vnus dono charitatis quæ post remissionem gratuitam diffunditur in cordibus credentium per Spiritum Sanctum qui datus est illis. Hunc ordinem seruat Paulus. Secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, (ibi est remissio peccatorum iuxta illud Petri, Baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum; & iuxta illud Ananix ad Paulum, Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine ipsius) & renouationis Spiritus Sancti quem effudit in nos abundè. Hic est charitas diffusa per Spiritum Sanctum in cordibus, quæ reformat nos ad imaginem Christi, quatenus per illam ambulamus in nouitate vitæ, veterem hominem deponentes. Qui enim diligit me, sermones meos seruabit. Hæc etiam charitas armat nos contra mundum & Satanam; quia valida est sicut mors dilectio; & qui manet in charitate, manet in Deo, & Deus in eo, ac per hoc maior est qui in fidelibus quàm qui in mundo. Ex charitate igitur ista Dei beneficia fluunt, non ex remissione peccatorum gratuita. Tota igitur pietatis doctrina, & spirituale ædificium Ecclesiæ; non illo fundamento nititur, quòd Deus nos à peccatis absolutos gratis sibi adoptat, vt Calvinus nequiter lectorem fallit, eum gratuita hæc adoptio, quatenus vnã peccatorum remissionem concernit, non nisi initium sit substantiæ Christi (vt Paulus loquitur) & inchoatio sermonum eius, sed tota pietatis doctrina & spirituale Ecclesiæ ædificium est, vt tēpla simus Spiritus sancti, vt Deus nos inhabitet, vt adherentes Domino, vnus cum eo Spiritus simus, denique vt viam excellentiorē teneamus, quàm Paulus nobis demonstrare proficetur. Viam videlicet charitatis, sine qua nihil sumus, & quæ cæteris omnibus, ipsa fide ac spe maior est. In duobus

A remissio peccati, alia beneficia nõ fluunt, sed incipiunt.

Ioan. 3. Charitas est genitrix reformationis.

Tit. 3.

Act. 2.

Act. 22.

Rom. 6.

& 7.

Ioan. 14.

Cap. 4.

1. Ioan. 4.

Priuationo

nihil operatur, sed noua forma.

Heb. 3.

1. Cor. 7.

& 12.

& 13.

- Luc. 17.* quippe dilectionis mandatis tota Lex pendet, & Propheta. Quare si fideles Euangelij ministros præstare volumus, summo studio in hac parte incubere decet, vt hæc duo charitatis mādara potissimum inculcentur, vt viā charitatis doceamus, vt fideles in Dei dilectione manere, eiusq; præcepta seruare adhortemur. In eo est Euangelij summa. In hoc apparuit Filius Dei, vt dissoluat opera Diaboli. In hoc apparuit gratia Saluatoris nostri Dei, vt abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè, iustè, & piè viuamus in hoc seculo. Ad hoc euangelizandum & docendum missi sunt Apostoli, dicente illis Christo:
- 1. Ioan. 3.* *Tit. 2.* Docentes eos seruare omnia quaecunque mandauit vobis. Toto igitur Caluini præludio manifesti & grauissimi erroris conuicto, videamus iam quem Christi verbis sensum affingat.

Cæterum (inquit) ita mandatum Christus iniungit Apostolis remittendi peccata, vt minimè, quod suum est, in ipsos transferrat. Proprium eius est peccata remittere. Hunc honorem, quatenus in ipsis est, Apostolis nõ resignat, sed iubet suo nomine remissionem peccatorum testari, vt per eos Deo homines recõciliet, denique solus ipse propriè loquendo per Apostolos suos peccata remittit. De hac re tota satis multa iam antea diximus, vt nihil

Hæc scientia salutis erat per Ioannem Baptistam danda, quatenus iudæos docturæ erat viam salutis ad Christum, non per ipsum Christum, aut quosdam. Sic ad certitudinem Caluinianam non magis pertinet quam ad raphaëna que venduntur in foro. hic repetere sit opus, etsi eandem iterum cantilemam canere Caluino visum fuit, vt sic post multa tandè præambula totū suum toxicum effunderet. Nõ enim nisi pedetentim & multa præfatus ad corruptelā suam patefaciendā descendere voluit. Nunc igitur ad eam se accingit. *Potest tamè quæri, quum testes solam vel præcones huius beneficij non auctores eos constituat, cur tam magnificè extollat eorum potestatem. Respondeo hoc stultitenda nostre fidei fuisse datum. Nihil nostra magis interest, quàm vt securè statuere nobis liceat, non venire in memoriam peccata nostra coram Deo. Zacharias in suo Cantico hanc vocat scientiam salutis. Ad eam probādā cum Deus utatur testimonio hominum, nunquam acquiescent conscientie, nisi in eorū persona Deum ipsum loquentem agnoscant. Ideò dicit Paulus: Hortamur vos vt reconciliemini Deo, tanquam Christo per nos obsecrante. Videmus nūc cur tam splendido elogio cõmendat Christus ac ornet ministeriū quod Apostolis iniungit, nempe vt tuto sibi persuadeant fideles ratū esse quod audiūt de remissis peccatis, nec minoris faciant recõciliationem qua voce hominū offertur, quàm si Deus ipse manū e cœlo porrigeret. Ac uberrimum huius doctrina fructum quotidie percipit Ecclesia, dum Pastores suos intelligit diuinitus ordinatos esse atq; salutis sponsores: nec peccatorum remissionem, qua apud illos deposita est, procul esse*

esse quarendam. Nec verò propterea vilescere nobis debet incomparabilis hic thesaurus, quia in vasis fictilibus exponitur, sed est cur agamus gratias Deo, qui tanto honore dignatus est homines, ut intestanda peccatorum remissione suam ac filij personam sustineant. Fanaticos autem homines sciamus, dum hanc legationem spernunt, Christi sanguinem pedibus calcare. Hæc ille. Vix tandè post multas verborum ambages, post longa & garrula præludia, animi sui sententiam impostor aperuit, quæ tamen ex multis fragmentis simul confarciendis colligenda est, clarè & apertè non exponitur. Summa est, hæc verba, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, hûc sensum habere. *Quibus prædicando Evangelium gratuitam à Deo peccatorum remissionem annunciaueritis, & testari fueritis, illi certò & tutò remissa sibi esse peccata, credere possunt ac debent.* Loquitur enim Christus magnificè, & dicit Apostolos remittere peccata, sed sensus est, quòd hanc remissionem non nisi attestantur. Tamen vt securi ac certi simus, dicit eos remittere. Hæc est sententiæ Caluini hoc loco summa. *Iuber (inquit) eos Christus suo nomine remissionem peccatorum testari. Testes solùm vel præcones facit eos huius beneficij. Tutò sibi persuadebunt fideles ratum esse quod audiunt (ex voce Prædicantis ministri) de remissis peccatis. Pastores diuinitus ordinantur aeterna salutis sponsores, & hoc honore dignatus est illos Deus in testanda peccatorum remissione. Ex his verborum Caluini fragmentis totam eius sententiam autè dictam colligimus. Nunc eius absurditatem ac impietatem breuiter aperiemus, simulque quæ obiter à Caluino ad eius confirmationem inserta sunt, refutabimus.*

Caluini-
ne explica-
tionis sum-
ma.

Absurda Caluini sententia est tribus ex causis. Primùm, quia autoritas prædicandi Evangelium, in qua prædicatione ponit Caluinus remissionis peccatorum attestationem seu annunciationem & præconium, iam dudum antea Apostolis fuit concessa quo ad Iudæos, & postea distinctè quo ad omnes gentes, ipso die ascensionis Dominica. Non ergo in his verbis, & hoc tempore ipso resurrectionis die data fuit illa prædicandi potestas. Secundò, quia prædicatio Evangelij, vel annunciatio & attestatio in illa facta, ab ipsa remissione peccatorum res est longissimè distincta: quod ex eo fit evidens, quia, vt remittantur peccata, multa præter fidem requiruntur, odium præteritæ vitæ, propositum melioris vitæ, spes veniæ, Dei dilectio & proximi. Ad prædicationem verbi legitimè audiendam sola requiritur fides, vt credatur verbo prædicato.

Luc. 10.
Matt. 28.

Euangeli-
ca prædica-
tio non re-
mittit pec-
cata.

Aliud ergo & longè aliud est verbi prædicatio, & peccatorum remissio, & consequenter vtriusque potestas. Tertio, prædicator verbi non potest nisi in genere annunciare aut attestari remissionem peccatorum, idque iis legibus & conditionibus quas Deus in Scripturis præscribit: Remissio peccatorum quam fingit Calvinus, est certa fides in particulari, qua certò quisque credit sibi peccata remitti. Hoc Petro, aut Paulo (verbi gratia) Prædicator aut Pastor non annunciat, non testatur, sed tantùm in genere Evangelicam doctrinam prædicat, si sicut oportet Euāgelium prædicat: neque enim vel Christus, vel Apostoli aliter prædicauerunt. Deinde vt huius iam sententiæ manifesta impietas appareat, quærimus à Calvino & Calvinistis, omnibusque hodie hæreticis pariter cum Calvino insanientibus, an Christus remittendo peccata Magdalenzæ, Paralytico, & aliis, aut in verbi prædicatione eam largitus est remissionem, aut non nisi eam attestatus fuerit, nec verè remiserit peccata. Neutrùm sine maxima vel absurditate vel impietate dici potest. Atqui hoc in loco sic mittit Apostolos Christus, sicut ille missus erat: Remittunt ergo & illi peccata verè, sicut Christus remisit; verbo absolutionis, non verbo prædicationis, verbo efficaci, non verbo testimonij.

Luc. 7.

Matth. 9.

Quomodo
Christus &
quomodo
Ecclesia
peccata re-
mittit.

1.

Ephes. 4.

2.

Quo tamen in loco ne omnimodam paritatem in Christo & Apostolis ponere videamur, paucis exponam, qua in re similes, qua in re dissimiles Apostoli Christo hac in parte sint. Similitudo enim in quibusdam locum habet, in quibusdam non habet. Primum, in fine conveniunt. Sicut enim missus est Christus, vt doceret veritatem, & quos docuit, ad salutem perduceret; sic Apostoli missi sunt ad docendum omnes gentes, & quos docuerunt, ad salutem conducere: *ad consummationem sanctorum, in edificationem corporis Christi, &c.* Secundò, in principio conveniunt: quia sicut Christus homo missus est à diuina Patris potestate, sic Christus Dei filius eadem diuina potestate misit Apostolos, vt principium missionis in vtroque sit simile. Tertio, in modo conveniunt: quia sicut Christus non erat merus annūciator & nudus prædicator verbi, sed potestatem quoque spiritualem habuit, *unctus à Deo pro participibus suis*, qua Pastor bonus erat, ac regendi & gubernandi facultatem habuit, sic Apostoli non solum præcones verbi, sed & Pastores animarum erant, quos posuit Spiritus Sæctus regere Ecclesiam suam, & ad hoc Spiritum Sæctum acciperent, vt peccata remitteret ac retinerent. Dissimiles tamen & dispares multùm Christo Apostoli, aliique Pastores sunt,

Dissimilitas
inter Chris-
tum &

rum natura, tum potestate. Natura, quia solum homines sunt; ideoque non nisi in nomine & potestate Dei & filij eius peccata remittunt. Potestate, quia non nisi limitatam habent, ut vicarij, non ut Domini. Quorum neutrum obstat quin vere peccata remittant ac retineant: neutrum cogit ut soli sine præcones ac testes factæ remissionis peccatorum. Postremò impia est Caluini expositio, quia nouella, prophana, SS. Patribus (quorum testimonia nuper produximus) aduersa & contraria; denique à Christi verbis prorsus aliena est, ut mox in proximo membro luculenter docebitur.

Nunc cum Caluino pergamus. *Rursum (inquit) plusquam insulsi sunt Papiste, qui locum hunc ad magicas suas absolutio- nes detorquent. Nisi quis peccata confessus fuerit in aurem Sa- cerdotis, nulla secundum eos speranda est remissio. Christus enim peccata voluit per Apostolos remitti, absoluere autem nequeunt nisi causa cognita: ergo confiteri necesse est.* Hæc sanè ratioci- natio & collectio ex hoc loco non Papistarū modo, sed do- ctissimorum Patrum est, cum quibus insulsi esse malumus, quàm cum Caluino, sapere; qui nunquam se sapere putat nisi cum solus sapit: qui *sapere ad sobrietatem*, spiritu suo indi- gnum semper iudicauit; & Apostolo contrarius, *prudens vult semper esse apud semetipsum, alia sapere, humilibus non con- sentire.* Audiuimus antea, potestatem remittendi peccata Ec- clesie datam ex hoc loco colligere & docere Cyrillum, Chry- sostomum, Ambrosium, Augustinum. Addit Cyrillus eodem loco, hanc potestatem exercere Ecclesiam *partim in baptismo, partim in penitentia*, ubi peccatorum confessio facienda est. Addit Chrysostomus: potestatem condonandi peccata datam Sacerdotibus, non solum in baptismo, sed & postea. *Non solum (inquit) quum nos regenerant Sacerdotes, sed & postea condo- nandorum nobis peccatorum facultatem obtinent.* Vbi & docet duplex hoc esse discrimen, Sacerdotum veteris legis & nouæ, quod illis datum erat corporis lepram non purgare, sed purgatam probare; his verò concessum est animæ lepram non purgatas pro- bare & ostendere (ut Caluinus vult) sed prorsus purgare. Hoc autem in penitentiae Sacramento sacerdotes præstare, aper- tis verbis alio in loco docet. Addit Augustinus loco illic ci- tato: *Ergo sine causa sunt clauis datæ Ecclesia Dei? Frustramus Euangelium Dei, frustramus verba Christi. Iob dicit: Si erubui in conspectu populi mei confiteri peccata mea.* Addit denique Ambrosius: *Impossibile videbatur per penitentiam deleri pec- cata. Concessit hoc Christus Apostolis: quod ab Apostolis ad Sa- cerdo*

*Ecclesiam
quoad re-
missionem
peccatorum*

Rom. 12. 3.

Rom. 16.

*Lib. 12. ca.
56. in 102.*

*De sacerdot.
lib. 3.*

*Homil. 10.
in Matth.
Hosai. 49.
ex homil.
50.*

*De penit.
lib. 1. c. 1.*

cerdo

In Psal. 38. *cerdotum officia trāsmissum est. Et iterum alio in loco. Dominus quod antè erat iudicij sui, dedit Apostolis peccata remittendi equitatem, ne citò soluenda diu ligata manerent. Hoc Nouatianus (sed nec Caluinus) non auduit; sed Ecclesia Dei audiuit. Non potestatem vsurpamus, sed seruiamus imperio. His alios Patres adiungimus. Episcopus vel presbyter (ait D. Hieronymus) pro officio suo, quum peccatorum varietates audierit, scit qui ligandus sit, quiq; soluendus. Reatus cōscientiarum (ait Leo Magnus) sufficit solis Sacerdotibus indicari confessione secreta. Plenius D. Basilius. Necessariò ijs aperiri peccata debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei. Ad hoc hortatur antiquissimus Athanasius. Si nondū soluta sunt peccatorum uorū vincula, tradas te ipsum discipulis Iesu; adsunt enim qui te soluant pro potestate ea quam à Salvatore acceperunt. Superni quippe iudicis principatum sortiuntur (ait Gregorius Magnus) ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent, & animarum iudices fiant. Hoc est enim immobile seueritatis Apostolica iudicium (ait Hilarius) ut quos in terris ligauerint, id est, peccatorū nodis innexos reliquerint, & quos soluerint, confessione videlicet veniæ receperint in salutem in Apostolica conditione sententiæ; in calis quoque aut soluti sint, aut ligati. Mediator quippe Dei & hominum, homo Iesus Christus (ait Leo Magnus) hanc prapōsitis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus satisfactionem pœnitentiæ darent, & eadem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per tantam reconciliationis admitterent. Cui conformiter Augustinus de pœnitente ita scribit. Veniat ad Antistites, & à prapōsitis sacrorum accipiat satisfactionis sua modum. Quia videlicet, ut scribit alio in loco Chrysostomus, A terra iudicādi principalem auctoritatem sumit calum. Nam iudex sedet in terra, Dominus sequitur seruum; & quicquid hic in inferioribus iudicabit, hoc ille in supernis cōprobat. Propter hanc iudicalem potestatem ad eò necessaria semper habita fuit causæ cognitio, & peccatorum confessio, seu secreta, seu publica, ut antiquissimus Cyprianus sic de ea scribat: Etiam in minoribus peccatis agunt peccatores pœnitentiā iusto tempore, & secundum disciplinæ ordinem ad exomologesin, id est, confessionem peccatorum veniunt, & per manus impositionem Episcopi & cleri, ius communicationis accipiunt. Quod etiam in solis cogitationū peccatis, quæ lethale crimen continebant, facere Christianos idem antiquissimus martyr his verbis docet: Quamuis nullo sacrificij aut libelli facinore con-*

fricti sint, quoniam tamen de hoc vel cogitauerunt, hoc ipsum apud Sacerdotem Dei dolenter & simpliciter consistentes, exomologesin conscientia faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam exquirunt. Quod totum quanta seueritate tum à fidelibus præstitum, tum ab Ecclesiæ Pastoribus necessario exactum fuerit, luculentus testis esse potest Theodoretus. Sunt (inquit) medicabilia quæ etiam post baptismum sunt vulnera. Medicabilia autem non per solam fidem data remissione (vt sanè volunt hodie hæretici) sed per multas lacrymas, & fletus, & luctus, & ieiunium, & orationem, & laborem facti peccati quantitati commoderatum. Qui enim non sic affecti sunt, eos nec admittere quidem didicimus, nec diuina eis impartire has habet Ecclesia leges de pœnitentia. Cum tot ac tantis antiquitate, eruditione, sanctitate illustribus Patribus, Ecclesiarum Episcopis, insulsi esse malumus, quàm cum Caluino sapere. Agnoscunt in potestate remittendi peccata à Christo Apostolis aliisque sacerdotibus data, iudicium exerceri: In hoc iudicio peccata vel remitti vel ligari: In pœnitentiæ Sacramento hoc iudicium exerceri: Vt hoc iudiciũ exercatur, peccatorum confessionem necessario fieri: Iuxta peccati confessionem præscribi satisfactionis modum: Atque hac demum via ac ratione in Ecclesia solui peccata, absolutionem dari.

In Epitome diuinarum decretorum cap. de pœnitentia.

Elegans sibi videtur Caluinus, qui sententiam Ecclesiæ in soluendis peccatis, magicam absolutionem vocare potuit. Sic homini impio magicum est, quicquid ex Christi instituto circa diuina Sacramenta conceptis verbis peragitur. Magicum Caluino est vti hac forma verborum: Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Magicum est, accepto in manus panem dicere, Hoc est corpus meum. Sed quæ contra has eius blasphemias aliis in locis iam disseruimus, ad hanc quoque Satanicam eius contumeliam refutandam sufficere possunt. Manet firma Ecclesiæ Catholicæ sententia, tot nobilissimorum Patrum testimonis roborata, Christum in his ad Apostolos verbis, Quorum remisistis peccata, remittuntur eis, veram & diuinam illis potestatem dedisse, non in verbis prædicatione, sed in pœnitentiæ Sacramento, & iudiciali cognitione, peccata pœnitentibus & consistentibus remittendi.

Caluini blasphemias

Nunc quid contra hanc expositionem Catholicam literæ Evangelicæ inhærentem, & vnanimi Patrum consensu agnitam atque firmatam, disputet Caluinus, attendamus. Sed (inquit) ridicula est illorum hallucinatio, dum summum cause

cardi

*cardinem praterunt, nempe hoc iuris concessum esse Apostolis ad asserendam Evangelij auctoritatem, cuius illis commissa erat predicatio. Atqui hunc iam cardinem ab ostio remouimus, & Caluini commentum, de asserenda Evangelij auctoritate, ab huius loci sensu remotissimum & alienissimum esse ostendimus. Sed & infra in proxima clausula magis ostendemus. Bonus Calvinus noua sua commenta Scripturis affingit, eaque sua affirmatione ponit; aut leuissimis coniecturis & subtilibus paralogismis suffulcit. Moxque receptissimum Ecclesiae sensum literae Euangelicae inhaerentem, non aliqua ratione propria, sed ex eo solo capite refutat, quod ille aliter sentit, & ille aliter locum exponi voluit. Sic enim hoc loco sensum Catholicum veluti *ridiculam hallucinationem* relinquit, nullo alio argumento, quam quia ille aliter textum exposuit, sui que cerebri commentum homo ipsa impudentia impudentior, *summum causa cardinem* vocat. Atque in hac sua infania pergens, ait: *Neque enim confessarios instituit Christus, qui occultis susurris examen de singulis peccatis habeant; sed vocales Evangelij sui praecones, qui gratiam expiationis per Christum partem cordibus piorum obsignent.* Eandem rem aliis verbis reperit. Refellit sensum Catholicum simplici eius negatione, & sui commentitij sensus simplici affirmatione. Quo quidem modo quilibet asinus omnia & vniuersa fidei orthodoxa dogmata refutauerit. Vno hic nouo verbo vitur, quo in priori explicatione non est usus; *Evangelij praecones gratiam per Christum partem in piorum cordibus obsignare.* Hoc adhuc absurdus est, & a Christi verbis remotius, quam quod prius dixerat, *testari & spondere.* Testari quippe & spondere, vel, ut alij loquuntur, *annunciare remissionem peccatorum*, aliquam habet datae remissionis speciem: quia tamen non remittit peccatum qui testatur, spondet, aut annunciat illud remitti, tamen significat nunc remitti, quia declarat remissa. Atqui *obsignare hanc gratiam expiationis per Christum partem*, non significat vllam praesentis remissionis attestationem aut declarationem, sed significat, in sensu Caluini, iam dudum factae per fidem remissionis peccatorum quandam confirmationem. Ita hoc nugamentum a Christi verbis adhuc longius recedit, & ad Euangelij auctoritatem asserendam, quod fingit Calvinus, minimè facit. Dixit Christus, *Quorum remisistis.* Dicit Calvinus, *Quorum iam remissa peccata obsignaueritis.* Hoc a Christi verbis longissimè recedit; immò Christi verba falsa ac inania reddit. Sed nec, ut dixi, ad Euangelicæ*

Caluini
artes ob-
seruanda.

Obsignatio
Caluina-
na ineptior
testimonio
Lutherano

gelicæ prædicationis auctoritatem asserendam quicquam facit: quando iuxta hunc sensum Evangelica prædicationi nihil confert, nihil tunc factum, nullum beneficium tunc exhibitum, vel annunciat vel restatur, sed beneficium olim præstitum modo quodam commentitio obsignat. Antequam ad Evangelium audiendum venit Calvinista, iam ei dudum remissa peccata sunt. Sed Evangelium quod audit, hanc illi factam gratiam modo quodam commentitio obsignat. Dico modum commentitium. Nam purum & futile commentum, hæc obsignatio Calviniana est. Nempe idem tribui volunt Calvinistæ prædicationi Evangelicæ, quod Sacramentis; & idem Sacramentis, quod prædicationi verbi, ut utraque nihil quàm obsignent, nihil quàm sigilla quædam sint dudum acceptæ per solam fidem gratiæ, cui vni fidei confirmandæ tam Sacramenta, quàm tota prædicationi Evangelica subseruiat. Sic tota Caluini resolutio hoc loco Christi verba in meros fumos conuertit: *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis:* id est, *Quorum iam dudum remissa peccata prædicatione vestra Evangelica obsignaueritis, illorum peccata remittuntur:* Quod iam dudum factum dixeritis, illud factum est: Quos iam dudum reconciliatos tales esse pronunciaueritis, illi sunt reconciliati. Atqui siue hoc dicatur, siue non dicatur, sunt & manent reconciliati. Quid ergo confert ad reconciliationem ipsam hoc meum dicere, pronunciare, prædicare? Dicit solet, & verissimum est: Affirmare vel negare nihil ponit in re. Merus igitur fumus verborum est, inanis & inutilis sonus (ad remissionem peccatorum quod attinet) tota Evangelica prædicationi, & tota hinc Apostolis data potestas. Summa rei absurditas in simili apparebit. Si Regis filius à patre magnis acceptis thesauris post aliquam eorum distributionem in extera quapiam regione per seipsum factam, ad patrem suum reueriturus, primariis quibusdam suis Satrapis in illa adhuc regione relictis (volens videlicet etiã in futurum liberalitatem suam exercere) diceret, *Sicut misit me Pater meus, sic ego mitto vos. Accipite hos thesauros auri & argenti immesos. Quorum inopiam vos subleuandã censebitis, subleuabuntur. Quorum non subleuaueritis, illi inopes & egeni manebunt.* An hic esset legitimus horum verborum sensus? Quos iam diuites esse pronunciaueritis, vel quorum copias, & diuitias iam partas verbo commendationis vestræ attestãdo obsignaueritis, illi diuites sunt: Annon statim meritò excipitur? Quare igitur à filio Principis ita missi sunt hi Satrapæ? ut quid tales thesauros acceperunt?

Caluinus Christi verba in fumos conuertit.

Caluiniana dementia ex simili demonstratur.

Quomo

Quomodo dicitur illis, Quorū inopiam subleuandam censebitis, &c. quando neminem subleuant? sed sibi solis hunc thesaurum seruant? solum eos qui iam diuites erant, tales esse declarant? Quod certe ad diuitias comparandas, vel ad accepti thesauri distributionem, prorsus impertinēs est. Eodem omnino modo Christus Dominus accepta à Patre potestate tantisper vsus, & multis data peccatorum remissione, nunc ad Patrem reuersurus, & eandem in terris gratiam perpetuam esse volens, dixit Apostolis suis: *Sicut misit me Pater, ego mitto vos.* Adiecit, *Accipite Spiritum sanctum,* ostendit in quem finem, *Quorum remisistis peccata,* quorum summam inopiam spiritualem refeceritis (vinculis quippe peccatorum detineri, & à gratia Dei extorrem esse, maxima est spiritualis inopia & miseria) *remittuntur eis.* Eorum inopiam spiritualem reficeris, vt diuites sint in fide, ac bonis operibus; eorum vincula relaxabitis, vt liberè seruiant iustitiæ qui prius erant serui peccati. Quòd si verò Apostoli & eorum successores nihil aliud quàm remissionem peccatorum iam factam denunciant & obsignant, vt quid illa tam solemnis missio? vt quid Spiritum sanctum acceperunt? Vt quid illis dictum est, *Quorum remisistis peccata?* quando iam nemini remittunt, neminem ab inopia & miseria illa spirituali eximunt; sed quos diuites ex fide inuenerunt, eos tales esse declarant? Annon tota Christi commissio & potestas Apostolis data in meros verborum fumos euauit? Nam & obsignatio illa quā finxit Calvinus in verbi prædicatione, quàm sit absurda, ridicula, & merus fumus, ad religionis nostræ Sacramenta ludificanda inuentus, circa ipsam Sacramentorum doctrinam, cui verbi prædicationem per omnia esse similem Calvinus vult (nisi quòd hæc auritum, illa oculare symbolum ac testimoniū sit) alio in loco demonstraui. Concludit iam Calvinus. *Quare tenendus est modus remittendi peccata, vt sciamus quanam sit ista quæ Apostolis data est potestas.* Cui respondeo: Omnino tenendus est ille modus remittendi peccata, iuxta quem verè sciamus quanam sit ista quæ data est remittendi potestas; quæ videlicet verè talis sit, & verè peccata remittat, iuxta Christi verba; non autem talis modus tenendus est, quo posito, nullam scimus Apostolis esse datam potestatem, & Apostolos verè nullum peccatum remittere scimus, Christi que verba penitus ludificamus; quem modum sibi Calvinus finxit, vt in causa omnium grauissima, ita scelere & impietate maxima.

In Episto.
ad Rom.
cap. 4. vsq.
II.

23. *Quorum autem retinueritis, retenta sunt.*

HÆc clausula à Christo adiecta, superiorum verborum sensum orthodoxum, de vera remissione peccatorum in per Apostolos iudicialiter in foro conscientiae facienda, luculenter & ad oculum confirmat: sensum quoque Caluini commentitium de factæ dudum remissionis peccatorum denunciatione, attestazione, obsignatione, non minus luculenter refutat. Sensum orthodoxum confirmat, & Caluini commentitium euertit, quatenus retinere ac ligare peccatū, quod est solutionem ac remissionem peccati negare, & peccati iam remi eoque obstrictum eodem reatu ac vinculo peccati constringere, seu constrictum tenere, veram & realem potestatem significat circa ipsum peccatum, & personam hominis: quam magnus ille Theodosius Christianissimus Imperator optimè intelligens, quum iam ab Ambrosio Episcopo Mediolanensi propter atrocem cædem temerè patrata excommunicatus, ab aditu Ecclesiae & vsu Sacramentorum arceretur, suam infelicitatem his verbis professus est. *Memoria tenes* (ait ad Ruffinum, Magistrum militum, qui cum ad Ecclesiae ingressum inuito Episcopo hortabatur) *Dominicam vocem, que manifestè dicit: Quemcumq; ligaueritis in terris, is & in calo erit ligatus.* Agnoscebat potestatem à Christo Sacerdotibus datam retinendi & ligandi peccata, quæ peccatorem vinculo constringeret quod sibi peccando nexuit. Hic Evangelica prædicatio locum non habet, hic præconium, testimonium, sigillum Calvinianum euanescit. Sententia retinens peccatum, & ligans peccatorem, ad ipsum in particulari peccatorem, & ad ipsum in specie peccatum destinari debet; idque ex certa & cognita causa. Neque enim ligari debet nisi qui tale vinculum promeruit. At prædicatio Evangelica omnes alloquitur, & tametsi posset piis iam & bonis fidelibus gratiam illis à Christo factam aliquo modo attestari & annunciare (quod quidem adhuc non esset gratiam aliquam facere, aut peccatum remittere) tamen per modum alicuius denunciationis aut attestationis nullum potest ligare, nulli hanc pœnam imponere, nulli remissionem negare, quando nec vllum in particulari conuenit, nec de vlllo peccato in particulari iudicat, nec causam habet cur vllum in particulari liget. Ita & sensum orthodoxum hæc clausula luculenter confirmat, & sensum Caluini commentitium non minus luculenter euertit.

Theodor. hist. Eccl. lib. 5. c. 18.

Retinere peccatum ad Evangelij prædicationem pertinere non potest.

Horum igitur verborum sensum aliò inuertere atque per-
 trahere studiosè contendit. Hoc (inquit) secundum membrum
 addit Christus ad terrendos Euangelij sui contèptores, ut sciant
 non impunè cessuram sibi hanc superbiam. Sed vide absurdita-
 tem. De retinendis peccatis Christus loquitur omnibus haud
 dubiè & indefinìtè. Quid ergo? An Euangelij contemptus
 omne peccatum est? Quàm innumeri sunt peccatores, qui
 Euangelium aut ignorantes (ideòque non còtèptores) aut
 audire negligentes (vbi contemptus abest) aut penitus obli-
 nioni dantes (non ex Euangelij contemptu, sed suis passio-
 nis victi) innumeris flagitijs ac sceleribus contaminantur?
 Quomodo ergo Christus de omnibus peccatis retinendis,
 quæ Apostoli retenturi sunt, loquens, ad terrendos Euange-
 lij contèptores id loquitur, quasi alia peccata retinèda non
 essent quam Euangelij contèptus; aut alij peccatores non
 ligandi, nisi Euangelij contèptores? Quicquid ergo de
 Euangelij contemptu profèquitur hìc Calvinus, causam præ-
 sentem non attingit. Ergo (inquit) sicut Apostolis iniuncta est
 salutis & vitæ aeternæ legatio, ita rursus armati fuerunt vin-
 dicta erga omnes impios qui oblatam sibi salutem respuunt, ut
 docet Paulus 2. Cor. 10. 6. Caterùm ordine posterius est, quia
 priori loco ostendi oportuit verum & genuinum Euangelij præ-
 dicandi finem. Quod Deo recòciliamur, hoc Euangelij proprium
 est: accidentale verò, quòd morti aeternæ addicuntur increduli.
 Qua ratione Paulus, dum illà, cuius nuper memini, vindictam
 denunciat incredulis, mox subiicit. Postquam impleta fuerit ve-
 stra obedientia. Significat enim proprium esse Euangelij, ut in-
 uitet omnes ad salutem, aduentitium autem esse, ut interitum
 quibusdam adferat. Notandum tamen est, quisquis Euangelij
 vocem audit, nisi remissionem peccatorum illic sibi promissam
 amplectitur, reatu & aeterna damnatione obstringi. Nam sicut
 Dei filijs odor est viuificus, ita ijs qui percutiunt, odor est mortis in
 mortem. Non quòd necessaria sit damnandi reprobis Euangelij
 predicatio, cum natura perditissimus omnes, & præter heredita-
 rià maledictionem novas mortis causas sibi quisq; accersat, sed
 quia multò grauiorem pœnam meretur eorum contumacia, qui
 scientes & volentes filium Dei spernunt. Hæc est hætenus to-
 ta Calvinij disputatio, ut doceat retinere peccata Apostolos,
 eorùmque successores, nihil aliud esse, quàm per Euangelij
 prædicationem, ipsius Euangelij contèptores grauiorem
 pœnam mereri. Sed aduersus istud futile commentum tri-
 a (lector) aduerte. Primum, nullam poni actionem in ipsis
 Euange

Caluini
 effugium
 refellitur.

Caluini
 commentum
 tribus sa-

Euangelij prædicatoribus, qua peccata ipsi retineant ac ligent; sed ex ipsa hominum incredulitate & contemptu consequi hanc grauiorem pœnam & damnationem. Dicit autem Christus, *Quorum retinueritis peccata, retenta erunt*: vt videlicet hæc peccatorum retentio, non ex natura rei, aut ipsorum peccantium sola conditione, sed & ipsorum retinentium iudicio ac sententia ac demum actione quadam promanet. Ponit Christus Apostolos retinentes & ligantes peccata: ponit Calvinus in Apostolis nihil; sed in sola impiorum incredulitate totam retentionis causam. Sensum igitur Christi non tenuit. Rursus aduerte iuxta Christi verba peccata sic retineti, vt retentio illa non sit generalis, sed certarum personarum. Ait enim, *Quorum retinueritis peccata*; nõ ait, *Quæ peccata retinueritis*. Actio igitur Apostolica & Sacerdotalis, qua peccata retinent, versatur circa certas personas quarum peccata retinent: Euangelica prædicatio ad nullas certas personas dirigitur, sed omnes in vniuersum indifferenter alloquitur. Sed & certorum peccata retinere, aliorum non retinere, cum res iudicij & discretionis sit, cum Euangelij prædicatione. (vbi nullus talis discretio, nullum iudicium exercetur) nihil commune habet. Aduerte tertio, Christum de peccatis loqui omnibus & indefinitè quæ retineri possunt. Calvinus de sola incredulitate loquitur, qua *quis peccatorum remissionem in Euangelio oblatam non amplectitur*. Ita, iuxta Calvinum, nisi vnum peccatum retinetur, & nisi vnus peccati sit vindicta, contemptus videlicet prædicationis Euangelicæ, & contumacia (vt loquitur) *eorum qui scientes & volentes Dei filium spernunt*. His tribus de causis nihil commune, nihil affine cum Christi verbis habet hoc loco tota Caluini illa de prædicatione Euangelica speculatio.

Enimvero dat illam Christus potestatem Apostolis, qua retineantur peccata, non vnum aut alterum, incredulitatis, contumaciæ, contemptus Euangelij, sed omnis generis peccata contra legem Dei perpetrata: nec vt retineantur hoc solo nomine, & ex hoc solo capite, quia retineri merentur, & quia ex sua natura reos damnationis pœna obstringunt, sed vt retineantur quæ Apostoli retinuerint, quæ Ecclesiæ Præpositi ligauerint, vt ex illo capite nouum vinculum, nouum ligamen peccata accipiant, quod ab Ecclesiæ Præpositis retineantur ac ligentur. Sic verbis Christi inhærendo, tota speculatio de prædicatione Euangelica penitus euanescit.

Locus verò ex Apostolo citatus ad Euangelicam quidem prædicationem pertinet, sed non ad illam solam. Integrum

tionibus
versatur
1.

2.

3.

Retinendi
peccata po-
testas ve-
ra Aposto-
lica data.

Pauli ver-
ba expla-
cantur.

locum cum breui explicatione ponemus. *In carne* (inquit Apostolus) *ambulantes, non secundum carnem militamus*, id est, mortalem & cōmunem vitam agentes, &, vt paulò antè dixerat, *in facie quidem humiles inter vos; non secundum carnem militamus*, id est, officium prædicationis nostræ iuxta humanam infirmitatem non exercemus. *Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo*, id est, prædicationem nostram & doctrinam non per diuitias, honores, aut potentiam aliquam mundanam commendamus, aut suademus, sed media ad persuadendum, quibus vtimur, diuina sunt, & ex Dei virtute vim habent; *ad destructionem munitionum*, id est, ad castra hostilia expugnanda. Nam vt pios alibi *Dei templa*, sic fidei hostes ac rebelles *castra hostilia* hoc loco vocat. Modum autem impios per Euangelicam prædicationem expugnandi subiungit, *Consilia destruentes*, id est, astutiam hæreticorum & pseudoapostolorum (propter illos enim hoc totum loquitur, vt in sequenti cap. apparet) deprehendentes & repellentes, & *omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei*, id est, destruentes quoque & refutantes omnem superbiam falsorum magistrorum, qui volunt altum sapere contra regulam fidei, & *in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*, id est, arma quoque habemus quibus possimus hominum intellectum Deo subiicere ad obediendum fidei de Christo, videlicet autoritate & testimonio fidei, quod in genere causæ externæ Ecclesia maximum habet, humanum intellectum ad assentiendum veritati Euangelicæ inducendo; & *in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit vestra obedientia*, id est, habemus quoque potestatem rebelles fidei, & pseudoapostolos omnes, qui vobis molesti sunt, gladio spirituali feriendi & excommunicandi, non in ipsa prædicatione Euangelica, aut per illam; sed per sententiam iudicalem quam verbi prædicatores habent: quæ sententia *Paulus fornicarium Corinthium non prædicando Euangelium præsens, sed iudicando & retinendo peccatum, absens Satana tradidit in interitum carnis*, qua etiam *Hymenaum & Alexandrum Satana tradidit, vt discant non blasphemare*. Hæc vindicta Apostolica non fuit prædicatione Euangelica Pauli, vt somniat Caluinus; sed sententia ab eo lata extra omnem prædicationem: quod maximè in Corinthio fornicario apparet, de quo dicit: *Ego, inquit, absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicavi vt præsens, &c.* Et de simili

potestate ac vindicta in pseudoapostolos illos qui schismata inter Corinthios seminabant exercenda, Paulus hic loquitur. Sed quia hæc potestas cum aliorum ædificatione exerceri debet, & non ad destructionem neque ad scandalum, adiunxit, *Cum impleta fuerit vestra obedientia*: id est, sic impleta & perfecta, ut possimus eradicare zizania, non triticum. Hæc est tota Apostoli sententia de prædicatione quidem Evangelica, sed non de solo eius actu atque exercitio, verum de varia potestate illi adiuncta. Postrema autem, quam memorat, vindictæ potestas ad externam Ecclesie iurisdictionem & forum externum pertinet, non ad forum conscientie internum, de quo Christus hoc loco agit: in quo videlicet foro ac tribunali peccata coram Deo vel remittuntur, vel usque ad debitum satisfactionis modum ritè peractum recinentur; sicuti nuper ex nobilissimorum Patrum plurimis testimoniis ostendimus.

Magno igitur conatu, sed inani, verba Christi impugnavit Calvinus, ut commentum suum non secus impium quam stolidum, de soluendis ac retinendis per Evangelicam prædicationem peccatis substitueret. Fingit in Evangelij voce peccatorum remissionem promitti. Atqui hoc loco Christus, non in Euangelij voce, sed in Apostolorum voce ac sententia peccatorum remissionem promittit. Deinde nulla Scriptura docet in Evangelij voce peccatorum remissionem promitti. Scripturæ credentibus, pœnitentiâ agentibus, eleemosynas & alia charitatis opera facientibus, Sacramenta accipientibus, remissionem peccatorum promittit, voci Evangelij nusquam. Denique ad peccatorum remissionem consequendam, non satis est Evangelio credere, sed oportet præterea pœnitentiam agere, Deum invocare, affectum peccati deponere, charitatis affectum induere, denique media illa & Sacramenta suscipere, quibus mediantibus peccata remittuntur. Neque enim frustra Ecclesie clausæ datæ sunt, ut nuper ex Patribus accepimus.

25. *Nisi videro in manibus eius fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.*

Fuit hæc Apostoli Thomæ infidelitas magna, & pertinacia non minor, quod Christo vno die quinquies diversis apparente. primò Magdalenzæ ad sepulchrum, secundo

mulieribus in via, tertio Petro seorsim, quarto duobus discipulis in Emmaus, quinto decem Apostolis cōgregatis, adhuc Christi resurrectionem credere noluerit, & totis octo diebus in ea incredulitate pertinax steterit. Sed vtrumque peccatum magis ex animi quadam tristitia (dolens quippe se vno absente cæteris decem Christum apparuisse, vt hoc dolore animum liberaret, elegit non credere quod displicebat, quam credendo animi dolore sustinere) quam ex superbia, aut odio, aut inuidia, originem suam accepit, vt vetus ac nobilis interpretæ Cyrillos iudicauit. Solet tamen incredulitas, ea maxime quæ cum pertinacia coniuncta est, ex animi fastu & superbia nasci. Animus quippe arrogans & fastu tergidus ne alter cedat, vel altero minus sapere videatur, immo vt cæteros sapientia antecellere exultimetur, quæ ab aliis quantumcunque legitime probata asseruntur, credere recusat. Hoc vitium, hæreticis proprium, Calvinus hoc loco præuentione quadã vsus diligenter notauit, & vitium quo ipse laborauit maxime, ne eo tactus videretur, accuratè taxauit. *Hic (inquit) notatur fons vitij: quia sapere quisque vult ex proprio sensu, nimiumque sibi indulget: hac verò verba (Nisi videro, non credam) nihil habent affine fidei, sed sensuale est (vt ita loquar) iudicium. Idem omnibus accidit qui sibi addicti sunt, vt verbo Dei locum non relinquunt. Et paulò post. Ita scilicet dum minus honoris, quam par sit, tribuimus verbo Dei, sensum non cogitantibus obrepit deterior pernicitas, quæ illius contemptum secum adfert, omnemque eius reuerentiam nobis excutit. Quomagus laborandum est in cohibenda ingenij nostri lasciuia, ne sibi quisque plus quàm fas est in repugnando permittens, quasi extincto pietatis sensu, fidei ianuam sibi præcludat.* Hæc ille. Honestæ hæc est oratio, sed ex ore vulpi profecta, quando quod, honestissima voce damnat, rebus ipsi flagitiosè perpetrat. Vulpes se mortuam simulat, vt gallinas capiat securè accedentes. Ita Calvinus se simplicem & humilem simulat, vt pietatis prætextu prædas capiat. Denunciat eos qui ex proprio sensu sapere volunt, nimiumque sibi indulgent. Atqui audi aliam eius vocem. *Nulla Conciliorum, Episcoporum, Pastorum nomina impedire nos debet, quo minus omnes omnium spiritus ad regulam verbi Dei exigamus. Qui omnes omnium spiritus, Conciliorum, Episcoporum, Pastorum, ad verbi Dei regulam, id est, ad verbum Dei prout ipse iudicauerit intellectum, exigit, ille propriissime ex suo sensu sapere vult, sibi que nimium indulget. Rursum damnat sensuale iudicium, & nihil fidei affine illud habere affirmat.* Hic

In Ioan.
lib. 12.
cap. 7.

Pertinacia hæreticis propria.

Caluini honestissima oratio, sed quæ ipse damnatur.

1.

Institut.
lib. 4. c. 9.
num. 2.

2.

rursum damnat seipsum; qui alio in loco conuersionem panis in Christi corpus idcirco reliquit, *Quia* (inquit) *nullus in* Institut. lib. 4. c. 3. num. 33. *terris oculus huius mutationis testis est.* Ita non credit, nisi uiderit. Addit hoc sensuale iudicium *omnibus accidere, qui ita sibi addicti sunt, ut verbo Dei locum non relinquunt.* At qui unum Calvinum in omnibus hodie dogmatibus controuersis sic uni sibi addictum esse, ut verbo Dei locum non relinquerit, innumeræ diuini uerbi corruptelæ, quas in hoc solo opere Euangelico repurgauimus, ad oculum lectori demonstrant. Sensuale igitur iudicium quod nihil fidei affine habeat, ad omnes Scripturas intelligendas adfert Caluſtus. Omnium Patrum & ueterum interpretum iudicia ex alto despiciunt; suum unius omnibus anteponunt. *Sic ingenij sui lasciuiam minimè cohibendo, sed sibi plusquam fas erat in repugnando permittens, prorsus extincto pietatis sensu, fidei ianuam sibi praeclusit, innumeris hæresibus cordis sui ianuam patefecit; & quæ alij intruerent uiam commonstrauit. Ex ore suo seipsum iudicauit feruus nequam.*

27. *Noli esse incredulus, sed fidelis.*

Obseruât hoc loco Catholici interpretes libertatis, ad credendum vel non credendum perspicuum argumentum. Cæteris Apostolis uiso Christo credentibus, *noluit* Thomas *credere quia non uiderat.* Christus ex magna misericordia eius incredulitatem sanare uolens, se illi uidendum exhibet, & argumentum seu medium externum ad credendum, quod inordinate desiderabat, misericorditer præbet. Nec tamen tunc dicit, *Infer digitum tuum huc,* &c. quia uolo ut credas, quasi uoluntate absoluta Christus Thomam credere uoluerit; sed ait ei, *Noli esse incredulus, sed fidelis:* id est, me tibi argumentum, quod postulasti, iam præbente, deponere hanc malam uoluntatem & duritiem cordis, conuertere cor tuum ab incredulitate ad fidem. Quod cum Thomas per Christi internam gratiam cum illo congruenti medio coniunctam fecisset, (congruenti dico quoad infirmitatem Thomæ, & duritiem cordis eius) dicens clara uoce, *Dominus meus, & Deus meus,* Christus ut eum credidisse affirmat, fidemque acceptatis sic eius cordis duritiem reprehendit, dicens, *Quia uidisti me, Thoma, credidisti,* id est, potuisti absque hac uisione & oculati argumento meam resurrectionem credere, ex sufficienti gratia mea, & sufficienti testimonio condiscipulorum tuorum,

sed tu nisi per tale medium credere noluisti. *Beati*, id est, te multò magis beati sunt, *qui non viderunt & crediderunt*, id est, ex solo auditu & gratia mea interna fidem conceperunt, suamque ad credendum voluntatis assensum dederunt.

28. *Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus.*

EX hac nobili Apostoli Thomæ confessione, & celeri sui ipsius correctione, qua Deum & Dominum suum Christum confessus, eum diuina sua virtute resurrexisse profiteretur (quod antea credere noluit) putidi cuiusdam sui erroris firmamentum colligit Calvinus, fidem videl. quam non nisi electorum esse vult, in ipsis electis nunquam extinguere, ideòque Thomæ fidem nunquam excidisse, sed sopitam tantum ad tempus ac suffocatam fuisse. *Hæc* (inquit) *tam subita acclamatio fidem non prorsus fuisse in eo extinctam demonstrat, quam vis suffocata esset: non enim Christi diuinitatem in eius latere vel manibus attrectat, sed ex signis illis multò plus colligit quàm ostendant. Vnde hoc, nisi quia repente ex obliuione & veterno ad seipsum redit? Ergo verum esse apparet quod iam dixi, fidem, qua abolita videbatur, latuisse velut obrutam in eius corde. Ecce iterum hoc ipso in loco nimium sibi indulgens Calvinus, & ex proprio sensu sapere volens, verbo Dei locum non relinquit. Apertè enim docet Scriptura hæc Evangelica, apertè Patres confirmat, Thomam incredulum fuisse & infidelem. Ait illi Christus: *Noli esse incredulus, sed fidelis.* Iam ergo fidem resurrectionis Dominicæ, & diuinitatis Christi, qua posset resurgere, Thomas non habuit. Erat incredulus, non fidelis, ait Christus: Erat fidelis, & fides in eo extincta & abolita non fuit, ait Calvinus. Et vide adhuc quomodo Christo contradicat in argumento erroris sui quod adfert. *Non enim* (ait Calvinus) *diuinitatē in eius manibus ac latere attrectat.* At Christus contrarium disertè docuit: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti:* id est, ex visu & contactu corporis mei, me Dominum ac Deum tuum credis. Non quidem in illo Christi corpore attrectauit Deum, sed ex illo Christi corpore rediituo argumentum cepit credendi Deum. *Qui per visibilia huius mundi, inuisibilia Dei cognoscunt, sempiternam quoque eius virtutem ac diuinitatem,* in huius mundi creaturis Deum non attrectant, sed per illa media & argumenta ad fidem in Deum atolluntur. Thomas hoc loco quod *Deum ac Dominum suum Christum**

Electorum perpetua fides à Caluino impiè stabilita.

Calvinus Christo contradicit.

Rom. 1.

Christum confessus fuerit, à Christo non reprehenditur, imò ex vera fide hoc eum dixisse Christus docet, dicens, *Credidisti*. Sed quòd non sine visibili rediuiui corporis argumento id credere voluit, hoc Christus veluti imperfecti quid minori laude dignum ostendit. Fuit igitur Thomas ante visum Christum *incredulus, non fidelis*: fuit circa Christi resurrectionem & diuinitatem *infidelis*: & hoc infidelitatis graue crimen Christus illi exprobrat, dicens, *Noli esse incredulus*, sicut hactenus fuisti: *sed fidelis*, quod hactenus non fuisti. Sic veteres & nobilissimi interpretes Cyril. Græcus, & August. Latinus hanc rem exponunt, Illa repentina conuersio & confessio non est sopitæ in eo fidei argumentum, quam nullam in eo fuisse Scriptura affirmat, sed est diuinæ gratiæ cor Thomæ mediante illo visibili argumento subito & efficaciter conuertentis illustre argumentum. Ita hoc exemplum Caluini hæresim nihil iuuat, sed prorsus euertit. Thomas enim Apostolus, qui ante Christi passionem Christum esse filium Dei cum cæteris Apostolis crediderat (ait quippe illis Christus, *Pater vos amat, quia credidistis quod à Deo exiui*, & ipsi ad Christum discipuli dicunt, *In hoc credimus, quia à Deo exiisti*) post Christi passionem ac mortem, illo scandalo perculsus & perturbatus, de quo Christus eum ac cæteros tam multis verbis præmonuerat, Christum esse filium Dei, Dominum ac Deum suum, ideòque à mortuis resurrexisset, quod se facturum prædixerat, donec eum vidisset ac tetigisset non credidit: & quidem adeò non credidit, vt ipsemet obstinatè dixerit, *Nisi videro, non credam*. In quo iterum verbo Caluini pernicacia luculento argumèto retunditur. Ait ipse Thomas, *Non credam*. Caluinus dicit Caluinus, *Credidit fide latente in eius corde*. Ita ingenij sui lasciuiam non cohibens Caluinus, iterum verbo Dei & Scripturæ Euangelicæ nullum locum relinquit. An melius nouit Caluinus quod in Thomæ corde latuit, quàm ipse Thomas? Aut etiam illud Apostoli negabit, *Nemo nouit quid sit in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est*? Credimus igitur Thomæ dicenti, *Nisi videro, non credam*. In quo verbo (ait ipse Caluinus, ad ea quæ postea dicturus erat parum attendens) *Thomæ incredulitas refertur, vt inde melius confirmetur piorum fides*. Non modò tardus ille & difficilis ad credendum fuit, sed etiam contumax. Attende, lector, quomodo cæcus hæreticus quasi suo proprio pede contra alterum posito impingit. Hic fatetur Thomæ incredulitatem referri, & addit non solum tardum & difficilem ad credendum fuisse, sed etiam contu-

In Ioan.
lib. 11.
cap. 57.
Ser. 159.
de tēpore.

Fides vni-
ca electorū
subuertitur.
Ioan. 16.

Caluinus
Scripturæ
contradi-
dit.

1. Cor. 3.

Caluinus
ex seipso
refutatur.

macem. Quomodo igitur sustinet fidem in Thoma *abolitam non fuisse, sed latuisse veluti obrutam in corde*? An contumax ad credendum fidem habet in corde latentem? An contumax ad debitum proximo exsoluendum; propositum in corde latens habet soluendi debitum? An quod homo contumaciter se facturum negat, facit tamen latenter in corde? Potest quidem homo contra animum & conscientiam suam mentiri, & contumaciter peterare, affirmans se id nescire quod scit, vel etiam se id non credere quod credit. Sed talis mendax aut periurus diceretur, non ignarus aut incredulus. Nunc autem Thomæ dicenti, *Nisi videro, non credam*. Christus eum corrigere volens ait, *Noli esse incredulus, sed fidelis*. Non ait, noli esse mendax, sed verax. Contumaciter igitur dicens, *Non credam*, non est contumaciter contra animum & mentem mentitus, quasi habens adhuc fidem in corde latentem, sed sine fide erat, incredulus erat, fidelis non erat; denique contumaciter affirmavit se non credere, nec nisi subtili conditione crediturum. Deinde, qui est contumax ad credendum, adeo credendi vel actum vel habitum non habet, ut eum actum aut habitum in illa contumacia manens habere nequeat. Maximum enim fidei impedimentum est, non velle credere. Tandem quale hoc paradoxum est; *Iste contumaciter non vult credere, & tamen credit?* An aliquis Calvinista me dicit Calvino credere tanquam legitimo Scripturarum interpreti, qui constanter profiteor pestilentissimam Scripturarum corruptorem Calvinum esse, ideoque me illi non credere? Postremo qui dicit, *Nisi videro, non credam*, conditionem apponit qua credat. Ergo ante conditionem datam non credit. Thomas qui absque illa conditione non credidit, quod & Christus ei obiecit, vti que & ante illam non credidit. Sed Calvinianæ dementiae refutandæ nullus finis, nullus exitus, si singula momenta premi debeant.

Videamus quæ ad hoc suum hæreticum dogma de unica electorum fide, quæ nunquam amitti potest, magis adhuc confirmandum hoc loco subiungit. *Idem* (inquit) *& multis interdum contingit: nam ad tempus quasi abiecto timore Dei lasciuunt, ut nulla iam appareat in eis fides. Simul ac verò aliqui Dei ferula castigati sunt, subacta carnis ferocia redeunt ad mentem sanam. Certè morbus per se ad docendam pietatem non sufficeret. Unde colligimus purgatis impedimentis emergere bonum semen quod sæpebas oppressum*. Intelligit Calvinus (nam obscurius loquitur, ut non vni a suis intelligatur)

homines impios ac sceleratos magnis sceleribus ac flagitiis contraminatos (si de numero electorum sunt) habere adhuc fidem, id est, firmam fiduciam benevolentiae diuinæ erga eos (hæc est enim Caluini fides) ideoque in gratia Dei ac statu salutis esse. De qua bis impia eius sententia in Promptuarij Catholici parte Quadragesimali latius egimus. Quod autem dicit, ut se habere ex eo probat, quod homines scelerati morbis castigari confestim aliquando resipiscant, & in alios viros mutantur. Ad eod enim eos celeriter resipiscere iudicat, quia bonum semen iacebat oppressum. Nec iterum aduerit huiusmodi resipiscenciam, qua ad bonam mentem reditur, non alicuius boni seminis quod oppressum iacuit, quod Pelagianæ dementiæ affine est, sed diuinæ gratiæ opus esse, quæ huiusmodi medio externo interdum vitur, quo lasciuientem in scelere ad sanam mentem reuocet. Vnde illud: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine!* Sanè quærent, quia antea perdidierant. Non quidem quolibet peccato mortali excutitur fides, vt ex aduerso Lutherani sentiunt, sed quolibet peccato mortali virtus ei contraria excutitur, & omnium virtutum radix charitas. Sola infidelitas excutit fidem, luxuria castitatem, auaritia benignitatem, gula temperantiam, & sic in cæteris. Nec fides Catholica manens in peccatore est semen bonum quod oppressum iacet, & purgatis impedimentis emergit; tum quia fides quoad suæ naturæ perfectionem integrâ manet, tum quia illa sine charitate nullius resipiscenciæ bonum semine est: sed ex lethali peccato qui ad resipiscenciam resurgit, ex nouo gratiæ semine gratuito, ex nouis viribus & auxiliis diuinitus datis resurgit.

Addit adhuc alia Calvinus ad hanc suam susceptam confirmandam. Cuius rei (inquit) insignis exstitit exemplum in Dauide. Nam libidinis sua compass, videmus quàm securè exulteret. Nemo non putasset deletam eo tempore fidem ex eius animo fuisse. Atqui breui Propheta admonitione tam subito in viam reuocatur, vt colligere promptum sit igniculum aliquem, licet demersus esset, stetisse tamè in eius animo, qui mox in flammam erumperet. Vulgare hoc est Calvinistatum exemplum, vt probent fidem quandam electorum & certitudinem gratiæ quæ amitti non potest. Theodorus Beza idem exemplum, atque illam Petri negationem proferens, de illorum permanente fide ita disputat, vt dicat, illos, quum ita lapsi essent, incubuisse tamen veluti anchora illi testimonio quod Spiritus sancti restabat in ipsorum spiritui, eos nimirum quamuis fœdissime lapsos,

Fer. 4. post Dom. Pass. text. 1. Conuersio peccatorum celeris ex efficaci Dei gratia, non ex bono semine, reliq. d.

Psal. 82.

Sceleratis simu Calvinus ac Beza de caa. In confess. fidei, cap. sect. 20.

tamen in numero filiorum Dei censeret, ac proinde remissa illis esse peccata. Hæc videlicet est illa fides quam in Davidis animo immobilem steterit, etiã quum Bethsabatam suam complecteretur, & Uriam occidi iuberet, affirmat; & propter hanc fidem, id est, hanc immobilem fiduciam, se esse de numero filiorum Dei, subito & breui Prophetæ admonitione in viam reuocatum esse. Ita iterum Davidis respiscenciam non diuinæ gratiæ, quæ cor Davidis ad pœnitentiam inflexit, dans illi pœnitentiam (vt Apostolus loquitur) sed fiduciæ, quam tenebat, igniculis animo adhuc manentibus, homo impius tribuit. Impiè sanè suo commento causam respiscenciæ assignat, & causam à Scriptura designatam dissimulat. Ad illam breuem Prophetæ admonitionem, sed satis efficacem, quando apposito dato exemplo ad sui facinoris magnitudinem considerandam, & ad sententiam contra seipsum proferendam Dauidem induxerat, in viam reuocatur David; sed mediante pœnitentia, qua clamauit, *Peccavi Domino*. Clamauit sanè non voce ac labiis tenus, sed ab intimo cordis profundo, magnæque doloris vehementia. *Quid enim aliud* (ait S. Augustinus) *quàm cordis eius profunda cernebat Spiritus Dei, quando correptus per Prophetam dixit, Peccavi Domino, continuoque ad hoc verbum audire meruit, quòd acceperit veniam? Cur autem Saul per Samuelem correptus, quum etiam ipse diceret: Peccavi, nõ meruit audire quòd David, quòd et Dominus ignouisset? Num personarum acceptio est apud Deum? Absit. Sed in simili voce, quam sensus humanus audiebat, dissimile pectus erat, quòd diuinus oculus discernebat.* Hæc ille. Hoc pectus dissimile non erat fiducia dissimilis, sed cordis intimi pœnitentia multùm dissimilis. Nulla enim erat in Saule pœnitentia propter Deum offensum; nulla Deum placandi cura, sed sola conseruandi honoris sui sollicitudo. Sic enim Samuelem alloquitur. *Porta, queso, peccatum meum, & reuerte-re mecum, vt adorem Dominum; & iterum, Peccavi: sed nunc honora me coram senioribus populi mei & coram Israël, & reuerte-re mecum, vt adorem Dominum Deum tuum.* Fuit igitur in Dauide vera peccati confessio cum vera pœnitentia coniuncta. Hanc respexit Deus. Fuit etiam in eo fides, non Calviniana, qua in medijs flagitijs de remissione peccatorum certò consideret, sed illa qua vnum verum Deum adhuc credebat. Neque hæc fides enis peccatis adhuc extincta erat. Hæc eius animo adhuc firma constitit; & ex hac fide Deum inuocabat, ipsumq; peccatum agnoscebat dicens: *Peccavi Domino.*

Davidis
conuersio
vnde nata
2. Tim. 2.

Corra Fau-
stum lib.
22. c. 67.

Hoc igitur exemplum fidem Calvinianam & perpetuam in medijs flagitijs fiduciam nihil adiuuat: neque cum Thomæ Apostoli lapsu & incredulitate quicquam commune habet. Non enim incredulus erat Dauid, sed adulter & homicida, quum ad eum corripiendum Propheta veniret.

Sed pro sua adhuc fiducia ac sola iustificante fide etiam cum horrendis flagitijs adiuncta quid adhuc disputer hoc loco Calvinus attende. *Quantum* (inquit) *ad homines spectat*, *Fiducia in medijs flagitijs Calvinus docet.* *perinde rei ac si & fide, & omni Spiritus sancti gratia se abdicassent. Sed fit immensa Dei bonitate, ne electi in tantum alienationis precipitium ruant. Quare sollicitè cauendum est, ne à fide excidamus. Statuendum tamen est, Deum occulto freno electos suos retinere, ne exitialiter cadant, & miraculo fouere semper in eorum cordibus qualescunque fidei scintillas, quas nouo Spiritus sui afflatu, suo postea tempore accendat. Est hominis quasi vertiginem passi incondita oratio, in hanc & in illam partem vacillans, nusquam pedem certum figens, ac demum pugnantia loquens. Ait homines sceleratos adultero & homicidæ Dauidi similes, quod ad ipsos spectat, perinde reos esse ac si omni Spiritus sancti gratia se abdicarent. Teneamus ergo istud. Quod ad ipsos attinet, rei sunt; ergo & ante Deum rei sunt, cuius iudicium est secundum veritatem in eos qui talia agunt. Si secundum veritatem; ergo sicut rei veritas se habet, ita Deus iudicat. At secundum rei veritatem, & quoad ipsos homines, adulter & homicida electus verè talis est; reus est, ac perinde reus ac si omni Spiritus sancti gratia se abdicaret: est igitur & coram Deo talis. Pergamus nunc. Sed (inquit) fit immensa Dei bonitate, ne electi in tantum alienationis precipitium ruant. Hæc iam cum priori sententia aperte pugnant. Si enim adulter & homicida verè reus & abominabilis est quoad ipsum, quoad rei veritatem, & consequenter in Dei iudicio, Dauid autem haud dubiè electus, adulter & homicida erat; atque in tantum alienationis precipitium ruit, vt tam quoad seipsum quàm coram Deo reus atque abominabilis esset, falsum iam est quod affirmat Calvinus, Dei bonitate fieri vt electi in tantum precipitium non ruant. Sic ab vna parte in aliam vacillans, pugnantia dixit. Addit proximè. Quare sollicitè cauendum, ne à fide excidamus. Quæ hæc illatio? quæ connexio est? Illud potius inferendum fuit: Quare sollicitè cauendum, ne adulteri, homicidæ, aut aliorum flagitiorum rei simus, perinde ac si omni Spiritus sancti gratia nos ipsos abdicassemus. Alioqui ne à fide excida-*

Rom. 2.

Calvinus pugnantia docet.

Alia repugnantia.

excidamus, iuxta Calvinum, quia sumus electi, cavere non est opus. Electorum enim fides (iuxta Calvinum) amitti non potest: & *immensa Dei bonitate fit* (sicuti modò dixit) *ne in tantum alienationis precipitium* (quo videlicet fide & omni Spiritus gratia electi se abdicent) *electi aliquando ruant*. Ita quod per modum illationis subiunxit, nec cum se presenti cohæret; & cohærentia quâ habere videtur, pugnantia concludit. Iam iterum adiungit: *Statuendum est tamen, Deum occulto freno electos suos retinere ne exitialiter cadant*. Hoc nunc rursus cum præcedenti membro, inò & cum tota oratione pugnat. Si enim statuendum ac firmiter tenendum, Deum suos occulto freno retinere ne exitialiter cadant; profectò nec cavere opus est ne à fide excidamus (quod in proximo membro dixit) quia freno occulto Deus nos retinet; neque verum erit, ipsos interdum electos quoad seipsos perinde reos esse ac si omni Spiritus sancti gratia ipsaque fide se se abdicassent, quod tota præcedens oratio posuit. Quomodo enim ita rei esse possunt, quos occulto freno Deus retinet ne in ralem reatum cadant? Nam *omni Spiritus sancti gratia se se abdicare, & exitialiter cadere*, idem profus valere nemo opinor negabit. At illud electis tribuit Calvinus, & David in se expertus est; hoc rursus fieri in electis non posse propter occultum Dei frenum negat Calvinus. Ita, vt dixi, tota eius oratio incondita, vacillans, & dementia plena est.

Addit tandem, Deum *in electorum cordibus, qualescunque fidei scintillas miraculo fouere, quas postea Spiritus sui afflatu suo tempore accendat*. Attende vt suum paradoxum, quod absurdissimum esse cernebat, nunc miraculo tribuat. Deus in corde Davidis adulterantis, & innocentem hominem gladio impiorum occidentis, adhuc aliquas fidei scintillas fovit, id est, aliquam semper fiduciam certam de sua salute, aliquam semper certitudinem electionis suæ particularis (hæc est enim fides de qua Calvinus semper loquitur, & quam Beza verbis citatis posuit in Davide ac Petro eo ipso tempore quo foedissime lapsi erant, & sine qua fide nulla est apud eos peccatorum remissio) quam fiduciam & certitudinem in mediis sceleribus ac flagitiis veluti oppressam, postea suo tempore Spiritus sui novò afflatu accendit. Sed quia hoc totum cum summa absurditate coniunctum est, vt electus adulter vel homicida, cum iam in actu flagitioso ac sceierato versatur, persuadeat tibi se esse filium Dei, certum de salute & peccatorum remissione (quando talis persuasio, præterquâ quòd in quenquam

Adhuc
alta.

Calvinus
absurdisi-
mum suum
paradoxum
miraculo
tribuit.

quam eam cadere ipsa synderesis & peccati cōscientia vetat, præclarum esset continuandi flagitij ac sceleris incentiuum) addit Calvinus, *illam in electorum cordibus miraculo foueri.* Miraculum sanè ac portentam istud est, non quod Deus facit tota reclamante Scriptura, ipsoque naturæ lumine, sed quod Calvinus finxit: audacia & impudentia vsus, vbi nullum rationis fucum calliditas inuenit. Si turbulenti, sanguinarij, flagitiosi ac scelerati, passim Calviniani conspiciuntur, mirari id nemo debet. Habent in mediis sanguinibus atque sceleribus hanc fidem ac fiduciam in cordibus, quam Deus in illis miraculo fouet, qua facientes opera diaboli, manèant tamen semper filij Dei. Egregia scilicet & digna hæc vitis Christianis doctrina, à qua Epicurus ipse voluptatis alector ita abhorruit, vt tamen si diceret *nihil esse iustum natura*, adiecerit tamen *vitia vitanda esse, quia metus vitari non potest*; vt refert de eo Seneca. Vnus Calvinus cum suis Calvinistis in mediis criminibus metum non habent, quia fiduciam certam salutis Deus in illis perpetuò fouet, *sed miraculo*; id est, ita incognito ac miro modo, vt nec in notitiam vnquam venerit, quia nunquam accidit; & ratione explicari nequeat, quia omni rationi aduersatur. Verum interim est, Deum occulto gratiæ suæ freno corda electorum ita dirigere, flectere, ac gubernare, non quidem, vt nunquam exitaliter ruant siue lethaliter peccent, sed sanè vt finaliter non excidant; quod iuxta sanam doctrinam docet Augustinus, sed eosdem exitaliter peccate; & cùm peccant, non Dei sed diaboli filios esse; nec nisi mediante pœnitentia remissionem peccatorum consequi, vel ad sanam mentem renocari, idem Augustinus cum alijs Patribus constanter docet. Tandem, nihil hæc tota Caluini oratio ad Thomæ Apolloli incredulitatem pertinet, vel aliquam in eius animo fidem de resurrectione ac diuinitate Christi sterisse (quæ fides cum fide ac fiducia Calviniana nihil etiam commune habet) vlla ratione probauit.

Calvinus
audacia
perumpsit
vbi calli-
ditate non
obtinet.

Caluiniana
doctrina
Epicu-
rea dete-
rior.
Epist. 98.

In libro de
corrupt. &
gratia.

29. Beati qui non viderunt & crediderunt.

Q Vum ad fidem de vera & reali corporis & sanguinis Christi præsentia & existentia in venerabili Eucharistiæ Sacramento firmiter tenendam, aliqui Catholici hunc locum accommodarent, hoc sibi studiosè taxandum sumpsit Calvinus. *Quod (inquit) Papiste hæc verba torquent ad suam trans-*

Transsub-
stantiatio-
nis fides
frustra im-
pugnatur.

minus

minus Christo propositū fuisse scimus, quā ut fidem subjiceret hominum commentis, quæ si minimum transiliat ultra verbi metas, desinit iam esse fides. Hæc ille. Atqui qui iubent credere Christi corpus esse in specie panis, ut sic credendo quod non vident, beati sint, non hominū commentis, sed ipsi verbo Dei fidem subiiciunt; huic videlicet verbo, *Hoc est corpus meum*. Cui verbo ne se Calvinus & horum temporum hæretici subiiciant, ab ipso Christi verbo, ad sua quisque commenta, hominum fidem traxerunt. Qui autem hoc suadent, ut huic Christi verbo fidem suam fideles subiiciant; nec quod oculis vident, sed quod Christi verbum renunciat, simpliciter credant; non horum temporum Papistæ sunt, sed antiquissimi & doctissimi Patres. Imprimis Chrysostomus his verbis: *In omnibus Deo pareamus, neque contradicamus, licet cogitationibus nostris videatur aduersari, & oculis, quod dicitur: sed sit & cogitationibus & visu dignior ipsius sermo. Sic & in mysterijs agamus: nec solum præ oculis posita respiciamus, sed ipsius verba contineamus. Ipsius enim sermo infallibilis: sensus autem noster seduci facilis. Quoniam igitur verbum dicit, Hoc est corpus meum, & pareamus, & credamus, & oculis intellectualibus ipsum conspiciamus. Sic & alio in loco. Credamus Deo, nec repugnemus ei, etiamsi sensui & cogitationi nostra absurdum esse videatur quod dicit. Eandem fidem contra sensum postulat Ambrosius. Fortè dicas: Aliud video. Quomodo tu mihi asseris quod corpus Christi accipiam? Et hoc nobis superest ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis, ut probemus non hoc esse quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit; maioremque esse benedictionis vim quàm natura, quia benedictione etiam ipsa natura mutatur? Hæc ille. Cyrillus quoque Hierosolymitanus id credere quod nō videmus in hoc tanto mysterio monet. Quamuis (inquit) sensus tibi suggerit panem & vinum esse, tamen fides te confirmet, ne gustu rem iudices. Et paulò post: Hoc sciens & pro certissimo habens, panem hunc, qui videtur à nobis non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi; & vinum quod à nobis conspicitur, tamen si sensui gustus vinum esse videatur, non tamen vinum, sed sanguinem esse Christi. Hæc ille. Isti veteres Patres (non Papistæ modò) iubent nos credere in specie panis esse corpus Christi, ut sic credendo quod non videmus, beati simus.*

Pergit Calvinus: Si credere promiscuè oportet quæ non videntur, quicquid prodigiorū fingere hominibus placuerit, fidem nostram habebit obstrictam. Atqui non est ab vno extremo ad

Papistarū
nomine Pa-
tres taxat
Calvinus.
Homi. 60.
ad populū
Antioch.

Homi. 83.
in Matth.

De ijs qui
initiantur
mysterijs,
cap. 9a

Catech.
Mystia-
log. 4.

alterum extremum abeundum; nec quia prodigum esse non conuenit, ideo auarum esse oportet. Non quia quæ fingunt pro libito homines temere credere in vitio habentur, idcirco quæ docet Ecclesia Dei credenda non sunt. Sed modum forte præscribet Calvinus, audiamus. Ergo ut locum habeat hæc Christi sententia, imprimis probandum est ex verbo Dei id de quo ambigitur. Atqui ista transsubstantiatio, quam impugnat Calvinus, ex verbo Dei maximè luculento probatur, isto videlicet, *Hoc est corpus meum*. An propterea quod non videt Calvinus credit? Minimè gentium. Verbum quidem (inquit) pro sua transsubstantiatione afferunt, sed quod probè expositum, nihil eorum delirio suffragatur. Attende hominis hæretici resolutionem. Subiicienda est fides verbo Dei, non ut apertè loquitur ac sonat, non ut antiquissimi & doctissimi Patres illud intellexerunt, non ut tota per orbem Ecclesia hæctenus credidit, sed ut vnus Calvinus probè exposuit. Illud enim, probè expositum, nec veterum Patrum, nec Lutheranorum hodie, nec ipsius Zyvinglij, sed vnus Caluini singularem expositionem significat. Huic Caluini expositioni probæ fidem nostram subiicere oportet, ut sic beati simus. Obseruet lector Scripturam & verbum Dei ab hæreticis ore & labiis venditari; sed ad rem quum ventum est, nõ Scripturam, non verbum Dei, sed verbum hominis, verbum Caluini, verbum Lutheri, aut cuiuslibet alterius Magistri credendum obtrudi. Sic alibi contra Lutheranos disputans. *Excipiunt* (inquit) *se verbum habere quo palàm facta est Dei voluntas*. Moxque respondet. *Nempe si illis conceditur, donum interpretationis ex Ecclesia profligare, quod lucem verbo adferat*. Ecce non iam verbo Christi, sed suæ interpretationi, quæ etiam lucem adferat Dei verbo, fidem subiici vult. Vnde paulò post: *Hinc* (inquit) *fastuosa illa morositas, nolumus scire quomodo sub pane lateat Christus, hæc ipsius voce contenti, Hoc est corpus meum*. Morositatem vocat, eamque fastuosam, quòd Christi voce contenti sumus. Suadet ergo Christi voce non esse contentos. Suadet verbo Dei fidem non subiicere, sed interpretationi suæ: quam (ut postea dicit) *Spiritus Dei illi suggestit, quo fretus despicit ex alto quicquid terrena sapientia contra opponitur*. Ita iuxta Calvinum in cuiuslibet noui Magistri spiritu, quem Dei Spiritum nuncupabit, ideoque eo fretus omnes aliorum spiritus ex alto despiciet, fides nostra resoluetur. Verbo enim Dei subiicienda fides est, sed sic exposito & intellecto, ut talis ac talis nouus Magister interpretari vo-

*Hæretica
resolutio
Caluini.*

*Scripturæ
quomodo
venditant
hæretici.*

*Institut.
lib. 4. c. 17.
num. 25.*

*Christi ver-
bo conten-
tū esse. Mo-
rositas fa-
stiosa Cal-
uini est.*

*Spiritui
Proprio
quisque
hæreticus
omnes sub-
iicere vult.*

luerit. Huius resolutionis impietas quanta sit, pluribus explicare, nec opus admodum est, nec hic locus permittit.

IN IOANNIS CAP. XXI.

15. *Dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis, diligis me plus his? Dicit ei, Etiam Domine: tu scis quia amo te. Dicit ei, Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis, diligis me? Ait illi, Etiam Domine: tu scis quia amo te. Dicit ei, Pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Ioannis, amas me? Contristatus, &c. dixit ei Petrus: Domine, tu scis omnia: tu scis quia amo te. Dicit ei Iesus, Pasce oves meas.*

*Primatus
Petri va-
rie demo-
stratur.*

*Hom. 1.
de penit.*

*Tractat.
123. in
Ioan.*

DISPLICET multum Caluino, Petri Primatum & supremam Ecclesiae gubernationem ex hoc loco stabiliri. Christi enim verbis inhærendo obseruamus, præsentibus aliis Apostolis ac discipulis, ad vnum Petrũ illa Christi verba destinari, in quibus Ecclesiae suæ vniuersæ Pastorem constituit. Vniuersam Ecclesiam Petro committit, quum ait indefinitè, *Pasce oves meas*. Oves quippe Christi sunt totum ouile. Vnde *Ecclesia primatum gubernationemq; per vniuersum mundum Petro à Christo hoc loco concreditum fuisse*, scribit Chrysostomus. Obseruamus hanc illi pascendi curam cum distinctione & variatione non otiosa, sed certum aliquid & proprium significante, coniunctam committi. Estque hæc verborum variatio duplex, tum in officio pascendi, tum respectu eorum quos pascere Petrus iubetur. Nam in primo & tertio mādato vtitur Christus proprio & simplici verbo pascendi, βοσκει, quod est pabulum necessarium præbere seu verbo prædicationis, seu Sacramentorum alimento, seu vitæ & morum exemplo. In secundo mandato vtitur verbo, ποιμαίνε, quod ita pascere significat, vt etiam regere ac gubernare denotet, quod Græcus Interpres Euthymius annotauit in commentariis in hunc locum. Augustinus quoque oves pascendas exponit, *docendas regendasq; cōmittit*. Respectu eorum quos pascere iubetur Petrus, primò vocantur *agni*, postea *oves*, quibus significatur tum populus fidelis, qui ita pascitur vt alios nō pascat; tum ipsi Pastores qui alios pascunt, sicut agnorum matres oves sunt. Quod obseruans

Ambrosius

Ambrosius ita scribit. *Tertio Dominus interrogauit, non iam agnos, ut primò, lacte quodam pascēdos, nec ouiculas, ut secundo* Lib. 10. cap. 24. in Lucam. (sic enim ille legit) *sed oues pascere iubetur, perfectiores ut perfectior gubernaret.* Obseruamus rursū, ut hoc amplissimum munus Petro Christus demandaret, non simplicem ab eo dilectionem, quæ in quolibet Pastore requiritur, sed excellentem & cæteris maiorem Christum flagitasse. Ait enim: *Simon Ioannis, diligis me plus his?* Ita videlicet diligenti plus cæteris, pascendi potestatem ampliolem quàm cæteris dedit. Alioqui æqualem & cōmūnem cæteris daturus potestatem, non nisi dilectionē ab eo cæteris æqualem flagitasset. Quod In Luc. lib. 10. cap. 24. obseruans D. Ambrosius ait. *Christus eleuandus in calū, amoris sui vicarium Petrum reliquit: & ideo quia solus proficetur ex omnibus, omnibus antefertur.* Hæc obseruatio tanti valet, ut bonus Calvinus hæc Christi ad Petrum verba (*Diligis me plus his?*) penitus intacta reliquerit. Audacior Beza tacere noluit, sed rem eludere contendit. *Hoc* (inquit) *addit Christus, non ut alijs Petrum anteponat, sed ut in memoriā reuocet Petro inanem illam iactationē qua fretus dixerat, tacentibus cæteris, se vitam depositurum ipsius causa.* Sed hæc Bezæ euasio luculento nititur mendacio. Non enim tacentibus cæteris solus Petrus se vitam depositurum Christi causa dixerat: sed cū dixisset, *Etiā si oportuerit me mori tecum, non te negabo*; addit Matthæus, *addit etiam Marcus, Similiter & omnes discipuli dixerunt.* Non ergo ad illam iactantiam, quæ omnibus communis erat, in memoriā reuocandam, solus Petrus interrogatur, *An diligit plus cæteris.* Sanior est S. Ambrosij obseruatio: & frustra Beza turpi mendacio innixus exclamat, *Quorsum istud ad Antichristianam tyrannidem?* Sic enim rebellis spurius sedis Apostolicæ iustam & supremam auctoritatem conuictio lacerat. Culpat statim Augustinum quòd de ciuitate Dei libro 14. cap. 7. discrimen constituat inter *ἀγαπᾶν* & *φιλεῖν*, quasi istud amplius quàm illud declaret, & rem esse ait *nul- lius momenti.* Atqui D. Augustinus eodē in loco prorsus contrarium docet, & probat ex scripturis vtrumque verbū Augusti- nus à Beza mendaci- ter taxa- tus. *amoris & dilectionis* indifferenter accipi: immò & ex ipso textu doctè obseruat illa duo verba hoc loco prorsus idem significare, quod aliter olim Ambrosiū secutus exponens terractō. *Tertia* (inquit) *interrogatione ipse Iesus non ait, Diligis me, ἀγαπᾶς με, sed, Amas me, φιλεῖς με: vbi secutus Euangelista ait: Contristatus est Petrus quia dixit ei tertio, Amas me, cū Do- minus non tertio, sed semel dixerat, Amas me, bis autē dixerat,*

Diligis me. Vnde intelligimus, quòd etiã cum dicebat Dominus, Diligis me, nihil aliud dicebat quàm, Amas me. Petrus autem non mutavit huius unius rei verbum, sed etiam tertio dixit, Domine, tu scis quia amo te. Hac propterea commemoranda putavi, quia nonnulli arbitrantur aliud esse dilectionem seu charitatem, aliud amorem. Quam sententiam improbabilem esse statim ostendit. Quid ergo Beza in mentem venit id in Augustino culpare, cuius contrarium ille aperte docet, nisi quòd petulantes hæretici ad Patres doctissimos reprehendendos præcipites feruntur, eos autè inspicere ac legere non dignantur? Adde aliam annotationem Beza, pro eo quod Ioannes habet agnos & oues, ἀγνῶς καὶ ὄψαλα, Syrum interpretem tribus vti vocibus, sed idem significantibus. Quod (inquit) non annotassem, nisi adoratores bestie viderem etiam ad stabilendam illius tyrannidè non minus impudenter quàm impie occasionem ex his voculis arripere, quasi per agnos ipsi Apostoli reliqui intelligantur, quos tamen Christus non pascere, sed, postquam resipuisset, confirmare, suo videlicet exemplo, ceterisq; virtutibus, Petro præcepit. Luc. 22. 32. Plena est ineptiæ & impietatis annotatio. Si adoratores bestie sunt qui inter has voces distinguunt, Ambrosius & Euthymius à nobis citati tales fuerunt. Sed facilius est Bezam esse bestiam, quàm sanctissimos illos & doctissimos Patres adoratores bestie fuisse. Deinde inhæreere verbis Christi, & distinctionem ab Evangelista positam religiosè retinere, est iudicio Bezae impudenter & impie ex voculis occasionem arripere. Hæc est quam deferunt hæretici Scripturæ reuerentia, quoties contra illos premitur. Impietatis Bezae hæ notæ sunt. Agnorū vocabulo Apostolos à quoquam designari, perquam ineptè affirmat, quum agnorum vocabulo populū fidelem, ouium verò Pastores & perfectiores significari, Ambrosius & Euthymius aliisque Catholici affirmant. Quòd autem Petri officium de confirmandis fratribus suis exponit Beza, ad exemplum ac ceteras virtutes pertinere, quibus eos Petrus præire debuit, glossam esse à Christi mente alienissimam, ex doctissimorum Patrum concordia sententiã ad illum Lucæ locum ostendimus. Quod tandem ait Syrū interpretem tribus vti vocibus idem significantibus, falsum penitus esse textus Syriaci interpretatio monstrat: quæ pro tribus illis vocibus primò agnos, secundò & tertio oues reddit. Et ut ita se res haberet, an ipsis Evangelistæ verbis Græcis Græcè scribentis, istud præiudicare vilo modo potest aut debet? Sanè neutra illarum trium vocū Hebraicis verbis

Beza annotationem in eptâ & im-
pud.

Scripturâ
utilipendit
Beza.

verbis responder, quod magis spectandum erat. Sed quare Beza in Græcorum verborum proprietate excutienda accuratus, de verbis Euangelistæ differentibus *ἰόντι & ποιῶντι* nihil hoc loco annotavit? Cur ex Homero, ut multa solet illud non protulit, *τὸν ποιῶντα λαῶν*, ut, quantum valeat, *τὸ ποιῶντιν*, suum lectorem moneret? Nempe ad veritatem orthodoxam istud faciebat; cuius ille hostis esse maluit quàm interpres.

Sed nunc, omisso Beza, ad Caluinum veniamus. *Legitimè* (inquit) *Pastores coram Deo censentur, qui sub Christo capite Ecclesia præsumunt per verbi ministerium. Quo satis dilucide refellitur Romanensium improbitas, qui locum hunc detorqueunt ad stabiliendam Papatus sui tyrannidem. Petro, inquiunt, præ alijs dictum est, Pasce oves meas. Cur illi potius dictum sit quàm reliquis, iam antè exposuimus. Nempe ut purus omni sinistra nota liber esset ad predicandum Euangelium: & idèo ter eum Pastorem constituit Christus, ut tres abnegationes, quibus sibi Petrus aeternum probrum contraxerat, abolite, eius Apostolatam non impediant, quemadmodam prudenter observant Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus, & plerique alij. Cæterùm nihil Petro datum est his verbis quod nõ omnibus Euangelij ministris sit commune. Frustra ergo Papista idèo contendunt esse primum, quia specialiter vnus vocetur. Hæc ille, contra veritatem Euangelicam frustra recalcittans. Petrum quidem de amore suo erga Christum ter fuisse rogarum, ut trinam negationem triplici amotis confessione ablueret & compensaret, notarunt Patres à Caluino citati: sed Apostolatam illi per hanc triplicem confessionem quasi renouatum fuisse, vnus Cyrillus affirmat; nec id quasi literæ sensum enucleans, sed, quemadmodum præfatur, sensum quendam sublimiorem & mysticum consecrans. *Altius* (inquit) *quiddam hæc oratio certè parturit.* Sed neque verè dici potest Apostolatam Petro restitutum fuisse, ut Caluinus hîc dicit. *Narrat* (inquit) *hic Euangelista quomodo Petrus in eum honoris gradum, unde exciderat, restitutus fuit.* Nam etsi per illam negationem Apostolatu excidisset, nec ad gradum illum recuperandum vel pœnitentia confestim subsequens, vel benevolentissima illa Christi apparitio soli Petro primo resurrectionis die seorsim facta (de qua Lucas, *Et apparuit Simoni*) suffecisset; tamen noua potestas remittendi & retinendi peccata iam prius Petro cum alijs Apostolis concessa, certum argumentum est, Petrum in Apostolatu sui dignitatem iam antea restitutum fuisse;*

Caluini
recalcittans
tio.

Petro A
postolatus
non est hic
restitutus

Luc. 24.

maximè in sensu Caluini, qui illam remittendi peccata potestatem in solâ prædicatione verbi consistere pertinaciter locò eodem docet, & hîc rursùm totam pascendi potestatem Petro datam exponit, *præesse Ecclesia per verbi ministerium*. Deinde etsi Patres à Caluino citati ex trina dilectionis professione Petri primatum non colligunt, colligitur ille tamen partim ab iisdem, partim ab aliis Patribus citatis, ex aliis huius loci circumstantiis quas annotauimus, & imprimis ex eo quòd an plus cæteris Christû diligeret (quod sibi penitus dissimulandum putauit Caluinus) à Christo interrogatur. Frustra igitur Caluinus veritati Euangelicæ reluctatus est.

Quæ nunc in Caluino sequuntur, vel friuolæ exceptiones sunt, quibus olim satisfactum est, vel putidæ cauillationes, vix vllò responso dignæ. Singula tamen breuiter discutiemus.

*Varia
Caluini
cauillatione-
ribus re-
spondetur.*

1.

*Arque vt demus (inquit) fuisse priuatim illi aliquid honoris delatum, vnde, quæso, euincant locatum fuisse in primatu? Iam ex ipsis Christi verbis diligenter excussis illud euicimus. Neque de priuato aliquo Petri honore aliquid hîc Christum egisse, vel per somnium cogitare potest, qui Christi omnes actiones & doctrinam, quem scopum semper habuerint, vel mediocriter perpendit. Addit: *Euerit sanè inter Apostolos præcipuus, an**

2.

*Ad Matt.
c. 16. v. 18.*

inde protinus sequetur, fuisse vniuersalem totius orbis Episcopum? Stolidæ est exceptio à Caluino sæpe repetita, à nobis super Matthæû reiecta. Adde (inquit) quòd quicquid accepit Petrus, nihilo magis ad Papã pertinet quàm ad Mahometẽ. Cõuertiũ est homine hæretico & nulla refutatione dignum. Atqui probabit, si diis placet. Quo enim (inquit) iure pro hærede Petri se venditat? Nõ pro hærede, sed pro successore se venditat, eãdem Cathedrã, fidẽ, ac doctrinã tenens. Pergit adhuc. Deinde

3.

quis illi sanus concedat, hîc ius aliquod hereditarium à Christo positum esse? Et quis sanus illud negabit? Pascendi verbum, officium designat non extraordinarium sed perpetuum. Quile Christi perpetuum est: perpetuus igitur & Pastor est quem

4.

*Christus illi præfecit. Quis sanæ mentis istud negabit? Addit Caluinus. *Successor tamen vult haberi, vt inam quidem esset. Nemo nostrũ illi repugnat, quin & diligat Christum, & curam suscipiat pascendi eius gregis. Sed neglecto Christi amore, & reiecto pascendi officio, successionem iactare, nimis absurdum est, nec minus stultum. Petri successores Romani Pontifices nec**

5.

Christi amore, cuius fidem semper fortissimè defenderunt, nec pascendi officium, quod laucissimè patet, penitus neglexerunt, etsi alij magis, alij minus illi muneri incubuerint. Nec

6.

qui

qui Cathedram & doctrinam tenet, successionem inaniter iactat, tamen officium aliquatenus negligat, quam diu reiecta fide in lupum non vertitur; sicuti Reges ius regni non amittunt, tamen rem negligenter administrant, quam diu in tyrannos non vertuntur. Pergit Calvinus. *Quemadmodum autem Christus docendi provinciam Petro mandans, solum idolo vel animarum carnifici erigere noluit, ex quo Ecclesiam miserè opprimeret, ita breuiter admonuit quale probet Ecclesia sua regimen.* Respondeo: Quemadmodum Christus oves suas pascendi provinciam generalem atque supremam mandans, nec idolo alicui, nec animarum carnifici, sed Cathedræ Apostolicæ & animarum curatori maximo solium erexit, ex quo hæreticos omnes per omnes ætates, & inter ceteros Caluini sectam penitus opprimeret: sic officium istud & maximæ sollicitudinis & in primis necessarium totis his 1500. annis Petri successores strenuè sunt executi. Concludit tandem & triumphum canit Calvinus. *Sic larua detrahatur cornutis Episcopis, qui sola theatra pompa & inani titulo contenti, ius Episcopale sibi arrogant.* Hoc est fulmen Calvinistarum, quo vix pulli & aliculæ terrentur. Calvinus omnibus laruam detraxit, quia strenuè bacchari & mentiri potuit. Non contentus Papam è solio deiicere, omnes quoque Episcopos è ponte derubat. Sed stat firma sedes Apostolica, Petrique Cathedra. Pascunt Ecclesiam Catholicam docti & sancti Episcopi, quorum studio ac diligentia lupi Calviniani à Christi gregibus arcentur. Nec sola Episcoporum incuria, sed populi leuitate & principum conuenticia hæc Calviniana secta præualuit.

18. *Cum senueris, extends manus tuas, & alius cinget te. & ducet quod tu non vis. Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum.*

Qui ex hoc loco colligunt Petrum fuisse crucifixum (ait hoc loco Beza) ineptè argumentantur, cum Christus in genere predicat Petri mortem violentam fore. Similiter Calvinus. Multi genus mortis notari putant, quod extensis brachiis suspensus fuerit, verum ego simpliciter cingendi verbo comprehendit interpretor externas omnes actiones quibus se homo & vitam suam componit. Cingebas te, hoc est, induebas prout libitum erat. Posthac autem tolletur hæc formandi habitus libertas. Porro quo supplicij genere affectus fuerit Petrus, præstat nescire, quam dubiis fabulis habere fidem. Hæc ille. Vterque historiam Evan-

Calvinus
ac Beza
historiam
Euangel.
studio cor-
rum sunt.

gelicam affectatè corrumpit, vt traditionem Ecclesiasticam de Beato Petro crucifixo inanem ac ridiculam reddat. Sed verba Christi & Euangelistæ tam clara sunt, vt huiusmodi cauillationibus eludi nequeant. Christus non solum Petro dixit, *Alius te cinget, & ducet quò tu non vis*, quod de morte pro Christo toleranda, cui naturalis hominis iusti voluntas repugnat, ipse Caluinus agnoscit, sed genus mortis exprimere volens, duabus circumstantiis vsus est, *Extendes manus tuas, & Alius te cinget*. De vtraque circumstantia sic Augustinus in hunc locum. *Extendes manus tuas, id est, crucifigeris. Ad hoc autem vt venias, alius te cinget, & ducet non quò vis, sed quò non vis. Prius dixit quòd fieret: deinde quomodo fieret. Hæc ille.* De posteriori circumstantia Tertullianus. *Tunc Petrus ab altero cingitur, cum cruci astringitur.* Euangelista quoque apertè affirmat de genere mortis ista Christum dixisse, subiungens. *Hæc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum. Qua morte, id est, quo genere mortis,* ait Chrysostomus Patriarcha Græcus, illud verbum, *πῶς θανάτω*, exponens, quod ita exponendum negat Beza, quasi verbi Græci proprietatè meliusteneret quàm aureum illud Græcorum os.

B. Petri
crucifixio
& Christo
prænun-
ciata.

Tract. 123
in Ioan.

Lib. 4.
aduersus
Marcionē.

Hom. ult.
in Ioan.

Ioan. 12. 23

Caluini
glossa pue-
rilis.

Petrus
Romæ
crucifixus.
Historia
Ecclesiast.
lib. 3. c. 1.

In præ-
script. c. 26

Sic suprâ Ioan. 12. dicente Christo, *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*, addit Euangelista, *Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus, πῶς θανάτω ἡμελλω ἀποθνήσκειν*: vbi iterum de genere mortis suæ loquutum esse Christum negari non potest. Caluini autem glossa, *Alius te cinget*, id est, posthac tolletur hæc te formandi habitus libertas, planè ridicula & puerilis est, quasi Christus Petro prædixerit fore vt deinceps non se indueret pro libito, & quasi coniuncta illa duo non essent, *Alius te cinget, &, Ducet quò non vis*: quorum posterius ad Petri martyrium pertinere quum Caluinus ipse fateatur, prius quoque membrum ei coniunctum eodem spectare, negare non debuit. Sed libuit præfractis hominibus, historiæ Euangelicæ clarissimæ luci tenebras offundere. Porro *non dubiis fabulis*, sed indubitatæ fidè, & grauissimis rerum Ecclesiasticarum scriptoribus fides habetur de genere supplicij quo Petrus affectus fuit. Eusebius Pamphili ex Origene in Genesim ita scribit. *Petrus ad extremum, quum Romæ versaretur, capite deorsum statuto (sic enim perpeti cupiebat) crucifixus est.* Vnde eleganter Tertullianus. *Petrus passioni Dominicæ Romæ adæquatur. & D. August. Petrus pro Christo capite deorsum verso in ligno suspenditur.* Idem testatur Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorū, Orosius

Orosius lib. 7. cap. 6. Dorotheus Tyrius in Synopsi, Egesippus de excidio Hierosolymitano lib. 7. Chrysostomus his verbis. *Gaudeat Petre, qui ligno crucis fruitus es, & ad Magistri similitudinem recta quidem figura, sicut Dominus noster, crucifigi noluit, sed magis inuerso capite, veluti e terra ad caelum iter parans.* Idem scribit Theodoretus in oratione de charitate, B. Maximus in Natali Apostolorum Serm. 1. Prudentius, & alij grauissimi atque antiquissimi authores. Sed Caluino ac Bezae si antiquitatis testimonia fidem facere nequeunt, minus mirari debemus: quando & ipse textus Evangelicus per se perspicuus & luculentus non satisfacit. Hæc illorum pietas, hæc modestia est.

Homil. in
Princip.
Apost.

* * *

CALVINI EPILOGVS.

Tenendum memoria est, quod prius habuimus, quam Euangelista summam literis complexi sunt, tum ad instituendam fidem, tum ad salutem conferendam sufficere. Satis ergo superque sapient, quisquis ritè sub ijs Magistris profecerit. Et certè cum diuinitus nobis ordinati fuerint testes, sicuti fideliter defuncti sunt suis partibus, ita nostrum est vicissim ab eorum testimonio totos pèdere, nec plus appetere quam ab illis proditum est: presertim cum eorum calami certa Dei providentia gubernati fuerint, ne immodica rerum congerie nos onerarent, & tamen delectu habito traderet quantum expedire nouerat, qui solus sapiens est, & fons unicus sapientia, Deus: cui laus & gloria in perpetuum.


ANTIDOTVM.

Tenendum memoria est, & contra imposturas hæreticas diligenter obseruandum, quod prius contra Caluini technas explicatum dedimus: quam Euangelistæ summam literis complexi sunt, eorum quidem quæ de Christi dictis ac factis cognoscere opus erat, sufficiens esse compendium, ad instituendam autem fidem vel ad salutem conferendam minimè sufficere: quando Apostolos postea & Ecclesiam Spiritus Sanctus multa docuerit quæ Christus uia uoce non docuit, eò quòd omnia portare Apostoli necdum poterant: ac per hoc Euangelistas, qui ea quæ cepit Iesus facere & docere (vt Lucas Euangelista affirmat) suis literis comprehenderunt, omnia quæ ad instituendam fidem & conferendam salutem sufficerent, scripto tradere non potuisse. Nisi fortè quicquid extra 4. Euangelia non solum Ecclesia tradit, sed & alij Apostoli non Euangelistæ in Epistolis & alijs suis scriptis complexi sunt, id totum ad instituendam fidem & ad salutem conferendam superuacaneum uideri debeat. Multum ergo ille plurimumque sapient, quisquis sub ijs 4. Magistris profecerit, sed si satis superque, vt Caluinus uult, non uniuersa tantum Ecclesiasticæ traditioni (ad quam ille hoc loco collimat) sed & omnibus Scripturis Apostolicis renunciandum est. Et certè sicut 4. isti Euangelistæ nobis diuinitus ordinati fuerunt testes eorum quæ Christus fecit ac docuit, sic non secus alij Apostoli &

Euangelica historia qua ex parte sufficiens est, & non sufficiens. Ioan. 14. Act. 1.

& Apostolici viri ordinati nobis diuinitus fuerunt testes, tam eorum quæ Christus docuit, quàm omnis veritatis à Spiritu sancto edoctæ; idque *pradicando Euangelium vni-* *Matth. & Marc. vlt.*
uerse creatura, non omnia & singula scriptis mandando, cuius rei nullum à Christo mandatum eos accepisse legimus. Et isti quidem Euangelistæ *fideliter indubiè suis partibus defuncti sunt*, nec quicquam eorum prætermiserunt quæ de Christi dictis ac factis per eorum calamum cognoscere nos Deus voluit. Nostrum quoque est, *ab eorum testimonio totos pendere*, quatenus quicquid illi scripserint, vt indubitatè verum piè atque humiliter credamus, nec à litera Euangelica vel latum vnguem recedamus. Quo magis impius ac detestabilis est vnus Calvinus, qui tam multis in locis Scripturam Euangelicam fœdissimis corruptelis ita deprauauit, vt non modò à literæ sensu longissimè recedat, verùm & eam sæpenumerò penitus opprimat atque excludat: sicuti hæc nostra Antidota manifestum fecerunt. Attamen *non plus appetere quàm ab illis proditum est*, vt Calvinus suadet, nefas existimamus; quando & Apostolicis literis inhærere, & traditiones Ecclesiasticas tenere nos oportet: nisi Paulo reluctari velimus, *iubenti tenere traditiones quas accepimus, siue per sermonem, siue per epistolam.* *2. Thess. 2.*
Denique *Euangelistarum calami absque omni dubio certa Dei prouidentia gubernati fuerunt, ne immodica rerum congerie nos onerarent* (quando tam multa Christus fecit, *vt si scriberentur per singula, totus fortè mundus eos, qui scriberentur, libros non caperet*) *Ioan. 21.* & tamen delectu habito traderent quantum expedire Deus nouerat. Sed delectus iste sola Christi dicta ac facta concernit quæ Euangelistæ scribenda susceperunt; non ea concernit quæ Apostolos postea Spiritus sanctus docuit, ipsiq; Apostoli *partim scripto, partim intercurrente verbo* (vt Arcopagitæ verbis vtat) Ecclesiis tradiderunt, quorum etiam calami ac voce certa Dei prouidentia gubernatæ fuerunt, vt nec inani aliquam aut immodica rerum congerie fideles onerarent, & tamen delectu habito ea scriberent ac traderent quæ ad instituendam fidem ac salutem conferendam expedire nouerat ille Spiritus veritatis illis à Christo promissus, qui cum Patre & Filio solus sapiens & fons vnicus sapientiæ Deus est, cui honor & gloria in secula seculorum. Amen.

Laus Deo, qui dedit velle, & dedit perficere.





TEXTVS EVANGELICI QVATVOR EVANGELI-

STARVM, QUI IN HIS

Antidotis contra venena Cal-
uiniana & Bezana ex-
plicantur.

Ex Euangelio secundum Matthæum.

- Cap. 2. 2. **M** A G I venerunt ab Oriente Hierosolymam.
Cap. 3. 1. Prædicans in deserto Iudææ.
2. Pœnitentiam agite.
4. Esca autem eius erat locustæ & mel sylvestre.
6. Baptizabantur à Ioanne confitentes peccata sua.
7. Progenies viperarum.
9. Et ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham.
Cap. 4. 2. Et quum ieiunasset 40. diebus, & 40. noctibus, postea esurit.
Cap. 5. 6. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.
8. Beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt.
12. Quoniam merces vestra copiosa est in cælis.
13. Vos estis sal terræ.
14. Vos estis lux mundi.
15. Non potest ciuitas abscondi super montem posita.
17. Non veni legem soluere, sed adimplere.
18. Iota vnum aut apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.
21. Audistis quia dictum est antiquis, &c.
23. Si offers munus tuum ad altare.
26. Non exies inde, donec soluas nouissimum quadrantem.
28. Qui viderit mulierem ad concupiscendum in ea, iam mee-
chatus est in corde suo.
44. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.
Cap. 6. 6. Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.
7. Orantes nolite multum loqui.
10. Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra.
12. Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.
17. Tu quum ieiunas, unge caput tuum, & faciem laua.
18. Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.
24. Nemo potest duobus dominis seruire.
Cap. 7. 1. Nolite iudicare, & non iudicabimini.

15. **Attendite vobis** à pseudoprophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces.
21. Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei.
24. Omnis qui audit verba mea, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra firmam petram.
- Cap. 8. 2.** Domine, si vis, potes me mundare.
4. Vade, ostende te sacerdoti.
26. Vt quid timidi estis modicæ fidei?
- Cap. 9. 6.** Quod filius hominis potestatem habeat dimittendi peccata in terra.
21. Dicebat intra se, Si tetigero tantum vestimentum eius, salua ero.
22. Confide filia.
28. Creditis quia hoc possum facere vobis?
36. Misertus est eis, quia erant vexati, & iacentes sicut oues non habentes pastorem.
- Ca. 10. 2.** Primus Simon qui dicitur Petrus.
22. Qui perseverauerit vsque in finem, hic saluus erit.
38. Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.
- C. 11. 21.** Si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, &c.
- Olim in cilicio & cinere penitentiam egissent.
25. Abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis.
- C. 12. 26.** Si Satanas Satanam eiicit, aduersum se diuisus est.
31. Spiritus blasphemia non remitteretur.
32. Non remitteretur ei neque in hoc seculo, neque in futuro.
37. Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.
50. Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, hic frater meus, & soror, & mater est.
- Ca. 13. 11.** Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum: illis datum non est.
- Ca. 14. 9.** Propter iusiurandum autem iussit dari.
19. Aspiciens in cælum benedixit.
28. Domine, si tu es, iube me ad te venire.
36. Et rogabant eum vt simbriam vestimenti eius tangerent. Et quicumque tetigerunt, salui facti sunt.
- Cap. 15. 1.** Tunc accesserunt ad eum ex Hierosolymis Scribæ & Pharisæi, dicentes.
2. Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem Seniorum?
3. Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem

ditionem vestram?

9. Sine causa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.

11. Non quod intrat in os, coinquinat hominem.

23. Accedentes discipuli eius rogabant eum dicentes: **Dimitte eam, quia clamat post nos.**

Ca. 16. 1. Rogauerunt eum vt signum de caelo ostenderet eis.

6. **Cauete à fermento Phariseorum & Sadduceorum.**

18. **Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.**

23. **Vade post me Satana: scandalum es mihi.**

27. **Et tunc reddet vnicuique iuxta opera sua.**

C. 17. 12. **Dico vobis, quia Helias iam venit, & non cognouerunt eum.**

20. **Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc illuc, & transibit.**

21. **Hoc genus non eicitur nisi in oratione & ieiunio.**

27. **Sumens staterem da eis pro me & te.**

Ca. 18. 7. **Necesse est vt veniant scandala.**

10. **Angeli eorum in caelis semper vident faciem Patris mei qui in caelis est.**

15. **Lucretus eris fratrem tuum.**

17. **Quod si non audierit eos, dic Ecclesie.**

18. **Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.**

20. **Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum.**

21. **Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vsque septies?**

34. **Quoadusque redderet vniuersum debitum.**

Ca. 19. 6. **Quod Deus coniunxit, homo non separet.**

9. **Et qui dimissam duxerit, moechatur.**

11. **Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est.**

12. **Qui seiplos castrauerunt propter regnum caelorum.**

Qui potest capere, capiat.

13. **Discipuli autem increpabant eos.**

17. **Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.**

21. **Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me.**

32. **Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possible sunt.**

C. 20. 16. **Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi.**

25. **Principes gentium dominantur eorum: & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos.**

26. **Non**

26. Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister.
28. Et dare animam suam redemptionem pro multis.
- Cap. 11. 5. Dicitur filia Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam & pullum filium subiugalis.
9. Clamabant dicentes: Hosanna filio David. |
33. Domus mea domus orationis vocabitur.
21. Si habueritis fidem, & non haesitaueritis, non solum de ficulnea facietis, sed & si monti huic dixeritis: Tolle & mitte te in mare, fiet.
23. In qua potestate haec facis, & quis tibi dedit hanc potestatem?
32. Venit ad vos Ioannes in via iustitiae, & non credidistis ei.
42. Lapidem quem reprobauerunt aedificantes, hic factus est in caput anguli.
43. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.
- C. 22. 12. Amice, quomodo huc intraisti, non habens vestem nuptialem?
16. Mittunt & discipulos suos cum Herodianis.
21. Reddite quae sunt Dei, Deo.
23. In illo die accesserunt ad eum Sadducei.
24. Magister, Moyses dixit: Si quis mortuus fuerit non habens filium, &c.
49. Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.
31. Non est Deus mortuorum, sed viuentium.
37. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.
38. Diliges proximum tuum sicut teipsum.
- Ca. 23. 2. Sederunt super cathedram Moysi Scribae & Pharisei.
Quicumque ergo dicunt, facite & seruate.
11. Qui maior est vestrum, minister vester erit.
15. Circuitis mare & aridum ut faciatis unum profelytum; & cum factus fuerit, facitis eum filium gehennae duplo quam vos.
19. Stulti & caeci, quid enim maius est, donum, an altare quod sanctificat donum?
23. Decimatis mentham, & animum, & cuminum, & reliquistis quae grauiora sunt legis, iudicium, misericordiam, & fidem.
29. Aedificatis sepulchra Prophetarum, & oratis monumenta iustorum, & dicitis: Si fuissetis in diebus Patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine Prophetarum.
31. Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filii eorum qui Prophetas occiderunt.
32. Et vos implete mensuram Patrum vestrorum.
47. Quoties volui congregare filios vestros, sicut gallina congregat pullos suos sub alis suis, & noluitis?

- C.24.15.** Cùm videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta.
22. Nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi.
24. Dabunt signa magna & prodigia.
28. Vbicunq; fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.
30. Tunc parebit signum filij hominis in cælo.
36. De die autem illa & hora nemo scit nisi solus Pater.
- Ca.25.1.** Simile est regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso.
15. Vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnum, vniqueque secundum propriam virtutem.
21. Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.
34. Venite benedicti Patris mei: possidete regnū paratum vobis à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare.
- C.26.11.** Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.
26. Cœnantibus autem illis, accepit Iesus panem. Accipit panem, & benedixit, dicens. Hoc est corpus meum.
28. Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effunderetur in remissionem peccatorum. Accipite, & comedite; Hoc est corpus meum: *iterum contra expositionem Calvinianam pressius defenduntur.*
27. Bibite ex hoc omnes.
39. Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.
75. Et egressus foras, fleuit amarè.
- Ca.27.3.** Videns Iudas qui eum tradidit, quòd damnatus esset, pœnitentia ductus retulit 30. argenteos principibus sacerdotum & senioribus, dicens: Peccaui, tradens sanguinem iustum.
46. Circa horam nonam clamauit Iesus voce magna: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?
- C.28.19.** Euntes ergo docete omnes gentes, docentes eos seruare omnia quæcunq; mandauit vobis.
10. Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.
21. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.

Ex Euangelio secundum Marcum.

Cap.1.4. **F**Vit Ioannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.

13. Pœnitementi, & credite Euangelio.

Ca. 3. 16. Et imposuit Simoni nomen Petrus.

Cap. 6. 5. Et non poterat ibi virtutem vllam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curauit, & mirabatur propter incredulitatem eorum.

Ca. 7. 33. Apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius, & expuens tetigit linguam eius, & suspiciens in cælum ingemuit, & ait illi, Ephera, quod est, adaperire.

C. 10. 21. Et intuitus eum Iesus, dilexit eum.

Ca. 15. 39. Videns centurio quia sic clamans expirasset, ait: Verè hic homo filius Dei erat,

C. 16. 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.

19. Assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei.

Ex Euangelio secundum Lucam.

Cap. 1. 6. **E**Rant iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.

28. Aue gratia plena: Dominus tecum.

34. Quomodo fiet mihi istud? quoniam virum non cognosco.

48. Respexit humilitatem ancillæ suæ.

74. Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.

77. Ad dandã scientiã salutis plebi eius in remissionẽ peccatorũ.

Ca. 2. 14. Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

37. Non discedebat de templo, ieiuniis & obsecrationibus seruiens die ac nocte.

52. Proficiebat sapientia & ætate.

Cap. 3. 11. Qui habet duas tunicas, det non habenti, &c.

Ca. 4. 16. Intrauit secundum consuetudinem suam die Sabbati in Synagogam, & surrexit legere:

Ca. 6. 35. Mutuum date, nihil inde sperantes.

Ca. 7. 47. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

Ca. 8. 50. Non timere: tantum crede, & salva erit.

Cap. 9. 7. Eo quòd diceretur à quibusdã, quia Ioãnes surrexit à mortuis.

54. Domine, vis vt dicamus vt ignis descendat de cælo, & consumat illos?

C. 10. 16. Qui vos audit, me audit. Qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.

27. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, &c.

29. Hoc fac, & viues.

Ca. 11. 41. Quod superest, date eleemosynā: & ecce omnia munda sunt

Ca. 12. 14. Quis me constituit Iudicem aut diuisorē inter vos? (vobis.)

48. Qui non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.

Cap. 13. Doctrinæ compendium.

Ca. 14. 14. Retribuetur enim tibi in retributione iustorum.

23. Compelle eos intrare.

33. Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse Discipulus.

Ca. 15. 10. Gaudium erit in cælo, & coram Angelis Dei.

24. In se reuersus dixit: Surgam, & ibo ad patrem meum.

Ca. 16. 9. Ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

Ca. 17. 10. Quam feceritis omnia quæcunque præcepti vobis, dicite: Serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.

13. Iesu Præceptor, miserere nostri.

14. Ite, ostendite vos sacerdotibus.

Ca. 18. 11. Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri homines.

Ca. 19. 8. Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus.

Ca. 19. 46. Qui volunt ambulare in stolis.

Ca. 12. 20. Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo.

32. Ego rogavi pro te vt non deficiat fides tua. Et tu conuersus confirma fratres tuos.

38. Ecce duo gladij hic.

41. Pater, si vis, transfer calicem istum à me.

Ca. 13. 34. Pater, ignosce illis: non enim sciunt quid faciunt.

43. Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.

Ca. 24. 29. Videte manus meas & pedes meos, quia ego sum.

Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videris habere.

Ex Euangelio secundum Ioannem.

Cap. 1. 1. **I**N principio erat Verbum.

Et Verbum erat apud Deum.

Et Deus erat Verbum.

9. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

12. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt, &c.

14. Verbum caro factum est.

16. De plenitudine eius accepimus omnes, gratiam pro gratia.

17. Gratia & veritas per Christum facta est.

29. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

31. Vidi Spiritum S. descendentem quasi columbam de cælo.

44. Tu vocaberis Cephas, &c.
46. Et dicit ei Nathanael: A Nazareth potest aliquid boni esse?
- Cap. 1. 4. Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea.
18. Quod signum ostendis nobis quia hæc facis?
- Cap. 3. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in regnum Dei.
8. Spiritus ubi vult spirat, & vocem eius audis, & nescis vnde veniat, & quò vadat.
9. Sic est omnis qui natus est de Spiritu.
6. Quod natum est de carne, caro est.
14. Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eum, nõ pereat.
18. Qui credit in eum, non iudicatur.
36. Qui credit in Filium, habet vitam æternam.
- Ca. 4. 14. Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.
20. Patres nostri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis quia Hierosolymis est locus ubi adorare oportet.
21. Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus.
23. Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.
48. Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.
- Cap. 5. 4. Angelus Domini descendebar secundum tempus in piscinã, & mouebat aqua. Et qui prior descēdisset in piscinã, post motionem aquæ sanus fiebat, à quacũq; detinebatur infirmitate.
14. Iam noli peccare, ne quid tibi deterius contingat.
19. Non potest Filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem.
26. Sicut Pater habet vitam in semetipso; sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.
29. Procedent, qui bonæ egerunt, in resurrectionem vitæ.
44. Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à Deo solo est non queritis?
- Ca. 6. 27. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam.
36. Hoc est opus Dei, vt credatis in eum. (æternam.)
37. Omne quod dat mihi Pater, venit ad me.
51. Panis quæ ego dabo, caro mea est (quæ ego dabo) p mundi vitam.
53. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis.
54. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.
57. Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, &c.

63. Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam.
 Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.
 Nunquid & vos vultis abire?

Cap.7. 5. Neque enim fratres eius credebant in eum.

17. Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.

19. Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem?

38. Qui credit in me, flumina fluent de ventre eius aquæ viuæ.

48. Nunquid ex Principibus aliquis aut Phariseis credidit in eum?

Cap.8. 7. Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat.

36. Si Filius vos liberauerit, verè liberi eritis.

39. Si filij Abraham estis, opera Abraham facite.

41. Pater noster Abraham est, nos ex fornicatione non sumus nati. Vnum Patrem habemus Deum.

51. Amen amen dico vobis : Si quis sermonem meum seruauerit, non videbit mortem in æternum.

53. Nunquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est, & Prophetarum mortui sunt?

Cap.9. 6. Expulit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit oculos eius, & dixit ei : Vade, laua in naratoria Siloë, quod interpretatur missus.

31. Scimus quia peccatores Deus non exaudit : sed si quis cultor Dei est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit.

35. Audiuit Iesus quia eiecerunt eum foras : & cum inuenisset eum, dixit ei : Tu credis in filium Dei?

Cap.10. 1. Amen amen dico vobis : Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, fur est & latro.

16. Et fiet vnum ouile, & vnus Pastor.

26. Vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis.

28. Ego vitam æternam do eis : & non peribunt in æternum : & non rapiet eas quisquam de manu mea.

30. Ego & Pater vnum sumus.

Cap.11. Infremuit spiritu, & turbauit semetipsum.

44. Dixit eis Iesus : Soluite eum, & finite abire.

51. Hoc autem à semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius, prophetauit.

Ca.12. 3. Maria accepit libram vnguenti nardi pistici, & vnxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis.

8. Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.

13. Benedictus qui venit in nomine Domini.

27. Nunc anima mea turbata est : & quid dicam? Pater, salui-

fica me ex hac hora.

31. Nunc princeps mundi huius eicietur foras.

39. Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum.

Cap. 13. 2. Ante diem festum Paschæ.

8. Si non lauerō te, non habebis partem mecum.

14. Si ego laui pedes vestros Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes.

18. Ego scio quos elegerim.

34. Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem sicut ego dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem.

Cap. 14. 1. In domo Patris mei mansiones multæ sunt.

3. Et si abiero, & præparauero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad me ipsum.

12. Maiora horum faciet.

15. Si diligitis me, mandata mea seruate.

21. Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me.

Qui autem diligit me, diligitur à Patre meo; & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum.

23. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit: & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.

24. Qui non diligit me, sermones meos non seruat.

26. Ille docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.

Cap. 15. 2. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet Pater meus.

5. Quia sine me nihil potestis facere.

9. Manete in dilectione mea.

10. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea; sicut ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in dilectione eius.

14. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.

16. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.

Cap. 16. 2. Absque synagoga facient vos.

12. Adhuc multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare

13. modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.


14. Ille me clarificabit.

27. Ipse Pater amat vos, quia vos me amastis, &c.

Cap. 17. 3. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.

6. Tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuū seruauerūt.
10. Non pro eis rogo tantū, sed & pro eis qui per uerbum eorum credituri sunt in me, ut omnes unum sint, &c. ut & ipsi in nobis unum sint.
21. Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.
22. Et ego claritatē quā tu dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus.
- Ca. 19. 7. Nos legem habemus, & secundū legem nostram debet mori, quia filium Dei se fecit.
20. Et scriptum erat Hebræicè, Græcè, & Latine.
23. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicem: Non scindamus eam, sed fortiamur de illa cuius sit.
30. Consummatum est.
- Ca. 20. 6. Vidit linteamina posita, & sudarium quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in unum locum.
- 7.
17. Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum.
19. Cū ergo serō esset die illo una Sabbathorum, & fores essent clausæ, venit Iesus, & stetit in mediō, &c.
21. Sicut misit me Pater, & ego mitto uos.
22. Hoc cū dixisset, insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritus S.
23. Quorum remisistis peccata, remittuntur eis.
25. Quorum autem retinueritis, retenta sunt.
25. Nisi uidero in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.
27. Noli esse incredulus, sed fidelis.
28. Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus.
29. Beati qui non uiderunt & crediderunt.
- Ca. 21. 15. Dicit Simoni Petro Iesus. Simon Ioannis, diligis me plus his? Dixit ei, Etiam Domine: tu scis quia amo te.
16. Dicit ei, Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis, diligis me? Ait illi, Etiam Domine: tu scis quia amo te.
17. Dicit ei, Pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Ioannis, amas me? Contristatus, &c. dixit ei Petrus: Domine, tu scis omnia, tu scis quia amo te. Dixit ei Iesus, Pasce oues meas.
18. Cū senueris, extends manus tuas, & alius cinget te, & ducet quō tu non vis. Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum.

Ad Epilogum Caluini, Antidorum.


**INDEX RERVM
 ET MATERIARVM
 IN QVATVOR
 EVANGELIORVM
 ANTIDOTIS.**

Numerus paginam significat, litera a, priorem partem; b, posteriorem.



- | | |
|--|--|
| <p><i>A</i>
 <i>Bominatio desolationis quid significet.</i> 209.a
 <i>Abstinentia virtus sine fame.</i> 24.25.a
 <i>Acceptio panis in manus.</i> 235.a
 <i>Adorare in spiritu & veritate.</i> 55.b
 <i>Aeternitas Filij Dei.</i> 3.b
 <i>Amor Dei in nos duplex.</i> 267.b
 <i>Amor ex fide nascitur.</i> 268.b
 <i>Anabaptistarum error circa iudicia secularia.</i> 375.a
 <i>Angelorum custodia particularis.</i> 122.a
 <i>Apologia schismatis Calviniani refellitur.</i> 139.b
 <i>Apostolorum falsa criminatio.</i> 102.a
 <i>Apostolos à regibus quomodo Christus serernat.</i> 155.a</p> | <p><i>Apostoli contra Caluini procacitatem defenduntur.</i> 365.a
 <i>Apostoli omnem doctrinam fidei non scripserunt.</i> 257.b
 <i>Apostolorum doctrina non in solis scripturis.</i> 277.b
 <i>Apostolis varia potestas variis temporibus data.</i> 322.b
 <i>Aqua Christi dua, fontana & deriuata.</i> 40.b
 <i>Ariana heresi resuscitanda fenestram Calvinus aperuit.</i> 164.b
 <i>Ariani refutantur.</i> 272.b
 <i>Arianismus Calvinii refutatur.</i> 165.b
 <i>Arianos defendit Calvinus contra veteres Patres.</i> 278.b
 <i>Augustini sententia loqui Christum Ioannis 6. de pane Eucharistie.</i> 74.b
 <i>Augustinus à Beza mendaciter taxatus.</i> 355.b à Caluino contra ipsum Calvinum citatus. 194.a</p> |
|--|--|

Baptis

G 186. b

B

Baptismi verus usus G effi-
 cacia defenditur. 298. 299. a
 Baptismi necessitas defenditur.
 28. b.
 Baptismus paruulorum iuxta
 Caluinum abolendus. 300. a
 Baptismus paruulorum miserè à
 Caluino defensus. 301. a
 Baptismus laicorum in casu ne-
 cessitatis defenditur. 299. a
 Beata virgo cur gratia plena.
 335. a. beata, quia Mater filij
 Dei. 88. b
 Beata virginis de conseruanda
 sua virginitate anxietas. 339. a
 Beata virginis humilitas qua.
 340. a.
 Beata virginis humilitas proba-
 tur quòd vera virtus esset. 341. a
 Beate virginis questionè quàm
 indignè tractat heretici. 340. a
 Beate virginis honor defendi-
 tur. 21. b
 Beate virginis tituli ex Scriptu-
 rarum analogia probantur.
 22. b. eius inuocatio contra
 insulsa Caluini argumenta
 defenditur. 336. 337. a
 Beate virginis reuerentia singu-
 laris defenditur. 86. b
 Beatam virginem cur Catholici
 predicant. 89. 90. 91. b
 Benedictio creaturarum. 87. a
 Benedictio ipsius panis probatur.
 236. a
 Benedicere G gratias agere, pro
 eodem usurpata. ibidem.
 Benedictiois vocabulum Patres
 urgent. 237. a
 Beneficia alia à remissione pec-

catorum non fluunt, sed inci-
 piunt. 327. b
 Beza segmentum refutatur. 14. a
 Beza argumenta contra pœnitē-
 tia vocabulum. 15. a
 Beza refutat Chrysostomus. 16. a
 Beza argumenta refutantur.
 16. 17. a
 Beza nouitatem Hebraica ver-
 ba non adiuant. 17. a
 Beza audacia. 66. a
 Beza cauillationes refutantur.
 67. a
 Bezane versionis ineptia. 68. a
 Beza committit quod in aliis
 culpat. 69. a
 Beza cecitas. 9. a.
 Beza à se ipso refutatur. 80. a
 Beza inanis lucta G tergiuer-
 satio. 87. a
 Beza glossa litera destruit. 88. a
 Bezam refutat Musculus. 127. a
 Beza Caluinū corrigit. 107. 352. a
 G 16. 79. b
 Beza Caluinum refutat. 156. a
 Beza Lucas solocismi arguit.
 242. a
 Beza rursum textum corrumpit.
 ibidem.
 Beza Caluini hypocrisim dete-
 xit. 334. a
 Beza corruptela alia reiicitur.
 339. a
 Beza deprauatio. 362. a
 Beza noua versio reiicitur. 4. b
 Beza corruptela. 14. 15. b
 Beza doctrina execrabiliter im-
 pia. 158. b
 Beza Epicurea doctrina ad occu-
 lum demonstratur. 161. b
 Beza insulsum argumentum con-
 tra venerabilis Eucharistia

I N D E X

- veritatem.* 303. b
Beza suo ipsius argumento refutatur. 304. b
Beza putidum mendacium. ibid.
Beza Caluino contrarius. 306. b
Beza euasio mero medacionixa,
 355. b
Beza annotatio inepta & impia.
 356. b
Beza Scripturam vilipendit.
ibidem.
Bibite ex hoc omnes, calicem
populo potius aufert quam
tribuit. 274. a
Blasphemia Caluini circa con-
secrationem mysteriorum.
 253. a
Blasphemia Caluini, quod salu-
ris nostre oblitus Christus
fuit. 282. a
Bonum morale sine Christi gra-
tia fieri potest. 231. b
- C.
- C***elibatus votum defendi-*
tur. 119. a
Calix cur nouum Testamentum
sanguinis Christi. 391. a
Caluinistarum sententia de lege
& Euangelio. 3. a
Calvinus Lutheranos reprehendit,
quum idem doceat. 4. a
Caluini maledicentia refellitur.
 11. a
Caluini argumenta ridicula. 19.
 24. 25. 26. a
Caluini scopus in Scripturis ex-
ponendis. 22. a
Caluini impudentia in asseren-
da Scriptura. 25. a
- Caluini atrox & precax accu-*
satio, sed ridicula. 26. a
Caluiniana amplificatio ridicu-
la & puerilis. 27. a
Caluini mendacia. 17. 248. 249.
 250. 252. 255. 256. 268. 368. 372.
 386. a. & 20. 21. 14. 36. 141.
 218. 221. 230. 276. 277. 290. b
Caluini corruptela Scriptura
manifesta. 14. a. affectata.
 35. a. prodigiosa. 142. 167. a
Calvinus ex se ipso refutatur.
 35. 43. 44. 47. 58. 59. 61. 89.
 126. 177. 275. 294. 295. 300.
 303. 316. 320. 326. 338. 347.
 353. 356. 385. a. & 15. 56. 177.
 178. 186. 187. 218. 278. 298.
 316. 345. 346. b
Calvinus Christo contradicit.
 50. 63. 64. 192. 207. 372. a. &
 242. 270. 344. b
Caluini in Christum blasphemie.
 213. 280. 282. 309. 394. 395. a.
 & 21. 191. 192. b
Calvinus Christi institutum euer-
tit. 47. 134. a. & 101. 216. b
verba penitus e medio tollit.
 262. a
Calvinus Christum ut peda-
gogus discipulum corrigit.
 168. a
Calvinus Christum ineptia ar-
guit. 115. 116. b *Christi verba*
corrumpit. 81. b. & *in fumos*
conuertit. 335. b
Caluini contra Christum dispu-
ratio. 216. b
Caluini cauilla contra Christum.
 246. b
Calvinus taxat quod Euangeli-
sta laudauit. 91. a
 Calui

- Calvinus textum Evangelicum audacissime expungit.* 154. a.
negat. 242. a
Calvinus scripturis aperte contradicit. 289. 304. a. & 154. 345. b
Calvinus scripturam rejicit. 265. b. eludit. 172. b. mutilat. 232. b. non reueretur. 307. b. Scriptura cōtemptum docet. 245. a & 353. b
Calvini regule & artes ad ludificandas scripturas. 146. 172. 282. 283. 28. 389. a. & 32. 33. 69. 310. 334. b
Calvinus Papistarū nomine totam antiquitatē accusat. 40. 58. 117. 119. 141. 138. a. & 172. 173. 312. b
Calvinus sibi contrarius. 110. 118. 143. 130. 261. 329. a. & 172. 349. b
Calviniana corruptela scopus. 34. a
Calvini manifesta contradictio & impostura. 44. a
Calvini impostura. vide, Impostura. 7
Calvinus studium & conatum boni, sed inefficacē ponit. 51. a
Calvini expositio aut prophana aut impia. 52. a
Calvini petulāria singularis. 53. a
Calvinus criminator generalis. 55. a
Calvini euasio de verbo Dei impertinens. 54. a
Calvini calumnia cōtra eorum in ipsum Calvinum retorquetur. 65. a
Calvini cavillationes refelluntur. 67. 92. 93. a
Calvini vassities. 73. a
Calvinus parvulos ac humiles nō fert. 74. a
Calvinus Iudaeus. 76. a
Calvini blasphemia in Spiritum sanctum duplex. 76. a
Calvini probatio, audax affirmatio. 79. a
Calvinus omnia ad unam fidem refert. 81. 82. a
Calvini dolus malus. 90. 121. 194. a
Calvini futile argumentū. 109. a
Calvini canina facundia. 110. a
Calvini spiritus ethnicus. ibid.
Calvini procaritas reconditur. 117. a
Calvini vitia qua alijs obiectabat. 128. a
Calvini vassities aperitur. 129. a
Calvini ineptia. ibid. eiusdem impietas. 130. a
Calvini calumnia putida repetitur. 132. 151. a
Calvini & Beza stupiditas. 139. a
Calvini petulca impudentia. 141. a
Calvini vox abominanda. 144. a
Calvini larva hypocritica detrahitur. 145. a
Calvini commentum insulsū, ut Scripturam Evangelicam inuertat. 146. a
Calvini alia impostura. 146. a
Calvinus questionis statum inuertit. 147. 148. a
Calvinus veteris Testamenti filius. 148. a
Calviniana techna. 150. 151. a
Calvinus & Pelagius in duobus extremis. 153. a
Calvini ridicula cavillatio. 158. a
 Calvi

I N D E X

- Caluiniana consequentia turpitud.* 169. a
Calvinus iurgijs, non argumentis pugnatur. 170. a
Calvini ingenium fanaticum. 171. a
Calvini astutia. ibid.
Caluiniana consequentia absurditas & blasphemia. 172. a
Calvinus suo telo ingulatur. ibid.
Calvinus cur solos Catholicos perstringit. 173. a
Calvini larvata blasphemia. 174. a
Calvini tergiversatio. 175. a
Calvini astutia expeditur. 176. a
Calvinus ex suis principijs refutatur. 177. a
Calvini fraudulenta doctrina. ibidem.
Calvinus questionem à re proposita alienam movet. 178. a
Calvinus rursus questionem presentem fugit. ibid.
Calvini conclusio contra ipsum concludit. 179. a
Caluiniana lucta summa. ibid.
Caluiniana consequentia futitilitas. 181. a
Calvinus suam scabiem alijs affricat. 182. 183. a
Calvinus Scripturarum corruptor maximus. 183. a
Calvinus Dei potentiam negat. 185. a
Calvinus Dei omnipotentiam clare negat. 186. a
Calvini calunia probrosa. 195. a
Calvini maledicus calamus. 196. a
Calvinus populi superstitionem sine causa exagitat. 199. a
Calvinus quomodo Turca proca-
cior. 204. a
Calvini latitans Ecclesia profligatur. 211. a
Calvinus suos lectores ludificat. 212. 213. a
Calvinus insulsus & impius. 216. a
Calvini arrogantia. ibid.
Caluiniana corruptela de sola fide. 220. a
Caluiniana corruptela refutatur. 222. a
Calvini absurda interpretatio. 227. a
Calvini effugia circa mercedem bonorum operum. 228. 229. 230. 231. 232. a: circa Christi in cruce & horrores horrendos. 290. a. circa solam fidem. 69. b
Calvinus Iuda suffragatur contra Christum. 233. a
Calvini extrema impudentia. 246. a
Calvini paradoxum absurdum. 248. a
Calvini insulsa ratiuncula. 254. a
Caluiniana commenta. 255. a
Calvini Achilles. 256. a
Calvini regula metonymiam Calvini potenter refutat. 257. a
Calvini Achilles ex ipso Calvino refutatur. 258. a
Calvini exempla metonymiam Calvini refutant. 259. a
Calvini vera sententia de coena Eucharistica. 260. 262. 263. a
Calvini contradictio ad oculum probatur. 261. a
Calvini sententia Christi totam Sacramenti rationem penitus è medio tollit. 262. a
Calvi

R E R V M.

- Caluini argumenta contra realem presentiam Christi in venerabili Sacramento.* 266. a
- Calvinus à Catholicis postulat quod ipse negat.* 268. a
- Caluini audacia sacrilega.* 273. a
- Caluini resolutio circa venerabilem Eucharistiam.* 275. a
- Caluinistis nihil hodie pestilentius.* 277. a
- Calvinus obliuionem Christo affingens, vertigine percucitur, ut pugnantia loquatur.* 281. a
- Caluini impudentia circa contradictiones quas facit.* 282. a
- Caluini doctrina Satanica de Christi pœnis infernalibus.* 286. a
- Caluini ludus circa diuinas scripturas.* 282, 285, 292. a
- Caluiniana commenta circa baptismum.* 297. a
- Caluianum fundamentum de salute paruulorum absque baptismo refutatur.* 302, 303, 304. a
- Calvinus grauissimum Ecclesie dogma futilissimo argumento conuellit.* 311. a
- Caluini impudentia.* 313. a
- Calvinus totam antiquitatem ex puro mendacio conuellit.* 314. a
- Calvinus actiuam in Deo excitationem ponit.* 319. a
- Caluini nequitia.* 325. a
- Caluini blasphemia ex seipso refutata.* 326. a
- Caluini sententia de baptismo.* 327. a
- Caluini hæresis Pelagianâ deteriorâ.* 328. a
- Caluini insulsum argumentum contra inuocationem B. Virginis.* 336. a
- Calvinus contra Patres.* 337. a
- Caluini coniectura ex textu refellitur.* 339. a
- Caluini artes.* 344. 411. a. & 32. 38. 62. 129. 221. 235. 334. b
- Calvinus conscientia puritatem in securitatem vertit.* 344. 345. a
- Calvinus ex suis placitis refutatur.* 347. a
- Caluini paralogismus refutatur.* 348. a
- Caluini corruptela.* 361. a. & 118. b
- Caluiniana consequentia absurditas.* 366. a
- Caluini euasiones contra ipsum militant.* 367. a
- Caluini insulse criminationes.* 375, 376, 377, 379. a
- Caluini cauillatio duplex rejicitur.* 381, 382. a
- Caluini scomma in Christum recludat.* 385. a
- Calvinus obiectionem quam mouet, non soluit, sed confirmat.* 387. a
- Caluini dentes canini.* 388. a
- Caluini maledicentia retunditur.* 390, 393, 394. a
- Caluiniana doctrina consequentia horrenda, sed necessaria.* 396. a
- Caluini duplex error.* 398. a
- Caluiniana presumptio refellitur.* 399. a
- Caluiniana collectio dupliciter claudicat.* 401. a
- Caluini putidum & puerile argumentum*

I N D E X

- gumentum.* 402. a
Calvinus vicinitate verborum fallit. 404. a
Calvini putidum cauillū. 405. a
Calvinus vult omnes sceleratos, latronis exemplo. 406. a
Calvini Epicurea & execranda doctrina. 407. a
Calvini vox infidelis. 408. a
Calvini petulantia retunditur. 10. b
Calviniana hereses ex ipso Calvinino refutate. 15. b
Calvini cauillationes insulsa. 18. b
Calvini accusatio circa titulos beate Virginis. 22. b
Calvini comparatio absurdissima. 24. b
Calvini sensus validè refutatur. 30 b
Calvini impostura nequior cum mendacio coniuncta. 31. b
Calvinus peccati aduocatus. 39. b
Calvini putidum mendacium. 43. b
Calvini fundamentum propria assertio. 47. b
Calvini absurditas in simili demonstratur. 48. b
Calvini cauillis respondetur. 55. 56. b
Calvinus peccati patronū agit. 61. 62. b
Calvini propria heresis de filio Dei. 62. b
Calvini audacia stulta. ibid.
Calvinus Arianis fauet. 63. b
Calvinianè iustitia mysterium. 64. b
Calvinus verus impostor. 68. b
Calviniana effugia pro sola fide de refelluntur. 69. b
Calvini sensus, eiusque absurda. 71. b
Calvini argumentum pro Anabaptistis. 79. b
Calvini ficulneum argumentum. 80. b
Calvini impietas & audacia. ibidem.
Calvini vasa expositio. 83. b
Calvini deprauatio. 84. b
Calvini putida calumnia. 88. b
Calvinus textum corrūpit. 91. b
Calvinus seductor studiosus. 96. b
Calviniana doctrina precipitiū. ibidem.
Calvini vox, diaboli vox. 98. b
Calvinus ad blasphemādos Sanctos natus. ibid.
Calviniani precipitij exitus. 99. b
Calvinista peccati arguere neminem possunt, qui peccati regnum erexerunt. 100. b
Calvini axioma, quo Synagoga Ecclesiam, Pharisei Episcopos cōparat, refellitur. 104. 105. b
Calvinus in maximis argumentis non nisi principium petit. 106. b
Calvini putida calumnia in caput suum redundans. 115. b
Calviniana theologia quod lex gratis adulteris impunitatem dedit. ibid. & 116. b
Calvinus & Beza circa scripturæ partes dissentiant. ibid.
Calvini latens venenum aperitur. 119. b
Calvinus liberatorem Christum esse negat. 120. b
Calvini vana iactantia. 124. b
Calui

- Caluini cōparatio insulsa.* 125. b
Caluini cauilla futilia. ibidem
 & seq. b
Caluini clamorosa criminatio contra Sanctorum cultum. 129. 130. 131. b
Caluini verbis imputatiua iustitia euertitur. 135. b
Caluiniana collectionis alia stupiditas. 137. b
Caluini figmentū ridiculū. 142. b
Caluinus audacter fingit, ut calidè decipiat. 143. b
Caluini doctrina de vera Ecclesia inuenienda. 144. b
Caluiniana Ecclesia nota penitus incerta. 145. b
Caluinus Christo affingit quod à Christo dici uellet. ibid.
Caluini impostura mendax & duplex. 157. b
Caluiniana certitudo ex ipso Caluino refutatur. 162. b
Caluini Arianismus refutatur. 163. b
Caluini glossa, Arianorum euasio. 166. b
Caluini propria haresis circa Filium Dei. 168. b
Caluini proprium iudiciū contra Patres. 170. b
Caluini arrogantia & imperitia. 172. b
Caluini tergiuersationes refutantur. 175. b
Caluiniana argumētationis uirtus. 176. 177. b
Caluini prapostera disputatio. 179. b
Caluini cauilla diluuntur. 181. b
Caluini maledicentiam in summum Pontificem. 180.
- Caluini consecutio furiosa & absurda.* 189. b
Caluinus suas contradictiones defendit, quia intelligi non possunt. 193. 194. b
Caluinus uaser sensum Scriptura inuoluit, non aperit. 195. b
Caluini ludus. 196. b
Caluini impia sententia de excecatione Dei actiua. 199. b
Caluini declamatio bacchica. 204. b
Caluini impotens calumnia diluitur. 208. b
Caluini friuola probatio contra Patrum consensum. 211. b
Caluini proteruita reuincitur. 213. b
Caluini sensus refellitur. 214. b
Caluini maxima impietas & stoliditas. 217. b
Caluini audax impietas. 221. b
Caluini principia omnes hareses resiaurant. ibid.
Caluinus Spiritum sanctum iterum resiringit. 223. b
Caluinus ex suis uerbis impostor probatur. ibid.
Caluinus primò lactat, ut postea intoxicet. 240. b
Caluinus seruus nequā in Euangelio. 242. 243. b
Caluini stolidi disputatio pro contemptu excommunicationis Pontificia. 249. b
Caluini cecitas. 250. b
Caluinum à v. Ecclesia excommunicatum fuisse, ex ipso probat Caluino. 251. b
Caluini asina stupiditas. ibid.
Caluinus proprio iudicio hereticus condemnatus. 252. b
 Calui

I N D E X

- Caluini astutia & nequitia.* 253. b
Calvinus impostor ponit quod probare contendit. 256. b
Calvinus adiunctū probat, rem in quæstione positam non probat. ibidem.
Caluini criminationes in re grauissima ridicula. 257. b
Calvinus histrio ridiculus. 258. b
Caluini concio nihil ad rhombum. 260. b
Caluini rixa contra Ecclesiam. 265. b
Caluini corruptela. 267. b
Calvinus iustificationem ex sola fide euertit. 271. b
Caluini corruptela pro certitudine gratie. 273. b
Caluini matheologia. 279. b
Caluini crassa ignorantia. ibid.
Caluini occultum toxicam aperitur. 281. b
Caluinistarum impietas. 285. b
Caluini consequentiariū ex scripturis deprauatis exempla. 286. b
Calvinus suo iudicio à numero filiorum Dei segregatur. ibid.
Caluini causa excussa qualem eum demonstrat. 287. b
Caluini consequentia ridicula. 288. 289. b
Caluini disputatio pro scripturæ contra Ecclesiam: 291. b
Caluini immensa nocendi cupido. 296. b
Calvinus canis & ludus. 299. b
Caluini latratus conoscuntur. ibidem.
Caluini putidum argumentum. 302. b
Calvinus miraculum miraculo substituit. 305. b
Calvinus Patrum sententiã Papiæ affingit. 306. b
Calvinus magister mēdax. ibid.
Caluini stupidum commentum. 307. b
Caluiniani sensus deliria. 308. b
Caluini ludus anceps. ibid.
Caluini cōfessio Calvinianos omnes condemnat. 309. b
Calvinus uno verbo, non alios, Scripturam intoxicat. 310. b
Caluini scopus Christi verbis contradictorius. 311. b
Caluini resolutio Christi verbis & suis ipsius ex diametro contraria. ibid.
Caluini declamatio contra Episcopos in clerum ordinantes. 313. b
Calvinus Paulum sacrilegij detestabilis accusat. ibid.
Caluini rixa contra Episcopos. 315. b
Caluini rixa à seipso refutatur. 316. b
Caluini furor bacchicus. ibid.
Caluini iustum de seipso iudicium. 317. 318. b
Calvinus Ecclesia receptissimam fidem simplici negatione destruit. 318. b
Caluini fabula errorum plena. 325. b
Caluiniana. explicationis summa. 329. b
Caluini blasphemie. 333. b
Caluiniana obsignatio ineptior testimonio Lutherano. 334. b
Caluiniana dementia ex simili demonstratur. 335. b
Caluini

- Caluini effugiū refellitur. 338. b
 Caluini commentum tribus ra-
 tionibus refutatur. *ibid.* 339. b
 Calviniana sententia succincta
 refutatio. 341. b
 Caluini honestissima oratio, sed
 qua ipse damnatur. 342. 343. b
 Calvinus absurdissimū suū pa-
 radoxū miraculo tribuit. 350. b
 Calvinus audacia perrūpit ubi
 calliditate non obtinet. 351. b
 Calviniana doctrina Epicurea
 deterior. *ibidem.*
 Caluini hreticæ resolutio. 353. b
 Caluini recalcitratio. 357. b
 Caluini varijs cavillationibus
 respondetur. 358. 359. b
 Calvinus ac Beza historiam
 Evangelicam studio corrup-
 punt. 359. b
 Caluini glossa puerilis. 360. b
 Candelarum & florum pompa
 circa SS. Reliquias. 204. a
 Castitatis donum non vanè pre-
 sumitur. 162. b
 Cathedra sane doctrine. 195. a
 Catholici cleri accusatio rejici-
 tur. 99. 100. b
 Catholicorum accusatio imme-
 rita. 38. 39. a
 Catholicorum responsionē man-
 cam allegat Calvinus. 185. b
 Catholici naturalem Dei dile-
 ctionem quomodo & quate-
 nus agnoscunt. 219. b
 Catholica sententia frustra à
 Caluino impugnata. 262. 263. b
 Causis partialibus tribuitur ef-
 fectus. 123. a
 Ceremonia baptismales futiliter
 reprehensa. 323. a
 Ceremonia Iudaica quomodo
 umbra. 54. b
 Ceremonias umbraticas Ecclesia
 non habet. 56. b
 Ceremonia Ecclesiastica cur ad-
 hibentur. *ibid.*
 Ceremonia abluendi pedes con-
 tra Caluinū defenditur. 203. b
 Certitudo Calviniana refelli-
 tur. 175. a & 161. b
 Certitudo fidei Calviniana re-
 fellitur. 59. a
 Certitudinis Calvinianæ impie-
 tas. 158. b
 Charitatis ordo defenditur. 190. a
 Charitas relicta non generat su-
 perstitionem, sed fidei cōrem-
 ptum. 109. b
 Charitatis efficacia & utilitas. 215. b
 Caritas est renovationis & re-
 formationis nostræ fons. 327. b
 Christus legem quomodo adim-
 plet, non soluit. 34. a
 Christus verè legislator. 37. a
 Christus corrigi legem veterem.
ibid.
 Christum sequi iuxta scriptum
 verbum. 69. a
 Christum sequi quid. 69. 70. a
 Christi verba mendacij arguit
 Calvinus. 70. a
 Christus hereticorum fictitiis.
 144. a
 Christi introitus in diē Palma-
 rum. 158. a
 Christi doctrina Caluino calum-
 nia est. 192. a
 Christus triplicem Cœnam per-
 egit. 134. a
 Christi verborum tortura. 240.
 241. a

- Christi verba*, Hoc facite; silentio inuoluit Caluinus. 251. a
- Christi realis & corporalis presentia probatur.* 268. a
- Christi puritas & fortitudo defenditur.* ibid.
- Christus in cruce cur exclamauit.* 288. a
- Christus pœnam infernalem non subijt.* 293. a
- Christi pœna omnes corporea.* ibidem. & 294. a
- Christianorum parentum filij non baptizati ad fœdus Dei non pertinent.* 301. a
- Christus perpetuo cum Ecclesia.* 305. a
- Christus docendi munus in Ecclesiam resignauit.* 368. a
- Christus quid deprecatus fuit.* 396. a
- Christus quomodo mortem deprecatur.* ibidem.
- Christus cur mortem exhorruit.* ibidem.
- Christi diuinitas.* 63. b
- Christus non hortatur solum, sed iubet bene operari.* 64. b
- Christi totam sententiam Caluini inuertit.* 66. b
- Christus & Paulus Caluino improprie loquuntur.* 7. b
- Christum de Sacram. loqui Ioan. 6. probatur.* 76. b
- Christi caro spiritualis spirituali modo manducanda.* 84. b
- Christus humanos affectus liberè suscepit.* 169. 170. b
- Christi presentia realis in venerabili Sacramento defenditur.* 285. b
- Christi puritas contra Caluini corruptelas defenditur.* 190. b
- Christus quo die mensis ultimam Cœnam celebrauit.* 200. 201. b
- Christi doctrinam Caluinus euerit.* 216. b
- Christi verba contra Caluini fermenta.* 217. b
- Christi parabolam Caluinus mendacij arguit.* 225. b
- Christus quomodo propter obedientiam perseueranter dilectus à Deo fuit.* 240. b
- Christi verborum affectata corruptela.* 243. b
- Christi verborum reformatio Caluiniana.* 244. b
- Christum viua voce omnia non docuisse.* 253. b
- Christus clausas ianuas penetrat.* 305. b
- Christus homines à se missos ornare vult.* 311. b
- Christus quomodo, & quomodo Ecclesia peccata remittit.* 330. b.
- Christi verbo contentum esse, morositas fastuosa Caluino est.* 353. b
- Chrysostomi verba explanantur.* 293. b
- Circumstantia Cœna Eucharistica duplex.* 235. 236. a
- Claritas Christo à Patre data, & à Christo Apostolis, qua & qualis.* 282. b
- Claritas Christi in Sacramento Eucharistie Apostolis data.* ibid. & 283. b
- Conciliorum auctoritas defenditur.* 127. & seq. a
- Concor

Concordia Euāgelistarum. 100.
 201. b
Confessio Sacramentalis defen-
ditur. 384. a
Consecratio elementorum pro-
batur. 233. 254. a
Consistorialis potestas. 114. a
Contextus tropum non admit-
tit. 238. a
Conuersio qualis iuxta veterem
Ecclesiam. 252. 253. a
Conuersio peccatorum celeris ex
efficaci Dei gratia, non ex bo-
no semine relicto. 347. b
Cooperatio cū Dei gratia. 234. b
Cor mūdum in Scripturis quale.
 30. a
Cordis munditia in hac vita.
 31. a
Corporis Christi presentia cre-
denda, non videnda. 409. a
Corpus Christi in venerabili
Sacramento. 17. 18. b
Corpus & sanguis Christi dan-
tur ad nouum testamentum
sancendum. 244. a
Corpus palpabile est quod ali-
quando palpari non potest.
 410. a
Creaturarum efficacia Deo non
derogat. 60. b
Crucis signum in benedictione
adhibitum. 237. a
Cruce Christi fulgida in iudicio
extremo. 117. a
Cultus fictitijs quis censendus.
 96. a
Cultus externus astruitur ac
defenditur. 54. & seq. b
Cultus externi Deo grati. 182. b
Cultus templorū antiquitatis te-
simonijs comprobatur. 183. b

D.

D *Aria à Patre plus est quàm*
trahi. 72. b
Dauidis conuersio unde nata.
 348. b
Delectus ciborum. 101. a
Dei mandata possibilis. 42. a
Dei voluntas ab humana non
vincitur. 320. a
Deus non excecat reprobos actio-
ne propria. 83. 84. 85. a. *stultis*
suorum votis nō annuit. 90. a.
non est author malorū. 121. a.
an peccatores exaudiat. 133.
 134. b. *peccatores quomodo*
non exaudit. 134. 135. b. *quo-*
modo excecat. 198. b. *cur di-*
citur excacare. *ibidem.* *causa*
peccati actiua iuxta Calui-
num. 199. 200. b. *quomodo*
amat quia amatur. 270. b
Diabolus quomodo princeps
mundi huius. 194. b. *quomo-*
do à suo principatu à Chri-
sto deiectus. *ibidem.* *iuxta ha-*
reticos hodie non est foras
eiectus. 196. b
Differentia tres inter baptisimū
Christi & Ioannis. 313. 314. a
Dilectio quomodo remissionis pec-
catorum causa. 360. a
Dilectionis ex gratia actus ad
remissionem peccatorum di-
sponit. *ibidem.*
Dilectio Dei ex toto corde quo-
modo intelligenda. 371. a
Dilectionis mandatum solam fi-
dem euertit. 110. b
Discretio spirituum non est do-
num populare. 54. a. &
 97. 98. b
Discrimen inter Catholicos &

- hereticos. 191. b
 Disparitas inter Christum &
 Ecclesiam quoad remissionem
 peccatorum. 330. 331. b
 Doctrina non scripta. 59. b
 Doctrina precedit baptismum,
 non cum eo coniungitur. 304. a
 Documenta Theologica. 71. 72. a
 Dogmata quae vana voce Chri-
 stus non docuit. 254. b
 E
Ecclesia vera perpetuitas.
 201. a
 Ecclesia visibilis. 32. 33. a
 Ecclesia puidis mendacys ac-
 cusatur. 100. a
 Ecclesia quae audienda. 124. a.
 & seq.
 Ecclesia Catholica miracula de-
 fenduntur. 212. 213. a
 Ecclesia Catholica falsa crimi-
 natio. 295. a
 Ecclesia firmitas defenditur.
 306. 307. a
 Ecclesiastica auctoritatis com-
 mendatio. 306. 307. a
 Ecclesiae simpliciter ab omnibus
 credendum. 307. a
 Ecclesia veteris accusatio multis
 de causis recitanda. 46. b
 Ecclesia recentioris accusatio re-
 fellitur. 46. 47. b
 Ecclesiastica auctoritatis reie-
 ctio quot absurda secum tra-
 hit. 106. 107. b
 Ecclesiae unitas tenenda. 308. a
 Ecclesia Praepositorum necessaria
 auctoritas. 107. b
 Ecclesiae vox & auctoritas ne-
 cessaria. 150. b
 Ecclesiastica doctrina retinen-
 da. 259. b
 Ecclesia Christi perpetua stabi-
 litas. 275. b
 Ecclesia auctoritas nihil dero-
 gat Scripturis. 290. b
 Ecclesia Praepositi docent in scho-
 la Christi. 202. b
 Ecclesia vox fidei certitudinem
 adfert. 293. b
 Ecclesia magisterium quomodo
 sustinetur. 294. b
 Ecclesiam veram penes Papistas
 esse probatur. ibidem.
 Ecclesiastica auctoritas à Cal-
 uino agnita. 308. b
 Ecclesiastica doctrina perpetui-
 tas. 309. b. eiusdem auctori-
 tas. ibidem.
 Ecclesia auctoritas ab eodem
 Caluino penitus evertitur.
 ibidem.
 Effectus causae tribus modis tri-
 buitur. 198. b
 Electio boni libera. 49. a
 Electio ad gratiam reprobis co-
 munit. 206. b
 Electorum certitudo in hac vita
 nulla. 163. b
 Electorum unica iustificatio
 iuxta Calvinum. 204. b. re-
 futatur. 234. b
 Electorum unica fides refellitur.
 345. b
 Electorum perpetua fides impie
 à Caluino stabilita. 344. b
 Eleemosyna quomodo in Phari-
 sais mundabat omnia. 373. a
 Eleemosynarum retributio eter-
 na. 381. a
 Eleemosyna largiores Caluini-
 stis displicent. 389. a
 Elias Thebitis denuo venturus.
 115. 116. a

- Episcopalis & Pastoralis authoritas defenditur. 191. 192. a
 Episcopi dantes Spiritum S. honorem Christo proprium non assumunt. 313. b
 Epitheta quaedam soli Deo propria. 23. b
 Erroris circa nouas nuptias post diuortia causa. 137. 138. a
 Euangelij tres partes. 2. a
 Euangelium hodiernum. 5. a
 Euangelij summa vera & orthodoxa. ibidem.
 Euangelij fructus non seruire peccato. ibidem.
 Euangelij donum, Spiritus S. largitio. 6. a
 Euangelium in sensu hereticorum quam impium. 8. a
 Euangelica historia defenditur. 91. 92. a
 Euangelio credere quam late patet. 317. a
 Euangelica perfectio proprietatis abdicatio. 379. a
 Euangelica predicatio non remittit peccata. 329. b
 Euangeliste non omnia de Christo scripserunt. 302. 303. b
 Euangelium vna nouitas. 326. b
 Euangelij perfectionem in primis eius rudimentis ponunt heretici. ibidem.
 Euangelij finis proprius. ibidem.
 Euangelium à prophana philosophia quo distet. ibidem.
 Euangelica predicatio non remittit peccata. 329. 330. b
 Euangelica historia qua ex parte sufficiens est, & non sufficiens. 362. b
 Exaltatio Christi in cruce. 35. b
 Excacationis causa vera, malitia eorum propria. 199. b
 Exceptiones hereticorum, rebellium voces sunt. 108. & seq. b
 Excommunicatio hereticorum à Caluino ridicule defensa. 136. b
 Exorcismus Catholicus. 75. a
 Exorcismus paruulorum. ibid.
 Exorcismus demonum. 76. a
 F
 Festorum dierum discrimen. 60. b
 Fidei perfectionem probat Caluinus ex necessitate. 69. b
 Fideles sola saluifica refutatur. 43. a. & 37. 38. 153. 154. b
 Fides mulieris à Christo sanata defenditur. 61. 62. a
 Fides non est fiducia. 64. a
 Fides miraculorum. 117. 118. a
 Fides miraculorum qua & qualis. 164. a
 Fides quomodo sine dubitatione. ibidem.
 Fides Caluiniana iugulatur. 165. b
 Fides sola quid Protestantes docuerit. 197. a
 Fidem aequè vna species confirmat quam utraque. 271. a
 Fide iustificari quid. 317. 118. a
 Fides iria documenta. 334. a
 Fides sola non statuitur in Euangelio. 352. 363. a
 Fides amitti potest. 384. a
 Fides sola & certitudo gratia refelluntur. 35. 36. 153. 154. b
 Fides sola reijcitur. 38. b
 Fide non renouamur sed Spiritus Dei. ibid.

I N D E X

- Fides Caluiniana non est fides Evangelica.* 65. b
- Fides à cibo quem operari oportet, distinguitur.* 67. 68. b
- Fidem solam Deus non postulat.* 68. b
- Fides noua amplius quarenda non est.* 97. b
- Fidei doctrina.* 128. b
- Fides unificans Caluini, non est doctrina fidei.* ibidem.
- Fides esse potest sine charitate.* 225. b
- Fides & charitas quomodo se ad inuicem habent.* 269. 270. b
- Fides transsubstantiationis frustra impugnatur.* 351. 352. b
- Fidelium unitas duplex.* 278. b
- Fiducia tota non est in remissione peccatorum.* 39. b
- Fiducia in bonis operibus.* 65. b
- Fiducia in medijs flagitijs, Caluini dogma.* 349. b
- Filius Dei Verbum.* 3. b
- Filij Christianorum parentum non baptizati ad foedus Dei non pertinent.* 302. a
- Filij adoptionis non ex eo solo titulo manent in dilectione Dei.* 240. b
- Filiorum Dei statum habere, proprium potestati à Christo data.* 9. b
- Fortitudo & puritas Christi defenditur.* 268. a
- G.
- C**oriari in seipso non licet, in bonis operibus licet. 141. b
- Gratia efficax non adiunatur à nobis, sed nos ab illa.* 236. b
- Gratiarum Dei flumina.* 102. b
- Gratia Dei non procedit ex absoluta Dei voluntate.* 321. a
- Gratia Dei defensio.* 71. 72. b
- Gratia Dei necessitas.* 228. b
- Gratia Dei quomodo homo cooperetur.* 229. b
- H.
- H**eresum duplex origo. 184. a
- Hereses sex refutata.* 11. b
- Hereses varia ex praua intelligentia.* ibid. & seq. b
- Heticorum pugna.* 478. 479. a
- Heticorum tergiversatio.* 47. a
- Heticorum consuetudo.* 68. a
- Heticorum impostura.* 247. 248. a
- Heticorum perpetuus dolus malus.* 346. a
- Hetici ad officium cogendi.* 378. 379. a
- Heticorum fastus indocilia.* 19. b
- Heticorum crassus & perniciosissimus error.* 37. b
- Hetici sensum suum & hominum traditiones sequuntur.* 50. b
- Hetici hodie adorant quod nesciunt.* 50. b
- Heticorum veterum praxis ad clerum Catholicum diffamandum.* 115. b
- Heticorum hodie petulantia.* 117. b

117. b
 Hæreticorum carnificina de de-
 ferta Ecclesia. 140. b
 Hæretici seipſos audiunt. 149. b
 Hæretici veniunt in nomine ſuo.
 187. b
 Hæretici cur ſolis Scripturis ad-
 herent. 200. 261. b
 Hæreticorum priuatus ſpiritus.
 265. b
 Hæretici cur ſolas ſcripturas in
 authoritate ponunt. 312. b
 Hæretici Sanctam Scripturam
 quomodo venditant. 353. b
 Hæreticos non iuuat traditio de-
 niorum à diſcipulis neglecta.
 97. a
 Hebraica verba Beza nouita-
 tem non adiuuant. 17. a
 Herodiani unde ſic dicti. 180. a
 Homo habet ex ſe quo coopere-
 tur, non quo operetur. 230. b
 Hoſanna quid ſignificet. 161.
 162. a
 Humanos affectus Chriſtus libe-
 re ſuſcepit. 169. 170. b
 Hypocriſis Iudaorum duplex.
 99. a
 Hypocriſis magnum fidei obſta-
 culum. 65. 66. b

I.

Ieiuuium Caluino victus mo-
 deratus. 48. & 354. a
 Ieiunij opus Deo gratum. 48. a
 Ieiunij & orationis virtus. 118.
 119. a
 Ieiuium ad Dei cultum per-
 tinet. 352. 353. a
 Ieiunij Caluiani varia abſur-

ditas. 354. 355. a
 Ignorantia & incredulitas. 184. a
 Ignorantia & incredulitas in
 hæreticis modernis. 185. &
 ſequentib. a
 Ignorantia quomodo poenam mi-
 nuat. 376. a
 Ignofcencia mutua ad remiſſio-
 nem peccatorum neceſſaria.
 47. a
 Illuminatio per Chriſtum qua-
 ſit. 6. 7. b
 Impoſtura Caluiniiana. 46. 47.
 55. 146. 147. 150. 151. 231. 259.
 368. 388. a. & 31. 142. 276.
 317. 326. b
 Imputatiua iuſtitia vox noua
 & barbara. 350. a. refelli-
 tur. 21. a
 Incarnati filij Dei beneficium.
 13. b
 Incarnationis Dominica finis.
 311. a
 Incredulitatis vera cauſa. 85. b
 Inimicorum dilectio iuxta Scho-
 laſticam doctrinam. 41. a
 Inſtitutionis Caluiniiana loca
 partim refutata, partim con-
 tra ipſum Caluinum allega-
 ta. 39. 57. 145. 173. 174. 185.
 186. 268. 274. 275. 276. 287.
 291. 291. 293. 294. 295. 300.
 313. 314. 315. 327. 328. 329.
 353. 383. 408. 409. a. & 5.
 26. 40. 56. 103. 104. 112.
 113. 131. 132. 151. 152. 158.
 162. 219. 220. 229. 230.
 231. 232. 245. 265. 266. 286.
 290. 291. 292. 293. 294. b.
 locus inſignis. 298. 311. 321.
 342. 343. 353. b

- Intentiones pia defenduntur.* 113. a. frustra impugnantur. 48. & seq. b.
- Inuocatio Sanctorum defenditur.* 102. 103. a. beate Virginis. 336. a.
- Ioannis Baptista habitatio.* 12. & seqq. a.
- Ioannis Baptismus quo sensu poenitentia baptismum predicabat.* 312. a.
- Ioannes Baptista eremitarum pater.* 13. a. eius victus austerus. 18. 19. a.
- Iudei non excederunt animarum transmigrationem.* 364. a.
- eorum persuaia.* 161. a. cur miracula exigentes reprehenduntur. 58. 59. b.
- Iuda poenitentia Christianorum poenitentia ridicule à Caluino comparata.* 285. a.
- Iudicia secularia quatenus Pastores exercere deceat.* 375. a.
- Iustificandi vocabulum.* 80. 81. a.
- Iustificatio gratuita & meritum bene consistunt.* 231. 232.
- Iustitia operum.* 332. a.
- Iustitia ex fide facit seruari legem.* 371. a.
- Iustitia inherens.* 14. & 267. b.
- Iustitia desiderium in Scripturis laudatum.* 29. a.
- Iustus in sensu Caluini quis.* 334. a.
- L***atina Ecclesie perpetua phrasis in vocabulo poenitentiae defenditur.* 15. 16. & 17. a.
- Latroni bono vade tamfacilis in caelum transitus.* 399. 400. a.
- varia eius virtutes prater fiduciam.* 400. a. eius exemplum quid doceat. 407. a.
- Legem seruari decet iuxta Caluinum, non oportet.* 35. a.
- Lex & Euangelium iuxta Lutheranos.* 213. 4. a.
- Lex iuxta Caluinum docet tantum, non obligat.* 34. a.
- Lex uniuersa quomodo adimplenda.* 36. a.
- Lex de libello repudij in tribus correcta.* 135. 136. a.
- Lex Dei an precipiat quod praestari non potest.* 369. & seq. a.
- Lex quomodo pedagogus ad Christum.* 370. a.
- Lex absque contemptu violatur.* 247. b.
- Liberum arbitrium cum Dei gratia.* 11. 12. b.
- Liberum arbitrium defenditur.* 72. 73. b. A liberi arbitrij consensus & cooperatio. 237. b.
- Libertas arbitrij humani ad credendum vel non credendum.* 343. b.
- Libertas per Christum data triplex.* 117. 118. b.
- Limbus Patrum contra Caluinum defenditur.* 212. 213. b.
- Locorum aliquando discrimen ad Dei beneficia impetranda.* 61. b.
- Lucas & Paulus cur aliter Cœna verba referunt quam Matthæus & Marcus.* 243. a.
- Lutheranorum varia sententia.* 241. a.
- Lutherus Caluini iudicio merito excommunicatus.* 137. b. 196. b. alter Manasses. 52. b.
- Luthe

Israhelani argumenti solutio.

126.127.a

Lux vera qua sit.

6.b

M

Magos ex Arabia venisse.

9.10.11.a

Mandatum dilectionis Dei non est impossibile in hac vita.

188.189.a

Mandatorum observationi vita eterna promittitur.

127.b

Mandatum dilectionis mutua cur novum.

208.b

Mandatum obedientia medium ad salutem necessarium.

245.b

Melancthonis euasio.

368.a

Meritorum & glorie disparitas.

211.b

Meritum ex condigno defenditur.

382.383.a

Metonymia non est figura reciproca.

265.a

Metus derelictionis diuine in Christum cadere non potuit.

288.289.a

Miracula noua predicationi necessaria.

103.a

Miracula à nouis hodie dogmatistis merito flagitari posse.

25.26.27.28.b

Missae priuata frustra impugnantur.

249.250.a

Missae sacrificium defenditur.

207.b

Modus confugiendi ad Deum.

309.a

Monasticus status defenditur.

151.a

Mors Christi sola quomodo tota salus nostra.

296.b

Motus dissidentiae in Christum

cadere non potuit.

291.a

N

Noui testamenti sancienti modus.

244.245.a

Nuptiae post diuortia superstitione dimissa damnantur.

134. &

seq.a

O

Obedientia mandatorum.

81.82.83.a

Obedientia necessitas.

202.b

Obedientia mandatorum diuini amoris tum effectus est, tum

causa.

241.b

Obedientiam mandatorum non esse necessariam suadet Cal-

uinus.

242.b

Obedientia perfecta qua fraude fingitur.

ibidem.

Obedientia necessitatem visus docere Caluinus non docet.

247.b

Oblatio Christi quibus in verbis constabat.

251.a

Observatio mandatorum necessaria.

145. & seq.a

Observatio mandatorum quo sensu possibilis.

151.152.153.a

Opera bona fiducia causa.

231.a

Opera qua de congruo merentur.

324.a

Opera bona vite aeternae causa.

371.372.a. & 64.b

Opera pietatis laudem habent apud Deum.

66.b

Opera maiora per Christianos quam per Christum quomodo.

214.b

Operum bonorum merita.

31. & 348.a

- Operum bonorum merces iusta.* 44. 378. a
Operum bonorum necessitas. 57. a. & 63. 122. b
Operum bonorum merita defenduntur. 114. 115. a
Operum bonorum necessitas defenditur. 174. & seq. a. 343. & seq. a
Operum bonorum studium. 219. a
Operum bonorum retributio. 227. 228. a
Operum vera iustitia defenditur. 385. & seq. a
Operum gratia dignitas. 40. b
Operum bonorum necessitas & efficacia luculenter à Christo docetur. 238. b
Operum bonorum duplex radix. 269. b
Orationes Ecclesiastica defenduntur. 45. a
Oves electa unde constare possunt. 156. b
Operari & cooperari confundit Calvinus. 230. b
- P
- P***actum à Christo positum conuellit Calvinus.* 47. a
Palmiti in vite quo sensu comparatur fidelis. 233. b
Papam non esse pseudopphetam. 189. 190. b
Papatus nullos habet novos cultus. 210. b
Papistarum nomine Patres antiquissimi accusantur. 19. 40. 41. 58. 117. 119. 158. a. & 172. 173. b
Parabola explicatio de decem virginibus. 219. a
Parabola de Phariseo & Publicano scopus. 386. a
Participatio Christi iuxta Calvinum aquè extra cœnâ Domini quàm in illa. 275. 276. a
Participatio à Catholicis creditata. 276. 277. a
Passiones vitiose quot modis sùnt. 171. b
Passionis Christi reliquia. 301. b
Pastores sunt sal terra. 33. a
Pastorum negligentia quid successerit. 358. a
Pastor vnus supremus in Ecclesia. 147. 148. b
Patres contra Calvinum. 342. a
Patrum consensus. 361. a
Patrum imitationem Christus non reprehendit. 366. a
Patres à Caluino sine data causa accusati. 373. a
Patres non Dei mandato, sed hereticorum placitis anteponuntur. 42. b
Patres à Caluino procaciter taxati. 79. b
Peccata grauiora fratribus remittenda contra Calvinum. 131. 132. a
Peccata dupliciter tollit Christus. 16. b
Peccatorum venialium à mortilibus distinctio. 39. 40. a
Peccatum in Spiritum sanctum quomodo remitti non potest. 77. a
Peccatum omne in hac vita remitti potest. *ibid.* & 78. a
Peccatorum remissio incipit non perficit iustitiam. 59. b
Pedum Christi vestigia in monte Oliueti. 302. b
Pela

- Pelagiana dementia falsò Catholicis obiecta.* 224. a
Perfectio de qua Christus loquitur qua tandem. 149. 150. a
Persecutio Anglicana. 252. b
Pertinacia hæreticis propria. 342. 343. b
Petri primatus. 66. 119. 120. 121. 393. a. & 18. 354. & seq. b
Petri fides defenditur. 89. 90. 91. a
Petri reprehensio qualis. 112. 113. a
Petri nouum nomē primatus indicium. 318. 319. a
Petri crucifixio à Christo prænunciata. 360. b
Petri primatus variè demonstratur. 354. & seq. b
Petri Apostolatus an fuerit restitutus. 357. 358. b
Petrus & Petra una Hebrais dictio. 107. a
Petrus non respondit omnium nomine. 108. a
Petrus indignè à Caluino exceptus. 131. a
Petrus Roma crucifixus. 360. b
Pharisaorum proprius error taxatur. 199. a
Pœna manet, remissa culpa. 402. a
Pœnitentia uocabulum. 14. & seq. a
Pœnitentia actus pœnalis. 72. 73. a
Pœnitentia ordo à Caluino inuersus. 315. 316. a
Pœnitentia fructus. 356. a
Pœnitentia doctrina à Caluino corrupta. 580. 581. a
Pœnitentia & satisfactio Zachai defenditur. 388. a
Pœnitentia & satisfactionis necessitas defenditur. 398. & seq. a
Pœnitentia Petri defenditur. 283. 284. a
Pœnitentia an veniam mereatur. ibidem.
Pontificum uicia obseruant hæretici. 173. 174. b
Pontifex impius de summo fidei mysterio prophetauit. 174. b
Posse uel non posse fieri sex modis dicitur. 197. b
Potestas docendi inquirenda an legitima sit. 166. 167. a
Potestas fieri filios Dei, quid significat. 7. b
Potestas remittendi peccata à prædicatione Euangelij quomodo separetur, & quomodo non. 324. b
Præcepta an singulos concernant. 46. a
Præcepta legis quomodo faciendâ. 189. 190. a
Præcepta Patris an Christum obligabant. 238. b
Præcepta Dei quomodo Christum obligabant. 239. b
Prædicatio uerbi rarior supra modum taxatur. 357. a
Prælatorum in Ecclesia iusta auctoritas. 155. & seq. a
Præpositorum in Ecclesia auctoritas non diuellit corpus à capite. 135. a
Præpositis malis obediendum. 194. a
Præscientia in Deo rerum non futurarum. 71. a
Præuatio nihil operatur, sed noua forma. 327. b
 Prophe

I N D E X

Prophetarum veterum à nouis
 hodie magistris latissimum di-
 scrimen. iii. b
 Propria cuiusque virtus quid si-
 gnificet. 226. a
 Protestantium varia sententia.
 124. a
 Protestantium impuritas teste
 Luthero. 196. a. Museuli &
 Jacobi Andrea de eodem te-
 stimonia. ibid. & 197. a
 Purgatory locus medius. 78. 79.
 80. a

Quadragesima observatio ad
 imitationem Christi de-
 fenditur. 23. & seq. a

Ratio humana in singulis
 non peccat. 50. a

Reconciliationis nostra ministe-
 rium quid. 225. & seq. b

Regeneratio & renouatio mul-
 tum differunt. 30. 31. b

Regule ad corrumpendas Scri-
 pturas à Caluino adiuuenta.
 32. 33. b

Reliquiarum veneratio. 62. 63. a.
 & 301. b. antiquissima. 200. a

Reliquiarum religiosus vsus de-
 fenditur. 91. 94. a

Remissio peccatorum non est uni-
 ca & tota iustitia nostra co-
 ram Deo. 346. a

Remissio peccatorum quomodo
 perpetua iustitia pars. 349.
 350. a

Remissio peccatorum Evangelica
 predicationis, nec summa est
 nec officium, sed finis & effe-
 ctus. 324. b

Renatus ex Spiritu, Spiritui san-

cto in tribus assimilatur. 33.

34. b

Reprobatio non est propria cau-
 sa cur quidam non credunt.
 152. 153. b

Retinendi peccata vera potestas
 Apostolis data. 339. b

Retinere peccatum ad Euange-
 lij predicationem pertinere
 non potest. 337. b

S

Sacerdotes peccata purgant.
 58. a

Sacerdotale officium proprie in
 sacrificio quotidiano. 319. 320.
 321. b

Sacramentum & sacrificium à
 Christo institutum in Cœna.
 249. 250. a

Sacramentalis Christi mandu-
 catio probatur. 82. b

Sacramentalium elementorum
 virtus. 131. 132. 133. b

Sacramentalis analogia in sa-
 cramento Eucharistie. 263. a

Sacramentarium pietas. 198. a

Sacramenti rotum fructum una
 species confert. 272. a

Sacramenti celebratio & per-
 ceptio diuersa. 272. a

Sacramentorum & sacramenta-
 lium virtus. 60. b

Sacrificium in Ecclesia externū.
 38. a

Sacrificij testimonia. 258. b

Saluatorum & Caluini com-
 paratio. 187. a

Salus ex Ecclesia Catholica. 51. b

Salutis conditionem nullam ad-
 mittunt heretici. 163. b

Salutis nostra gradus. 274. b

Samaritanorum errores & ori-
 gō.

80.
 Samaritani & hodierni schis-
 matis comparatio. 61. & seq. b
 Sancti in celo non sunt vocandi
 mortui. 187. 188. a
 Sancti in celo nostra cognoscunt.
 380. a
 Sanctorum patrocinia. 61. b
 Sanctorum Patrum expositio de-
 fenditur. 52. 53. a
 Sanctorum Patrum imitatio de-
 fenditur. 365. a
 Sanctorum Patrum imitatio &
 allegatio defenduntur. 42.
 & seq. b
 Sanctorum veneratio defendi-
 tur. 203. a
 Sanguinis solus honor in B. Vir-
 gine reuerentia dignus. 86.
 87. b
 Sapientia profectus in Christo
 qualis. 355. a
 Satisfactiones nostra redemptio-
 ni per Christum non praiudi-
 cant. 157. a
 Satisfactiones quo sensu ponun-
 tur à Catholicis. 374. a
 Satisfactionis poene & disciplina
 paterna differunt. 403. a
 Schismatis patrocinium. 214. a
 Schismatis Calviniani patroci-
 nium futile & inane. 169. a
 Schismatis Calviniani defensio
 rejicitur. 150. b
 Scriptura contemptū docet Cal-
 uinus. 245. a. eam eludit.
 172. b. mutilat. 232. b. rejicit.
 265. b. non reueretur. 307. b
 Scriptura corruptela affectata.
 30. a. manifesta. 29. a. prodi-
 giosa. 142. 167. a
 Scripturam heretici quomodo

reuerentur. 307. b
 Scriptura per accommodationem
 à Patribus explicata. 30.
 Scriptura texum audacter cor-
 rumpunt heretici. 88. a
 Scripturas cur heretici assent.
 293. b
 Scriptura quomodo eo sensu in-
 telliguntur quo scripta sunt.
 292. b
 Scriptura sacra lectio an plebi
 concedenda sit. 289. b
 Scripturis heretici aperte con-
 tradicunt. 103. b
 Seductores populi viperis com-
 parati. 22. a
 Sensus literalis verborum Chri-
 sti in Cœna retinendus. 237. a
 Sensus literalis ex collatione lo-
 corum probatur. 238. a
 Sensus literalis ex loci circun-
 stantijs probatur. 240. a
 Servire Deo sine timore quid.
 344. a
 Signata rei nomen ad signum in
 Christi verbis non transfer-
 tur. 264. a
 Signum discernitur à re signata
 non separatur. 260. a
 Signa accipiunt nomina rerum,
 non res signorum. 265. a
 Spiritualis manducatio aut po-
 tio non sufficit ad nouum Te-
 stamentum sancendum. 244.
 245. a
 Spiritui proprio quisque hereti-
 cus omnes subici vult. 353. b
 Spiritus Ioan. 3. Spiritum san-
 ctum significat. 33. b
 Spiritus sanctus quomodo tollit
 suum. 41. b
 Spiritus obedientia, non discre-
 tionis,

- zions, populo fidei necessarius.*
 97. a. b
Spiritus sancti officium duplex.
 219. b
*Spiritus sancti munus Calvinus
 impie restringit.* 219. b
*Spiritus sancto Calvinus compe-
 des inijcit.* 224. b
Spiritus veritatis. 263. b
*Spiritus sanctus cur & quomodo
 Ecclesia promissus.* 293. b
*Sponsi vox ex ore sponsa audien-
 da.* 292. b
*Status regni Christi spiritualis
 late patet.* 261. b
*Studium & conatum bonum, sed
 inefficacem ponit Calvinus.*
 51. a
*Studium seruandi mandata in-
 efficax refellitur.* 244. b
*Successionis Ecclesiastica argu-
 mentum inaniter impugna-
 tum.* 124. 115. b
*Supersticio non parit Dei con-
 temptum.* 199. a
*Superstitionum falso arguitur
 Ecclesia.* ibid.
*Synagoga error non probat pos-
 sibilem Ecclesie errorem.* 105. a
*Synagoga Iudaica & Ecclesia
 Christiana iniqua compara-
 tio.* 170. a
*Synagoga casus propagato Euan-
 gelio.* 250. b

T

*Templa nostra domus ora-
 tionis non secus quam
 olim.* 167. a
*Templorum & altarium cultus
 atque ornatus defenditur.*
 180. a
*Tentationes ex carne peccati in
 Christo non erant.* 291. a
*Traditio Seniorum à discipulis
 neglecta hereticos non inuat.*
 97. a
*Traditionum Ecclesia discrimen
 à Pharisæicis.* 98. a
Translatio vetus defenditur. 3. b
Transsubstantiatio defenditur.
 408. a
*Transsubstantiationis fides fru-
 stra impugnatur.* 351. 352. b

V

*Verbi Dei custodia magis
 perficit, non magis ho-
 norabilem reddit.* 92. b
*Verborum Christi corruptela pro-
 digiosa.* 142. a
*Verbum Sacramentale quid &
 quale.* 309. a
Veritas à Caluino extorta. 14. b
*Veronica sudarium cum vultu
 Christi.* 302. b
Versionis nouitas affectata. 68. a
Virginitatis meritum. 140. a
Victus austerus Ioannis Baptista.
 18. a
*Vita aterna bonorum operum
 merces.* 229. a
Vita nouitas vna salutis causa.
 347. a
*Vita nouitas magis causa salu-
 tis quam remissio peccatorum.*
 36. b
*Vnio nostra cum Christo corpo-
 ralis.* 283. b
Vnitas Ecclesie tenenda. 214. a
Vnitas fidelium duplex. 278. b
Vnitas nostra cum Deo qualis.
 281. b
*Voluntas obsequendi mandatis
 Dei est via ad credendum.*
 95. b

R E R V M.

<i>Voluntas humana in Christo duplex.</i>	191. b	<i>Voluntatem Dei facere quid.</i>	56. 82. a
<i>Voluntas Dei vocantis refractarios qualis.</i>	105. a	<i>Voluntatis preparatio efficax non est propria cuiusque virtus.</i>	225. a
<i>Voluntas naturalis & deliberata.</i>	179. a	<i>Vota monastica defenduntur.</i>	26. a
<i>Voluntaria paupertas defenditur.</i>	150. a	<i>Votum beate Virginis.</i>	37. a
<i>Voluntatis humane cum Dei gratia cooperatio.</i>	248. b	<i>Vsura sub precepto prohibita.</i>	319. a
		<i>Vvhitakeri mendacium.</i>	154. b

F I N I S.

LUGDUNI,
EX TYPOGRAPHIA
Hæredum Petri Rouffin.

CIO. IO. XCV.